
UC-NRLF
$B 247 050






ab Abraham usque ad David

David
Salomon — Nathan
Jechonias — Neri
Phadai — Salathiel
Zorobabel





Ad Notam: Haec puncta: …….. signi ficant Originem naturalem; i.e. linea plana significat originem cum naturalem tum legalem, neque vero unquam naturalem solum.

65, 69, 71, 74, 75, 77, 82, 84, 85, 89, 91, 92, 93, 95, 97, 99, 100.





INTRODUCTIO

IN

SACRAM SCRIPTURAM.

14. II. 88 [illegible] John Chamberlain,

D[illegible] 9, 6. – 35, 4. – 96.

Generatio ex Dav. Isai. 11, 1. Jer. 35, 5.

Daniel 9, 25.

nativitas ex Virgine: Is. 7, 14

" in Bethlehem: Michaeas 5, 1.

adoratio per Reges Isaias 60, 6.

caedes infantium in Bethlehem Jerem. 31, 15

fuga in Aegypt Oseas 11, 1.

Praecursor Domini: Malach 3, 1

facta Salvatoris in Galilea: Isaias , 2–[illegible]

35, 4–6,

Jesus Pastor Bonus! Ezechiel 34, 23, Is. 60, 11.

Ingressus Dom. in Jerus.: Zachar. 9, 9 –

[illegible] Isaias 35, 5.

Crucifixio: Zach 12, 10.

Crucifixio inter 2 latrones: ~~[illegible]~~ 53, 12, Habac. 3, 2

Tenebrae: Amos 8, 9. Vulnera: Habac 3, 4.

[illegible] Spiritus S.: Joel 2, 23. Undatio eccles. N.T. Jer: 31, 31

Holocaustum [illegible] Malach 1, 11, – Conversio Judaeor.:

Zach. 12, 6. Mal. 4, (6 and Oseas 3, 4–5

Judicium [illegible] Mal. 4, 5 (= [illegible]).

INTRODUCTIO

IN

SACRAM SCRIPTURAM

AUCTORE

THOMA JOSEPHO LAMY,

ECCLES. CATH. NAMURCENSIS CAN. HON., S. THEOL. DOCT., SACRÆ SCRIPTURÆ
ET LINGG. ORIENTT. IN UNIVERSITATE CATHOLICA LOVANIENSI PROFESSORE
FT COLLEGII MARIÆ THERESIÆ PRÆSIDE.

PARS SECUNDA
INTRODUCTIONEM SPECIALEM COMPLECTENS.

EDITIO TERTIA
DENUO RECOGNITA.



MECHLINIÆ,
H. DESSAIN,
SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE
ET ARCHIEPISCOPATUS MECHLINIENSIS TYPOGRAPHUS.
1877.

annum 588 ...
a Nabuchod...

APPROBATIO.

Opus quod inscribitur : *Introductio in sacram Scripturam*, auctore T. J. Lamy , etc. , ex auctoritate Eminentissimi Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis et legum academicarum præscripto recognitum, quum fidei aut bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii, die 7 mensis Martii 1877.

A. J. NAMÈCHE, Rect. Univ.

INTRODUCTIO SPECIALIS

IN

SACRAM SCRIPTURAM.

PRÆNOTANDA.

1. Postquam in priori volumine ea tractata sunt quæ omnes Libros sacros generatim spectant, superest ut de unoquoque in particulari dicamus. In *Introductione generali* egimus de Librorum sacrorum canone et inspiratione, de textibus primigeniis et versionibus inde derivatis, de lectione sacræ Scripturæ ejusque interpretatione, denique de antiquitatibus hebraicis, quarum notitia Librorum sacrorum interpreti valde utilis est. In *Introductione speciali* inquirendum erit quodnam sit cujusque libri sacri argumentum, quisnam scopus, quænam occasio, quisnam auctor, Deo inspirante, illum scripserit et quanam lingua; præsertim autem probandum erit unumquemque librum genuinum esse et sincerum fidemque mereri apud omnes qui sana utuntur ratione. In *Introductione generali*, stabilito canone ac vindicata inspiratione, divinam totius Scripturæ auctoritatem universim probavimus. Humana porro ejus auctoritas a demonstrata textuum primigeniorum incorruptione et sincera conservatione jam robur aliquod accepit; fusius autem et plenius contra incredulos et Rationalistas demonstrabitur in *Introductione speciali*, in qua etiam solvere conabimur peculiares difficultates, quæ ex hoc vel illo libro desumuntur. Quia igitur utraque *Introductio, generalis* videlicet et *specialis*, intime connexa est, quæ de una dicuntur etiam alteram illustrant et corroborant.

2. Cuivis libro, ut auctoritatem habeat fidemque mereatur, tria necessaria sunt : 1° ut sit *germanus* seu *genuinus ;* 2° ut sit *integer ;* 3° ut sit *veridicus*.

3. Liber ille *germanus* seu *genuinus* dicitur, qui conscriptus

est ab eo auctore cui tribuitur, vel eo circiter tempore quo scriptus esse perhibetur. Qui autem auctori cuidam falso adscribitur, *spurius, supposititius* aut etiam *apocryphus,* audit. Liber aliquis genuinus esse potest quin tamen nomen auctoris in fronte gerat, modo scriptus sit ea circiter ætate qua scriptus esse fertur. Hac ratione libri *anonymi,* nulli auctori adscripti, genuini esse possunt. Ad hoc librorum genus referenda sunt nonnulla V. T. scripta, ut libri Judicum, Regum et Paralipomenon, quorum auctores incerti sunt. Etenim istos libros authenticos esse fidemque mereri firmissimis argumentis in decursu probabimus.

4. Liber *integer* est, qui nec *mutilus* est, seu cui nihil detractum est, nec *interpolatus,* seu cui nihil adjectum est. Attamen, ex eo quod liber aliqua sui parte mutilus sit, non sequitur partem libri superstitem omni auctoritate destitui, modo ista pars incorrupta servata sit. Sic plura historiæ romanæ a Tito Livio conscriptæ capita perierunt, docti tamen nequaquam exinde concludunt partem hujus historiæ superstitem auctoritatem, quam antea obtinebat, amisisse. Lectiones etiam variæ, quæ in diversis ejusdem libri exemplaribus occurrunt, ipsius integritati non nocent modo narrationis substantiam non attingant.

5. *Veridicus* seu *verax* censendus est liber, qui non solum genuinus est et integer, sed insuper sufficientia præ se fert indicia, quod auctor res gestas perspicue cognoverit easque fideliter retulerit.

6. His prænotatis, *Introductionem specialem* dividimus in duas partes, quarum prima de libris veteris, secunda autem de libris novi Testamenti, agit.

PARS PRIMA.

CAPUT I.

DE PENTATEUCHO (1).

I. *Pentateuchi nomina, divisio, argumentum et scopus. Quo tempore et loco conscriptus fuerit.*

1. *Nomina et divisio.* Quinque Moysi libros Judæi hebraice *Thora* (תּוֹרָה) seu *Legem* appellant, quia Legem populo hebræo datam continent ; nos vero græco vocabulo *Pentateuchum* (2), id est quinque volumina, nuncupamus. Porro Lex seu Pentateuchus dividitur in quinque libros, quos Hebræi primis cujusque libri verbis designant ; Græci vero et Latini, versionem LXX Interpretum secuti, *Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros* et *Deuteronomium,* appellant. Quæ nomina argumentum librorum respiciunt et indicant (3). Dubitari nequit hanc Pentateuchi in quinque libros divisionem, utpote et in textu hebræo et in versione LXX exstantem , esse antiquissimam ; an autem Moysi auctori sit referenda non ita constat.

2. *Argumentum.* In *Genesi* referuntur mundi hominisque a Deo creatio, protoparentum lapsus, inflicta pœna et facta simul

(1) Cfr. Huetius, *Demonstratio evang.* prop. IV, c. 1-19 ; Duvoisin, *L'autorité des livres de Moyse ;* Rosenmüller (acath.), *Prolegom. in Pentat.;* Meignan, *Les prophéties messianiques*, Par. 1865 ; Arnaud (acath.), *Le Pentateuque mosaïque défendu,* Par. 1865 ; Smith, *The Book of Moses,* Lond. 1868 et generatim *Introdd. in Script.*

(2) Vox Pentateuchus Πεντάτευχος (ex πέντε *quinque* et τεῦχος *volumen*) jam occurrit apud Tertullianum (*Adv. Marcion.* I. 10.) et Origenem (*In Joan.* t. XII, 26).

(3) Genesis, græce Γένεσις, id est, *origo,* ideo ad primum Pentateuchi librum designandum usurpatur, quia in eo narratur origo rerum. Exodus, græce Ἔξοδος, id est, *egressus,* suo nomine indicat in secundo Pentateuchi libro narrari egressum Hebræorum ex Ægypto. Tertius autem liber Leviticus, Λευιτικόν vocatur, quia agit de levitis et sacrificiis. Quartus Numeri, Ἀριθμοί, appellatur, ob enumerationem filiorum Israel in eo contentam. Quintus Deuteronomium, Δευτερονόμιον, id est, *secunda lex,* dicitur, quia Legis repetitionem continet. (Vid. *Synopsim Athanas.* 5-9).

Redemptoris promissio, historia diluvii, divisio hominum per varias regiones atque linguarum confusio (I–XI*). Quum homines, veræ religionis immemores, cultu idolorum in dies magis magisque se contaminarent, Deus sibi elegit Abrahamum ejusque posteros in populum peculiarem, apud quem usque ad adventum Christi vera religio servaretur. Idcirco Deus cum Abrahamo fœdus iniit, terram Chanaan ab ejus posteris possidendam Redemptoremque ex ejus semine oriundum repetitis vicibus promisit, imposita in hujus fœderis signum circumcisione. Continuatur historia populi electi usque ad ejus ingressum in Ægyptum et mortem Jacobi. In hac parte describuntur Abrahami, Isaaci, Jacobi et Josephi gesta (XII–L).

3. Orditur *Exodus* cum servitute Hebræorum in Ægypto. Moyses divinitus a Deo excitatus Israelitas miraculose, percussa Ægypto decem plagis, e manu Pharaonis liberat (I–XII). Israelitæ, celebrato Paschate, duce Moyse et nube protegente, mare Rubrum sicco pede transeunt, dum Pharao cum suo exercitu in aquis demergitur (XIII–XV). Populus hebræus pergit per desertum usque ad locum nomine Sin, ubi manna de cœlo prima vice pluit in cibum (XVI). Exinde profecti Israelitæ pugnant adversus Amalec et perveniunt ad radices montis Sinaï. In isto itinere Moyses, suadente Jethro, seniores instituit ad judicandum populum (XVII–XVIII). Referuntur deinde decalogus a Deo populo datus, præcepta judicialia, decimæ, oblatio primitiarum et festa populo imposita (XIX–XXV). Denique descriptio tabernaculi, arcæ fœderis, altarium, vasorum atque instrumentorum tabernaculo inservientium, vestium Aaronis et dedicationis tabernaculi librum claudit (XXVI–XL).

4. In *Levitico* describitur lex cæremonialis a Deo per Moysen populo hebræo data. Et primo quidem recensentur ritus sacrificiorum et enumerantur victimæ offerendæ (I–VII). Sequitur consecratio Aaronis et filiorum ejus in sacerdotes atque tabernaculi cum ejus supellectili (VIII–X). Subjunguntur leges de animalibus mundis et immundis aliisque immunditiis legalibus (XI–XV), de sacrificio expiationis (XVI), de non offerendis victimis nisi ad ostium tabernaculi (XVII), de vitandis illicitis

* Romanæ numerorum notæ, adhibitæ in exscribendis librorum argumentis, capita indicant.

conjugiis, de peccatis carnalibus aliisque criminibus, ad quæ avertenda decernuntur graves pœnæ (XVIII-XX). Librum claudunt variæ leges quæ sacerdotes et varias Judæorum solemnitates respiciunt; observantibus has leges bona temporalia promittuntur (XXI-XXVII).

5. Liber *Numerorum* complet ea quæ in Exodo et Levitico exposita sunt; narrat varias Israelitarum per desertum peregrinationes usque ad eorum ingressum in terram promissam, pœnasque a Deo inflictas ob eorum inobedientiam, refert leges quas in diversis circumstantiis Deus populo suo dedit. Incipit autem ab enumeratione Israelitarum et speciatim levitarum, quibus ministerium tabernaculi et sacrificiorum committitur (I-IV). Describuntur lex zelotypiæ, Nazareorum consecratio, oblationes factæ in dedicatione tabernaculi et consecratio levitarum (V-VIII). Sequitur narratio celebrationis Paschatis anno secundo egressus ex Ægypto; populi mansiones in deserto ejusque murmurationes et pœnæ subnectuntur (IX-XIV). Deinde varia traduntur præcepta et ritus quibus immiscetur narratio seditionis Core (XV-XIX). Continuatur historia mansionum populi in deserto : habentur hic mors Aaronis, elevatio serpentis ænæi, vaticinia Balaami, et præclara Phinees facinora (XX-XXVI). Rursus enumeratur populus, ritus solemnitatum rursus explicantur, Madianitæ delentur, quadraginta duæ mansiones populi in deserto recensentur, et quædam leges de terra promissionis possidenda, et de hæreditatibus adjiciuntur (XXVII-XXXVI).

6. In *Deuteronomio* Moyses, mox e vita migraturus, leges a Deo latas populo rursus inculcat et, Josue in ejus locum suffecto, moritur. Incipit autem Deuteronomium ab oratione qua Moyses, anno quadragesimo post egressum ex Ægypto, in memoriam populi revocavit beneficia a Deo Israelitis collata (I-IV). Altera oratione forti et copiosa decalogum rursus promulgat, colendum docet verum Deum et fugienda idola (V-VII); commemorat beneficia et afflictiones Israelitis a Deo immissa; mandata servantibus promittit benedictiones, transgredientibus vero maledictiones (VIII-XI); jubet idololatras exterminari et occidi falsos prophetas idololatriam suadentes (XII-XIII); præcipit ut abstineant ab esu animalium immundorum, debita anno septimo remittant servosque liberent, atque præscriptas festivitates

celebrent (XIV-XVI); vaticinatur de futuris Israelitarum regibus et Messia venturo (XVII-XVIII); varias leges judiciarias et pœnales commemorat (XIX-XXVII); hasce omnes leges observantibus multiplicem benedictionem promittit, transgredientibus vero durissimam maledictionem XXVIII-XXX). Moyses, jubente Deo, ducem populi Josue constituit, librum Legis levitis tradit (XXXI). Moysi canticum, ultima benedictio et mors (XXXII-XXXIV).

7. Ex his intelligitur quanti faciendus sit Pentateuchus. Etenim non tantum antiquissimam refert historiam et prima populi Israelitici a Deo electi facta, sed præcipua revelationis V. T. capita continet et Legem a Deo datam, ut esset norma quam omni ætate populus electus sequeretur et juxta quam viveret. Est igitur Pentateuchus omnium institutionum V. T. basis; uno verbo, dogmata, præcepta moralia, leges judiciariæ universusque cultus veteris Fœderis in eo continentur.

8. *Scopus et indoles.* Moyses nequaquam intendit posteris tradere universalem mundi historiam, sed historice ostendere quomodo Deus, volens veram conservare religionem inter homines, peculiarem sibi elegit populum, cujus ipse dux et rex esse voluit, et cui legem moralem, religiosam et judicialem, imposuit. Idcirco plura facta historica tacet ut v. g. quæ peracta sunt dum Israelitæ in Ægypto commorabantur, aut quæ contigerunt ab anno tertio commorationis in deserto usque ad annum quadragesimum. Leges autem nequaquam systematice juxta ordinem rerum, sed potius chronologice juxta ordinem temporum et cum eventibus quorum occasione latæ fuerunt, referuntur.

9. *Scriptionis tempus et locus.* Non constat quo præcise anno et loco Moyses Pentateuchum scripserit. De hisce sic opinatur Bonfrerius (1) : « Scripsit Moyses tam Genesim quam ceteros Pentateuchi libros post datam Legem et repetitum in monte secessum; neque defuit illi ad id otium totis quadraginta in deserto annis : quamquam non omnia eodem tempore scripta sint, cum nonnullæ historiæ posterius acciderint. Itaque primo anno, vel ante recessum a monte Sinaï, existimo Genesim scriptam, Exodum, Leviticum et e libro Numerorum novem

(1) *Prœloquia in S. Scripturam*, c. VII, sect. 5.

priora capita; cetera deinde ex eodem libro posterioribus per—egrinationis per desertum temporibus pro rerum gestarum or—dine, ita ut postrema capita a vigesimo usque ad finem, ultimo peregrinationis anno conscripta sint. Deuteronomium item non ante ultimum annum a Moyse scriptum existimo.

II. *De erroribus Pentateuchi originem et auctoritatem respicientibus.*

10. Moysen divinitus excitatum quinque Legis libros con—scripsisse unanimis et constans fuit Judæorum et Christianorum persuasio usque ad nostram ætatem. In hac concordia discordes primis sæculis se præbuerunt Nazaræi contendentes Pentateu—chum olim diversum fuisse ab eo quem nunc habemus (1). His se adjunxit auctor Homiliarum S. Clementi falso adscriptarum dicens Legem, traditam per Moysen septuaginta populi senio—ribus, postea ab alio auctore litteris fuisse mandatam (2). Ma—nichæi, vetus Testamentum a principio malo deducentes, con—sequenter libros Legis divinitus inspiratos negarunt. Medio ævo, secta *Bogomilarum* et duo rabbini Aben-Esra et Isaac Ben—Jasos receptam traditionem diversa ratione impugnarunt (3). Sæculo XVII Hobbesius, Peyrerius et Spinoza, variis argumen—tis probare conati sunt Pentateuchum Moyse multo esse recen—tiorem (4). His aliquantisper accessit Richardus Simon docens Moysen leges dumtaxat et præcepta quæ in Pentateucho inve—niuntur exscripsisse, cetera autem facta historica a scribis seu notariis publicis, quos tamen divinitus inspiratos affirmabat fuisse in annalibus publicis relata. Ex duobus hisce fontibus juxta ipsum prodierit noster Pentateuchus (5). Ulterius pro—gressus Clericus integrum Pentateuchum a Moyse abjudicavit sed postea suam sententiam retractavit (6). Van Dale ausus est Pentateuchi scriptionem Esdræ tribuere (7).

(1) Apud S. Epiphanium, *Hær.* XVIII, 1.
(2) *Clement. Homil.* III, 47.
(3) Vid. Bleek, *Einleitung in das A. T.* § 68. 2a ed. Berolini, 1865.
(4) Hobbesius, *Leviathan* III, 33; Peyrerius, *Systema præadamiticum* l. c. 1-4; Spinoza, *Tract. polit.-theol.*
(5) Richard Simon, *Histoire critique du V. T.* c. 5-6. Paris. 1680.
(6) Clericus, *Sentiments de quelques théologiens de Hollande*, Amstel... 1768; *Comment. in Pentat. prol. diss.* 3, 1693.
(7) In libro *De origine et progressu idololatriæ*. 1696.

11. Hi auctores, a doctissimis viris sive Catholicis sive etiam Protestantibus confutati, paucos omnino suffragatores nacti sunt, usque ad initium hujus sæculi, quo Rationalistæ, quidquid supernaturale est de medio auferentes, Scripturæ inspirationem, mysteria, miracula et vaticinia, rejecerunt, Pentateuchi originem mosaicam ejusque integritatem et veritatem negarunt, miracula in eo contenta mythis seu fabulis annumerarunt, ceterorumque librorum narrationes et vaticinia vanissimis conjecturis perverterunt.

12. Primi in aciem prodierunt Fulda, Corrodi, Otmar, Nachtigall, præcipue vero Vater in suo in Pentateuchum Commentario (1). Is igitur demonstrare conatus est Pentateuchum nec a Moyse, nec ejus ætate fuisse conscriptum, sed constare variis fragmentis successu temporis in unum compactis, donec, circa tempora captivitatis Babylonicæ, pervenerit ad ultimam quam servavit formam. Non negat quidem Vater quædam fragmenta mosaicæ esse originis, sed ea, juxta illum, pauciora omnino sunt. Porro Vater ad hypothesin suam firmandam nulla testimonia, sed meras conjecturas profert. Observat nempe in Genesi et etiam in quatuor posterioribus Pentateuchi libris, Deum, duplici nomine, nunc *Elohim* (אֱלֹהִים) nunc *Jehova* (יְהוָה) vocari (2). Hinc ipse duplicis generis documenta distinguit : *Elohistica* nempe et *Jehovistica*. Tribuit porro documenta *Elohistica* scriptoribus qui Deum nomine *Elohim* designabant, *Jehovistica* auctoribus Deum nomine *Jehova* appellantibus. Observat insuper in Pentateucho dari repetitiones, narrationemque nunc disruptam videri, nunc fluere parciorem, nunc e contra fusiorem. Ex his omnibus concludit Pentateuchum constare diversis fragmentis

(1) J. S. Vater, *Comment. über den Pentat.* Halis 1802-1805, t. III, 393-728.

(2) Hanc nominum Dei distinctionem in Genesi jam observaverat Astruc, medicus Parisiensis (*Conjectures sur les mémoires originaux dont il paraît que Moïse s'est servi pour composer le livre de la Genèse.* Bruxelles, 1753). Exinde Astruc conjecerat Moysen narrationem Geneseos ex duplici præsertim fonte *Elohistico* et *Jehovistico* hausisse. Deinde alia adhuc distinxerat dissuta documenta, et tandem admiserat Moysen in Geneseos compositione duodecim diversa adhibuisse documenta, quæ absque ulla fere verborum immutatione in unum colligarat. Astruc secutus Eichorn diversa Geneseos documenta admisit, et simul Moysen universi Pentateuchi auctorem esse defendit in tribus prioribus suæ *Introductionis in S. Scripturam* editionibus. In quarta autem editione (1823-1824) Moysen deseruit, et negativa Rationalistarum placita amplexus est.

quæ incertus quidam auctor, diu post Moysen, et, ut videtur, circa tempus exilii Babylonici, servato ordine chronologico, in unum collegerit. Hanc *fragmentorum hypothesin* cum Vatero defendit Augusti.

13. Dum istas conjecturas plausibiles reddere satagebat Vater, De Wette, alius Rationalista notissimus, plura scripta vulgabat, in quibus cum Vatero negabat Pentateuchi auctoritatem, veritatem et originem mosaicam, et cum ipso contendebat libros Legis constare fragmentis Elohisticis et Jehovisticis, ab ignotis auctoribus diu post Moysen in unum compactis. In distinguendis autem documentis, in indicandis eorum auctoribus et valore, plurimum a Vatero dissentiebat. Cum De Wette perplures in Germania et alibi nactus sit discipulos et fautores, non abs re erit ejus sententiam paulo fusius exponere.

14. Primo observandum est De Wette suam sententiam non semel correxisse et immutavisse. In septima editione suæ *Introductionis* (1) ita mentem suam aperit. Libri historici V. T. in multis deficiunt, et mythis seu fabulis abundant. Habuerunt Israelitæ, sicut ceteræ nationes, sua tempora heroica seu fabulosa. Porro Pentateuchus antiquissima Israelis documenta continet, et antiquissimas gentis traditiones refert, quæ cum diu ore et carminibus propagatæ fuissent, nonnisi multo serius litteris consignatæ fuerunt, quando jam mythorum formam acceperant. Hinc non timet asserere Pentateuchum nihil aliud esse quam Judæorum epos seu carmen heroicum, in quo, ut fit in libris poetarum, humana divinis permiscentur. Constat autem Pentateuchus fragmentis ætate, valore et auctore, diversis. Ponit porro De Wette præcipuum Pentateuchi fontem esse scriptum quoddam *Elohisticum,* quod totum Pentateuchum pervadit et ejus veluti tramam constituit. Istud documentum auctor *Jehovisticus,* servato ejus stylo, transcripsit ; plura quæ deerant ex aliis monumentis supplevit et suis locis inseruit et quatuor prioribus Pentateuchi libris formam quam retinuerunt indidit. Tertius denique scriptor, et ipse *Jehovisticus,* quamvis a præcedenti diversus, Deuteronomium recentiori tempore aliis libris adjunxit. Pentateuchi igitur, qualis nunc exstat, tres fuerint

(1) *Einleit. in die kanon-und apokryph. Bücher des Alt. Testaments.* 7ª ed. Berolini, 1852. § 156-164, p. 162-206.

auctores, qui successive in illo conficiendo suas curas impenderunt. Porro scriptor *Elohisticus*, trium illorum antiquissimus, non ante tempora Davidis manum operi admoverit; qui vero scriptum Elohisticum ampliaverit et compleverit sub rege Joram vixerit; tertius denique auctor Deuteronomium sub rege Josia adjecerit.

15. De Wettii vestigia secuti sunt Hartman, Von Bohlen, Vatke, George, Stähelin, Lengerke, Bertheau, alii, qui tamen in multis a De Wette dissentiunt eumque impugnant.

16. H. Ewald (1) mythice interpretatur totam Israelis historiam et ponit Pentateucho conficiendo allaboratum fuisse per quinque successivas vices. Primo prodiit, ætate Samsonis, *liber fœderis*, antiquissima Pentateuchi, Josue et etiam Judicum, fragmenta, continens; deinde, sæculo Salomonis, exaratus fuit *liber originum* scripto De Wettii Elohistico fere respondens; postea, tempore Eliæ vel Joelis, facta est tertia conscriptio, qua præcedentibus nova documenta addita sunt; quarta conscriptio ad tempora Osiæ vel Joathanis pertinet; quinta denique, qua Pentateuchus ultimam suam formam accepit, sub Josia effecta fuerit. Knobel (2) cum Ewaldo fingit quinque successivas Pentateuchi conscriptiones, sed quoad tempus et auctores omnino differt. Bleek (3) agnoscit in Pentateucho contineri documenta mosaica. Juxta ipsum Pentateuchus pluries correctus et immutatus fuerit, donec *Deuteronomista* seu auctor Deuteronomii ei præbuerit formam quam nunc habet.

17. Systema Rationalistarum Germanorum in Hollandiam invexit Kuenen, in Universitate Lugduni Batavorum professor; is partim de Wettio, partim Ewaldo consentiens Pentateuchum ex libro Elohistico *de originibus* aliis scriptis Jehovisticis et Elohisticis adaucto constare affirmat, decalogum Moysi tribuit, alia documenta sub Davide, Salomone et Manasse, successive conscripta fuisse conjicit, donec Pentateuchus integre prodierit circa tempora exilii (4). Idem systema in Anglia propagarunt

(1) *Geschichte des Volkes Israel.* Ed. 2ª p. 80-175. Augustæ Vindelicorum, 1851. Tertia editio prodiit 1864. Plus semel sententiam suam correxit Ewald.

(2) In opere : *Kurzgefastes Exegetisches Handbuch zum A. T.*

(3) *Einleitung in das Alte Testament.* Berolini, 1865. p. 166-313.

(4) *Historisch-critisch onderzoek naar het ontstaan en de verzameling van de Boeken des ouden Verbonds,* in versione gallica : *Histoire critique des livres de l'A. T. par* KUENEN, *traduite par Pierson.* Paris, 1866, t. I, p. 72-298.

Davidson et præsertim Colenso, Natalis episcopus, cujus liber (1) tantis controversiis et litibus ansam præbuit in clero anglicano. Michel Nicolas eadem placita in Galliam inducere satagit. Hanc iste auctor ponit hypothesin : antiquissima apud Judæos exstiterint documenta, ex quibus sub regibus deprompta fuerunt quæ Pentateuchum efformant scripta Elohistica et Jehovistica ; porro juxta ipsum ista documenta ex solo usu nominum Dei distinguuntur (2).

18. Rationalistis plures Catholici et Protestantes doctissimas confutationes opposuerunt. Ex parte Protestantium citari merentur Kelle, Fritsche, Rossenmüller, Sack, Meyer, Ranke, Hengstenberg, Hävernick, Keil, Drechsler, Arnaud, Delitzsch et Kurtz, quorum tamen duo posteriores ad sententiam Richardi Simonis fere accedunt. Ex parte Catholicorum nominandi sunt Jahn, Scholz, Welte, Haneberg, Danko, Glaire, Reusch, Caminero Muñoz, in suis Introductionibus, Meignan, Smith, Schoebel, alii.

19. Antequam falsa quæ hucusque descripsimus systemata evertamus probando Moysen auctorem esse Pentateuchi, juvat observare Rationalistas universim quidem in neganda Moysi auctoritate convenire, in ceteris veromire dissentire. Etenim lis est inter eos de numero et antiquitate documentorum, de numero auctorum, de tempore scriptionis. Alius ponit duas Pentateuchi conscriptiones, alius tres, alius quinque ; hic Deuteronomium ceteris libris recentius , ille e contra antiquius affirmat. Vater ex nominibus *Elohim* et *Jehova* duas documentorum species discernit ; De Wette distinctionem ex nominibus Dei petitam insufficientem habet et a Vatero dissentit circa numerum, ætatem et indolem fragmentorum ; circa tempus, locum, auctores, a quibus ista fragmenta in unum collecta fuerint. Imo ipse in septem diversas suæ Introductionis editiones plus semel a seipso dissentit, et in posteriori negat quod in præcedenti affirmaverat. Surgit Stähelin et præcessorum pla-

(1) Prodiit sub titulo : *The Pentateuque and book of Josuah critically examined. Londini*, 1862-63.

(2) Michel Nicolas, *Études critiques sur la Bible, ancien Testament*. Paris, 1862, p. 1-95. Præiverat Renan, *Hist. Gén. des langues sémitiques*, Paris, 1855, p. 122 ; et ante eum S. Munck (*Univers pittoresque, la Palestine*, Paris, 1845) partes nonnullas historicas a Moyse abjudicaverat.

cita immutat; ecce Ewaldus novis conjecturis inauditos auctores fingens, nova documenta supponens. Advenit Michel Nicolas qui derelictam Vateri hypothesin reassumens audacter declarat Ewaldi placita mera esse figmenta, et a tempore Stähelin omnes Rationalistas modo prorsus arbitrario documenta distinxisse (1). Denique Kuenen ad trutinam revocat varias hypotheses de compositione Pentateuchi emissas, eas partim admittit, partim rejicit, et ingenue fatetur neminem hucusque Rationalistarum systema stabilivisse quod omnium suffragia obtineret (2). Ex his discordiis jam ostenditur debilitas argumentorum, quibus Rationalistæ suum systema stabilire conantur; alioquin enim non tanta incertitudine laborarent.

20. Præterea systema Rationalistarum omni fundamento caret. Etenim ad suas hypotheses probandas non argumenta sed conjecturas tantum afferunt. Palmare enim eorum argumentum reponitur in distinctione nominum Dei. In Pentateucho Deus duplici nomine vocatur nunc *Elohim* (אֱלֹהִים) nunc *Jehova* (יְהֹוָה), hinc duos vel plures Pentateuchi auctores pluraque fragmenta distinguunt; hinc in Pentateucho scripta *Elohistica* et *Jehovistica* fingunt, quid autem hoc argumento infirmius? Nonne bene potest unus idemque scriptor Deum duobus nominibus designare, quum utrumque nomen Deo recte conveniat? Nonne potuit Moyses quod possunt optimi scriptores, quando, sive ad exornandum stylum, sive ad vitandum tædium ob frequentem ejusdem nominis repetitionem, sive quia unum nomen magis in rem quadrat quam alterum, Deum nomine Omnipotentis vel Providentiæ designant? Si, ex eo quod in Pentateucho Deus nunc *Elohim* nunc *Jehova* nuncupatur, plures agnoscendi sunt istius scripti auctores, plures etiam erunt auctores Prophetiarum Isaiæ, Jeremiæ, et Oseæ, et Amosi et etiam Sophoniæ, imo plures fingendi erunt auctores unius ejusdemque Psalmi (3). Præterea sæpius in eadem narratione Deus nunc *Elohim* nunc *Jehova* vocatur; hoc reperire est v. g. in narratione diluvii (4)

(1) *Études critiques sur la Bible*, p. 44, 47, 48.

(2) *Histoire critique des livres de l'ancien Testament*, t. I, p. 113.

(3) Sic in Psalmo XVII, versu 1, 2, 3, 4, 7, 14, 16, 19, 21, 29, 30, 31, 32, 42, 47, 50, Deus dicitur *Je ova;* versu autem, 3, 7, 29, 30, 31, 32, 33, 47, 48, dicitur *Elohim*.

(4) Cfr. *Gen.* VI, 3, 5, 9, 12, 22; VII, 16; VIII, 15, ubi Deus nomine *Elohim*

et sacrificii Isaaci, in historia Josephi, in exhortationibus quas ad populum Moyses habet in Deuteronomio (1). Quis non videt absonum plane esse unius ejusdemque orationis intime cohærentis plures ponere auctores qui dissuta fragmenta composuerint? quæ fragmenta si separentur narrationem inextricabilem et sensu destitutam efformant. Præterea Deus sæpe dicitur composito vocabulo *Jehova-Elohim*, quis porro auctor habebitur istorum partium? An Elohista, an Jehovista, an tertius quispiam? Michel Nicolas fatetur ibi inesse gravem difficultatem. De Wette autem et Kuenen, omnibus perpensis, coguntur fateri distinctionem ex nominibus Dei petitam esse insufficientem. Quare ipsi provocant ad repetitiones, contradictiones, perturbationes, ad styli diversitatem, alia. Pentateuchus ipsis videtur ob istos defectus ex fragmentis compositus.

21. Dari repetitiones in Pentateucho non est quin negemus, sed istæ repetitiones non magis probant plures illius esse auctores, quam ter repetita narratio conversionis S. Pauli probat plures esse Actuum Apostolorum auctores. Quod stylus nunc concisus, nunc prolixus, inæqualis fluat, quod narratio recta serie et secundum ordinem chronologicum non semper procedat, nihil exinde adversus Moysen assumi potest. Quod enim Pentateuchus ex fragmentis compositus appareat, hoc verum esse potest, si Moyses, quod opinamur, in scribenda Genesi

designatur ; at VI, 8; VII, 1, 5, 9, 16; VIII, 20, 21 *Jehova* dicitur. In eodem versiculo VII, 16 utrumque nomen obtinet : *Et quæ ingressa sunt, masculus et femina ex omni carne introierunt, sicut præceperat ei* Deus : *et inclusit eum* Dominus *de foris*. Hunc versiculum interpolatum gratuito asserit de Wette (§ 150.) Kuenen vero eumdem versiculum *Jehovisticum* dicit ; quonam fundamento hoc affirmet frustra quæsieris.

(1) Cfr. *Deuter*. IV, 1, 2, 3, 4, 5, 7, 10, 19, 21, 23, 24, 26, 27, 31, 32. In hac oratione Moyses Deum interdum *Elohim*, interdum *Jehova*, appellat. Conveniunt porro Kuenen et De Wette unum eumdemque scriptorem esse istius orationis. Si autem distinctus nominum Dei usus non probat hic contra unum auctorem, cur alibi probaret ? — Quærunt auctores quo consilio Moyses in uno loco nomen *Elohim*, in altero *Jehova*, adhibuerit ? An solius varietatis, aut exornandi styli causa ? An respective ad objectum narrationis, usurpando nomen *Elohim* ubi sermo fit de Deo creatore et dirigente universaliter omnia, et adhibendo nomen *Jehova*, ubi agitur de Deo auctore gratiæ, Messiam promittente et Israelitas protegente ? An alias ob causas ? Difficile est has quæstiones solvere. Interim vid. Danko, *Hist. revel. bibl.* p. 97-101, Haneberg, *Hist. revel. bibl.* p. 218, et commentatores ad *Exod.* VI, 3.

varios fontes consuluerit, et per vices et partes, juxta eventuum seriem, quatuor posteriores libros digesserit. Diversitas styli ex diversitate rerum et temporum repetenda est. Aliter namque Moyses virili ætate, aliter senectute gravatus, aliter in describendis legibus, aliter in exhortando aut increpando populo, loqui debuit. Ad contradictiones quod attinet, probabimus infra eas non esse nisi apparentes. Ex his omnibus jam concluditur hypotheses a Rationalistis excogitatas nullo firmo niti fundamento (1).

III. *Moyses auctor est Pentateuchi.*

22. Hæc propositio probatur argumentis externis et internis. Et primo quidem constanti ac perpetua Judæorum et christianorum traditione. Etenim Christus ejusque Apostoli sæpius provocarunt ad Legem Moysi, sub quo vocabulo scriptum a Moyse librum, non autem librum de Moyse agentem designarunt. Sic Christus Sadducæos redarguens (*Marc.* XII, 26) ait : *Quod resurgant legistis in libro Moysi ;* et Judæis respondens rem magis explicat (*Joan.* V, 46) : *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit.* Ista autem Lex Moysi, quæ etiam liber Moysi a Christo appellatur, diversa non erat a Pentateucho ; non erat mera quarumdam Legum collectio, sed ea omnia complectebatur quæ in Genesi, Exodo, Levitico, Numeris et Deuteronomio, referuntur. Ex hisce enim quinque libris plura recitantur sub nomine vel Moysi, vel Legis Moysi in novo Testamento (2). Porro, tempore Christi, omnes Judæi,

(1) Vid. Arnaud, *Le Pentateuque mosaïque*, p. 48-185. Recte observat p. 69 : « Si les livres de Moïse ne se donnaient pas comme divins et ne renfermaient pas le récit d'événements surnaturels, ils ne seraient pas évidemment l'objet d'une guerre si vive et si acharnée, car assurément l'authenticité d'aucun livre profane ne résisterait à l'emploi de procédés semblables à ceux auxquels on recourt pour ruiner l'authenticité du Pentateuque. Que l'on admette ces procédés comme valables et légitimes, et il sera facile d'établir qu'Homère n'a pas écrit l'*Iliade*, Virgile l'*Enéide*, Strabon sa *Géographie*, Hérodote son *Histoire*, Josèphe ses *Antiquités hébraïques*. »

(2) Cfr. *Matth.* VIII, 4; XII, 5; XIX, 7; XXII, 24, 40; *Marc.* I, 44, VII, 10; X, 3; XII, 19, 26; *Luc.* II, 22; V, 14; X, 26; XX, 28, 37; XXIV, 27; *Joan.* I, 17, 45; III, 4; V, 46; VI, 32; VII, 19, 22; VIII, 5; IX, 28; X, 34; XV, 25; XIX, 56; *Act.* III, 22; VII, 35; XV, 5; *I Cor.* IX, 8; *Gal.* IV, 5-22; etc.

tam Pharisæi quam Sadducæi et Scribæ et commune vulgus, Legem Moysi auctori tribuebant (1). Eadem persuasione ducti Josephus et Philo Pentateuchum Moysi vindicant. Si ex ordine ad antiquiora tempora ascendimus, eamdem traditionem invenimus in libris Machabæorum, et in libris Esdræ et Nehemiæ.

23. Non abnuunt Rationalistæ Pentateuchum sub Esdra exstitisse ; sed quidam ex illis, ut Michel Nicolas, fingunt Esdram Pentateuchum confecisse ex documentis Elohisticis et Jehovisticis. Quomodo autem Esdras Judæis persuasisset ut libros recenter confectos, qui tot ritus, tot instituta, includebant cum tota eorum vita tum civili, tum domestica, tum religiosa intime connexa, qui tot adversus eos objurgationes minasque continebant, qui jugum ipsis durum imponebant, quomodo, inquam, persuasisset ut tales libros tamquam a Moyse profectos venerarentur? Si Esdras libros fabricaverit, certo hoc fecerit postquam a captivitate redux fuit ; sed jam ante hoc tempus Judæi Pentateuchum habebant, jam sacerdotes et levitæ in officiis suis constituti erant : *Sicut scriptum est in libro Moysi* (2) ; jam Zorobabel et qui cum eo in Judæam redierant *altare Dei Israel ædificaverant, ut offerrent in eo holocautomata, sicut scriptum est in Lege Moysi viri Dei* (3). Hinc jubetur Esdras afferre et per septem dies legere coram populo congregato, non librum quem confecerit, sed *librum Legis Moysi quam præceperat Deus Israeli* (4). Quare et ipse Esdras ascendens de Babylone nequaquam Legis auctor, sed *scriba velox in Lege Moysi, quam Dominus Deus dedit Israel,* appellatur (5). Hoc ipse Esdras testatur. Imo, jam ante captivitatem , Jeremias fratribus in Babyloniam deportandis Legem Moysi seu Pentateuchum (nam hac voce nihil aliud significatur) servandum tradiderat *ne obliviscerentur præcepta Domini* (6). Jam tunc etiam exstabat Pentateuchus samaritanus (7). Igitur Esdras nec Pentateuchum

(1) Cfr. *Matth.* XXII, 24; *Marc.* XII, 19; *Luc.* XX, 28; Joan. I, 45; VIII, 5; etc.
(2) *I Esdr.* VI, 18.
(3) *I Esdr.* III, 2.
(4) *II Esdr.* VIII, 1-18.
(5) *I Esdr.* VII, 6.
(6) *II Mach.* II, 2.
(7) Vid. t. I, p. 98, sqq.

fabricavit nec eum ex documentis Elohisticis aut Jehovisticis compegit. Nam, in textibus allatis nullum de istis documentis verbum habetur, sed simpliciter sermo fit de Lege Moysi, de Libro Moysi.

24. Quapropter alii Rationalistæ, Ewald, De Wette, Kuenen, Pentateuchum in tempora Josiæ reponunt, et hanc suam sententiam firmare student ex iis quæ in libris Regum et Paralipomenon (1) narrantur de reperto Legis volumine in templo ab Helcia sacerdote. Volunt enim lectionem hujus libri ideo regem et populum ad pœnitentiam induxisse, quod antea liber ipsis non innotuisset, librum vero non innotuisse, quia non exstaret. Sed contrarium apparet ex ipsa narratione, in qua hæc habentur. Anno decimo octavo regis Josiæ, quum artifices ædificia templi instaurarent, Helcias pontifex reperit librum Legis in domo Domini et ait ad Saphan scribam : « librum Legis inveni in domo Domini : » et tradidit ei. At ille intulit volumen ad regem eique recitavit. Audita lectione, rex pœnitentia motus congregavit in templo sacerdotes, levitas omnemque populum eisque volumen perlegit. Illico omnes cum rege spoponderunt se observaturos præcepta et ceremonias in libro contenta, præsertim vero se ab idololatria recessuros. Quid in hac narratione adversariis faveat non video. E contra sequitur librum Legis non tunc confectum, sed antea exstitisse ; siquidem dicitur Helciam librum *reperisse*, non confecisse. Porro voces *liber Legis*, vel ut in loco parallelo expressius habetur *liber Legis Domini per manum Moysi*, Pentateuchum designant aut saltem Deuteronomium quod est Legis repetitio. Sive autem unum sive alterum admittatur, hoc nihil facit ad præsentem quæstionem. Nam Deuteronomium supponit quatuor priores libros. Porro volumen repertum majori veneratione ideo acceptum fuerit, quod esset pretiosus quidam codex in templo conservatus, forte ipsum exemplar quod jusserat Moyses ad latus arcæ reponere. Quidquid sit, ab adversariis quærimus : an liber a nescio quo auctore nullibi memorato cum tanta reverentia acceptus fuisset? an liber, auctoritate destitutus, potuisset populum ab idololatria retrahere et ad pœnitentiam tam vehementem inducere ?

(1) *IV Reg.* XXII-XXIII; *II Paral.* XXXIV.

25. Sed fingamus cum Rationalistis exstitisse, sub Josia vel paulo ante, nescio quem corruptorem, toti traditioni prorsus ignotum, et sæculo decimo nono in templo Rationalistarum denique inventum, qui quædam fragmenta et decreta Moysi tributa assuens, exinde integrum legum codicem, omnes cultus religiosi cæremonias, vitæque civilis et domesticæ mores ordinantem, populoque jugum durum imponentem efformaverit, corruptor ille huic codici historiam addiderit, in qua humillima quæque de populo Israelitico narraverit, in qua maxima portenta, plagas Ægypti, transitum maris, dationem Legis, et manna de cœlo per quadraginta annos populum nutriens, retulerit, in qua sæpius affirmaverit Moysen jussu Dei hæc scripsisse, ut essent in monumentum; in qua prophetias futuram populi electi vitam describentes posuerit; in qua denique Legem aliquam inscripserit, qua populus jubetur libros illos legere eorumque solemnem lectionem singulis septenniis audire; quin et regem ipsum singulari lege ad libros legendos adstrinxerit; hæc omnia incredibilia fecerit unus aliquis figmentorum amans, et universi, tum populus, tum principes, tum plebei, tum sacerdotes et levitæ, hos libros admiserint, hos libros tamquam a Moyse profectos venerati fuerint, quis sanæ mentis hoc asseruerit? Talia fingunt, qui miracula negant. Sed nonne portentorum illud maximum est, quod fictitium sic recepissent librum?

26. Ceterum, ante Josia omnia quæ in Pentateucho habentur notissima erant. Etenim in libris Prophetarum, Regum, Judicum et Josue continuo alluditur ad leges, facta et miracula, in Pentateucho relata. Non semel asseritur hoc vel illud contineri in Lege Moysi, in volumine Legis Moysi, quod utique indicat sermonem fieri de Lege scripto servata, id est, de Pentateucho.

27. Michæas propheta, qui sub Joathan, Achaz et Ezechias vivebat, ponit historiam Balaami et promissiones factas Abrahæ et Jacobo tamquam notissimas (1). Eodem tempore Osee provocat ad historiam Jacobi prout in Genesi narratur et ad liberationem Israelitarum ex Ægypto (2). Fere coævus Amos rememorat mansionem in deserto quadraginta annis, destructionem Amor-

(1) *Mich.* VI, 5; VII, 20.
(2) *Osee* XII, 3-13.

rhæorum et alia in Pentateucho relata (1). Verbo, omnes Prophetæ continuo populum revocant ad observationem Legis. Nullibi autem sermo fit de Lege diversa ab ea quam in Pentateucho habemus. Hoc manifestius adhuc evincitur ex libris Regum, et ex Psalmis temporis Davidici. Sic *IV Reg.* XIV, 6 narratur quod Amasias non occidit filios eorum qui occiderant ejus patrem *juxta quod scriptum est in libro Legis Moysi*. Diu ante Amasiam, David Salomonem filium suum ad observationem eorum quæ in Pentateucho referuntur hortatur hisce verbis : *Observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut custodias cæremonias ejus, et præcepta ejus et judicia, et testimonia, sicut scriptum est in Lege Moysi* (2). Non memorat David nescio quæ scripta Elohistica et Jehovistica, quæ nullibi allegantur, bene vero Legem Moysi scriptam, Legem cæremonias, præcepta, judicia et testimonia complectentem, quæ Lex diversa esse nequit a nostro Pentateucho. Alia ex libris Regum et Paralipomenon recitanda essent testimonia, si hoc necesse foret (3). In Psalmis celebrantur beneficia, facta, promissiones et leges quæ in Genesi, Exodo, Levitico, Numeris et Deuteronomio referuntur (4). Uno verbo, universa populi Israelitici historia, omnia eorum scripta, Pentateuchum exstantem et a Judæis cognitum supponunt.

28. Etenim jam ante Davidis tempora historia Israelitarum sub Judicibus ad Pentateuchum provocat eumque supponit (5). Imo paulo post mortem Moysi in libro Josue, qui cum Moyse vixerat, Pentateuchus diserte Moysi auctori vindicatur. Etenim cap. I, 7-8, Deus sic loquitur ad Josue : *Confortare igitur, et esto robustus valde : ut custodias, et facias omnem Legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus... Non recedat volumen Legis hujus ab ore tuo : sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quæ scripta sunt in eo.* Et cap. VIII, 30-35 : *Tunc ædificavit Josue altare Domino Deo Israel in monte Hebal : sicut præceperat Moyses famulus Domini filiis Israel, et*

(1) *Amos* II, 9, 10 ; IV, 11.
(2) *III Reg.* II, 3.
(3) Vid. *III Reg.* VIII, 53, 56; *IV Reg.* XIV, 6; *I Paral.* XV, 15; XXII, 13 ; *II Paral.* V, 10; VIII, 13; XXIII, 18, etc.
(4) Vide præsertim Psalmos LXXXVIII, CII-CV.
(5) *I Reg.*, XII, 6; *Jud.* I, 20; III, 4; VI, 8; XI, 7, 13, 16-26; etc.

scriptum est in volumine Legis Moysi... Et scripsit super lapides Deuteronomium Legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israel... Post hæc legit omnia verba benedictionis et maledictionis, et cuncta quæ scripta erant in Legis volumine. Nihil ex his, quæ Moyses jusserat, reliquit intactum, sed universa replicavit coram omni multitudine. Et cap. XXIII, 6, Josue populo sic loquitur : *Confortamini, et estote solliciti, ut custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine Legis Moysi.* Deinde càpite sequenti Josue ex ordine in memoriam populo revocat omnia Dei beneficia, prout describuntur in quinque Pentateuchi libris. Ista autem Josue verba ab ipso descripta fuerunt in *volumine Legis Domini.* Hisce autem textibus non solum Deuteronomium, sed tota Lex designatur. Nam Josue omnibus præceptis ipse obsequi, et in omnium observatione continere populum debuit : at multa præcepta sunt quæ in Deuteronomio non habentur ; sed reperiuntur in aliis libris. Igitur volumen Legis præter Deuteronomium alios etiam libros continebat.

29. Ex his omnibus sequitur : 1° historiam in Pentateucho comprehensam a tempore Moysi fuisse inter Judæos notissimam, legesque ibi relatas fuisse receptas tamquam a Moyse datas ; 2° librum exstitisse has leges continentem ; 3° hunc librum nostro Pentateucho omnino consentaneum fuisse et ad tempora Mosaica esse referendum; 4° Moysi nec ulli alteri fuisse attributum. Vel igitur libri Josue, Judicum, Regum et Prophetarum, nullam fidem merentur vel Pentateuchus Moysi est adscribendus ; nec licet plures somniare istius libri auctores ; nam horum auctorum nullibi mentio quæpiam fit. Constans ergo et perpetua traditio a morte Moysi usque ad Christum docet Pentateuchum opus esse Moysi. Igitur concludere possumus : Nemo negabit Virgilium auctorem esse Æneidos, Historiæ Romanæ Titum Livium, Ciceronem Catilinarum, quia constans et perpetua traditio et fides publica hoc asserunt. Ergo idem argumentum valere debet, ubi de auctore Pentateuchi agitur.

30. Quum Judæi omne commercium cum gentibus vitarent, mirum non esset auctores profanos Moysen ignorasse. Eorum igitur silentium traditionem Judæorum infirmare non valeret. Attamen plures ex illis Moysen tamquam ducem et legislatorem Hebræorum salutant. Nominandi sunt Manetho, Chæremon, Apion, scriptores ægyptii, quorum testimonia nobis servavit

Josephus (1), Diodorus Siculus, qui inter præcipuos populorum legislatores Moysen recenset et addit hunc Moysen leges suas tamquam a Deo *Jao* acceptas tradidisse (2). Aliorum plurium testimonia nobis servarunt Clemens Alexandrinus, Eusebius, S. Justinus, Athenagoras et Tatianus (3).

31. Propositio confirmatur argumentis ex ipso libro depromptis. Auctor quatuor posteriorum librorum continuo eventus, sermones et leges refert tamquam qui omnium testis fuit, et rebus ipse interfuit. Plura porro refert quæ solus Moyses vidit, plura quæ ita exacte et cum minutis circumstantiis personarum, locorum et temporum, describuntur, ut solus scriptor coævus ea scribere potuerit (4), plura etiam quæ excludunt auctorem Moyse recentiorem. Sic plures leges supponunt populum in castris fuisse et in deserto, aliæ supponunt Israelitas nondum in terram Chanaan advenisse (5). Defectus etiam ordinis qui in referendis legibus observatur indicat auctorem coævum. Auctor enim posterior leges illas meliori ordine disposuisset, et leges eamdem rem respicientes simul conjecisset. Auctor vero Pentateuchi leges refert absque ordine et connexione quemadmodum latæ sunt et cum notatione eventuum qui eis occasionem dederunt; ita ut dicendum sit leges illas scripto mandatas fuisse statim ac edebantur. Accuratam cognitionem quam prodit auctor rerum ægyptiacarum, præsertim in referenda historia Josephi, indicat scriptorem, qualis est Moyses, qui diu cum Ægyptiis versatus fuerit. Hæc quæ observavimus cogunt reponere exarationem quatuor posteriorum Pentateuchi librorum in tempora mosaica. Porro isti libri supponunt Genesim quæ continet quamdam veluti introductionem ad libros posteriores et arcte cohæret cum illis ; initium enim Exodi non est nisi continuatio ultimi capiti Geneseos.

32. Ex his omnibus sequitur, quo tempore Moyses vixerit, eodem Pentateuchum fuisse exaratum a viro omnium Moysi

(1) *Contra Apionem*, I.

(2) Diodorus Siculus, *Hist.* l. I.

(3) Vid. Huet. *Demonstr. evang.* prop. IV, c. 2-12; plura tamen ex allatis ab ipso testimoniis ad rem probandam infirmiora sunt.

(4) *Exod.* III-IV; XV, 23; XVI, 1; *Lev.* X, 1-5; *Num.* VII, etc.

(5) *Lev.* IV, 12. XIII, 46; XIV; 3, 8, 34; XVI, 27; XXV, 2; *Num.* XV, 2; *Deuter.* VI, 1-19; VII, 1-5; VIII, 1; IX, 1-6; XII, 10; XXIII, 10; XXV, 17-19; etc.

dictorum et factorum apprime erudito. Nemo autem melius id agere potuit quam ipse Moyses. Imo nemo alius nisi ab ipso Moyse edoctus id facere potuisset. Porro pluribus Exodi, et Numerorum capitibus diserte asseritur ea non ab alio sed a Moyse ipso fuisse conscripta. Sic *Exod.* XVII, 14 jubetur a Deo Moyses scribere victoriam de Amalec reportatam : *Scribe hoc ob monumentum in libro* (1) *et trade auribus Josue.* Quum pervenissent Israelitæ ad montem Sinai Deus decalogum promulgavit variaque præcepta judicialia edixit, quæ Moysen conscripsisse constat ex cap. XXIV, 4, 7 : *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini... Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo.* Et postquam Deus hisce præceptis alia addidisset, rursus cap. XXXIV, 27 : *Dixitque Dominus ad Moysen : Scribe tibi verba hæc, quibus et tecum et cum Israel pepigi fœdus. Numer.* XXXIII, 1–2, legimus : *Hæ sunt mansiones filiorum Israel, qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas in manu Moysi et Aaron, quas descripsit Moyses juxta castrorum loca quæ Domini jussione mutabant. Deut.* XXXI, 9 : *Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi.* Et *vers.* 22 : *Scripsit ergo Moyses canticum, et docuit filios Israel.* Deinde *vers.* 24 : *Postquam ergo scripsit Moyses verba Legis hujus in volumine atque complevit : præcepit levitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens : Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri.* Sive autem totum Pentateuchum vel solum Deuteronomium hisce textibus indicare voluerit, hoc parvi refert. Nam Deuteronomium supponit libros præcedentes (2), et in utroque casu semper concludendum remanet Pentateuchum

(1) Hebraice בַּסֵּפֶר cum articulo. Ex quo patet quo tempore ista victoria conscripta est, jam extitisse librum in quo Moyses hæc addiderit. Hinc conjicere licet alia a Moyse jam fuisse exarata, ut v. g. quæ spectant plagas Ægyptiacas.

(2) Deuteronomium mentionem ingerit plurium eventuum qui in Exodo præsertim et Numeris habentur ; præterea sæpe iisdem verbis recitat leges in libris præcedentibus relatas, quandoque quædam verba vel addit vel resecat. Posteriorem esse legislationem Deuteronomii legislationi Sinaiticæ his verbis indicatur cap. XXIX, 1 : *Hæc sunt verba fœderis quod præcepit Deus Moysi ut feriret cum filiis Israel in terra Moab, præter illud fœdus, quod cum iis pepigit in Horeb.* Porro Moyses ipse in Deuteronomio libros præcedentes jam scriptos esse satis indicat, quando in suis hortationibus dicit servanda esse ea quæ *scripta sunt in hac lege, in hoc volumine* (*Deut.* XXIX, 20, 27; XXX, 10). Hoc fatentur ipsi adversarii, ut Kuenen cap. I, 1.

ætate Moysi fuisse confectum non ab alio sane quam a Moyse; nam Moyses solus scripsisse cognoscitur, et ipse præ ceteris omnia prout habentur enarrare potuit. Nec audiendi sunt qui volunt Moysen leges dumtaxat scripsisse, scribas autem et notarios publicos historiam digessisse, quod docuit olim Richardus Simon, et tenent hodie inter Protestantes Delitzsch et Kurtz. Etenim gratuita prorsus est ista assertio et nullo testimonio probari potest. In Pentateucho asseritur Moysen facta quædam et leges scripsisse; quod autem exstiterint notarii publici vel scribæ qui eadem ætate aliquid scripserint, nec in Pentateucho nec alibi ullo modo innuitur. Ex his igitur omnibus sat superque constat Moysen auctorem esse Pentateuchi (1).

Solutio difficultatum.

33. *Obj.* 1a. Auctor continuo loquitur de Moyse quasi alia sit persona. Etenim de Moyse semper scribit in tertia persona : « Moyses fecit, Moyses dixit. » Quinimo dicitur *Exod.* VI, 26 : *Iste est Moyses; Exod.* XI, 3 : *Fuit Moyses vir magnus valde;* et *Num.* XII, 3 : *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* Ex ista loquendi ratione et ex istis elogiis patet distinguendum esse Pentateuchi auctorem ab ipso Moyse. Ita Kuenen, alii.

34. *Resp.* Quod auctor de Moyse loquatur in tertia persona, nihil exinde sequitur. Etenim alii habentur in sacris litteris qui idem fecerunt, ut Esdras, S. Matthæus, et S. Joannes, et apud profanos Xenophon, Cæsar, Josephus, etc. Imo ipse Moyses in benedicendo populo (*Deut.* XXXIII, 4) de seipso locutus est in tertia persona (2). Ad elogia quod attinet, oportebat ut Moy-

(1) Recte jam suo tempore Dupinus dixit : « De tous les paradoxes que l'on a avancés en notre siècle, il n'y en a point à mon avis de plus téméraire et de plus dangereux, que l'opinion de ceux qui ont osé nier, que Moïse fût l'auteur du Pentateuque. Car qu'y a-t-il de plus téméraire, que de nier un fait, qui est établi par des passages formels de l'Écriture Sainte, par l'autorité de Jésus-Christ, par le consentement de toutes les nations, et par des témoignages authentiques des plus anciens auteurs? » (*Dissert. prélim. sur la Bible*, liv. I, c. III, § 1.)

(2) « Scripturæ sacræ est moris, inquit Gregorius Magnus, ut ipsi qui scribunt, sic de se in illa quasi de aliis loquantur. Hinc est enim quod Moyses ait : *Erat vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* Hinc Joannes dicit : *Discipulus ille quem diligebat Jesus.*

Deuteronomium asserunt Protestantes compositum 700 annos ante Christum

sed se a Deo missum esse declararet. Quod autem alicubi mitissimum se dixit, hoc ideo annotaverit ut indicaret ultionem ibi memoratam non ab ipso sed a Deo sumptam esse. Ceterum si suas laudes refert Moyses, suas etiam culpas non omittit (*Num.* XX, 2-12, *Deut.* I, 37).

35. *Obj.* 2° Quod Pentateuchus ex fragmentis diversæ originis et ætatis sit compositus hoc constat : 1° ex variis titulis et conclusionibus quæ sparsim in Pentateucho habentur, ut *Gen.* II, 4 : *Istæ sunt generationes cœli et terræ; Gen.* V, 1 : *Hic est liber generationis Adam ; Lev.* VII, 37 : *Ista est lex holocausti ; Lev.* XIII, 59 : *Ista est lex lepræ*, etc. 2° Ex omissionibus et lacunis. Etenim si Moyses ipse scripsisset non omisisset referre ea quæ evenire debuerunt illo quadringentorum annorum spatio, quo Israelitæ commorati sunt in Ægypto, nec siluisset ea, quæ in deserto gesta sunt ab anno secundo post exitum ex Ægypto usque ad annum trigesimum nonum. 3° Ex repetitionibus et contradictionibus quibus scatent non solum Genesis sed etiam alii libri. Ex his omnibus constat Pentateuchi plures agnoscendos esse auctores eosque Moyse recentiores.

36. *Resp.* 1° Tituli et conclusiones distinguendis singulis ejusdem libri partibus inserviunt, nec magis probant contra Moysen quam contra auctorem libri Regum aut libri Esdræ. Quid enim ? Nonne potuit Moyses, postquam retulit leges holocausti, vel lepræ, ad distinguendas ab invicem istas leges dicere : ista est lex holocausti, ista est lex lepræ? 2° Multa Moyses omisit, vel ob causas nobis incognitas, vel quia ad ejus scopum non conducebant. Etenim scopus Moysi, ut diximus, spectabat omnia quæ conservationem veræ religionis per populum a Deo electum et directum attinebant. Moyses autem non intendebat integram Israelitarum historiam conscribere. 3° Repetitiones nihil probant. Quid enim impedit quominus idem auctor eamdem rem pluries referat et in uno loco circumstantias exprimat in altero omissas, ut factum invenimus in libro *Actuum*? Igitur etiamsi repetitionum quæ in Pentateucho habentur ratio nulla reddi posset, nihil exinde contra Moysen. Attamen plurium istarum repetitionum ratio patet. Sic in Deuteronomio leges jam datæ iterantur, quia Deuteronomium præcise elaboratum est ut compendium istarum legum populo præberet. In aliis libris leges ordine chronologico referuntur; et ubi Deus legem

aliquam jam latam complet, aut alterius quasi basim proponit, ista lex repetitur. Aliæ dantur ex aliis causis repetitiones. Sic *Exod.* XXVI, sqq. jubet Deus fieri tabernaculum ejusque ornamenta et utensilia, et jubendo singulorum instrumentorum formam describit; deinde *Exod.* XXXVI, sqq. narratur ista instrumenta prorsus quomodo Deus præceperat fuisse confecta, et idcirco rursus earum forma describitur. Denique occurrunt in Pentateucho facta inter se fere similia, quæ ob istam similitudinem recentiores critici confundunt in unum, sic adinvenientes repetitionem ubi revera nulla repetitio adest. Quod attinet contradictiones, uno verbo respondemus eas non esse nisi apparentes et remittimus ad Calmetum, Bonfrerium, Cornelium a Lapide aliosque catholicos exegetas qui istas omnes difficultates solvunt. Sic v. g. Rationalistæ ponunt contradictionem inter Deuteronomium narrans legiferam Dei manifestationem factam fuisse in monte *Horeb* et alios libros eamdem manifestationem in monte *Sinaï* reponentes. Sed contradictio est mere apparens. Nam idem mons est duo cacumina habens, quorum unum *Horeb*, alterum priore altius assurgens, *Sinaï* dicebatur (1). Hinc idem mons, *Exod.* XXXIII, 6, *Horeb*, et *Exod.* XXXIV, 2, *Sinai*, vocatur.

37. *Obj.* 3° In Pentateucho plura inveniuntur quæ produnt ætatem Moyse recentiorem, quæque idcirco Moyses, utpote tunc mortuus, describere non potuit. Hujus generis sunt: 1° Animadversiones plures ad mensuras, monetam et geographiam spectantes, ut, quando observat auctor mensuram *Gomor* esse decimam partem *Ephi* (2); siclum sanctuarii habere viginti *Obolos* (3); civitatem *Arbee* esse *Hebron* (4); Abrahamum persecutum esse hostes usque *Dan* (5); lectum ferreum Og, regis Basan, novem cubitos longitudinis habens adhuc ostendi in

(1) Mons ille, in media pæninsula Sinaitica situs, assurgit ad aquilonem in cacumen Horeb. (alt. 6,120 p.) et versus Austrum in cacumen altius (alt. 7,080 p.) quod Scriptura *Sinai*, Arabes vero hodierni *Djebel-Musa*, appellant. Huic eminet magis adhuc ad austrum cacumen seu mons S. Catharinæ (alt. 8,168 p.) Cfr. L. de Laborde, *Comment. géographique sur l'Ex.* p. 105-110. Par. 1841; Rosenmüller, *Scholia in V. T.* ad *Exod.* III, 1.

(2) *Exod.* XVI, 36.

(3) *Exod.* XXX, 13; *Num.* III, 47; XVIII, 16

(4) *Gen.* XIII, 18; XXIII, 2; XXXV, 27. Cfr. *Josue* XIV, 15; *Jud.* I, 10.

(5) *Gen.* XIV, 14.

Rabbath filiorum Ammon (1). Istæ animadversiones produnt ætatem Moyse recentiorem ; nam, quo tempore Moyses vivebat, necesse non erat indicare quid caperet mensura Gomor, nec monere de extraordinaria longitudine lecti Ogi ; siquidem hæc apprime omnibus nota esse debebant. Ejusdem generis sunt : 2° Observationes quibus dicitur : *Chananæus autem tunc erat in terra* (2). *Vocavitque ex nomine suo Basan, Havoth Jaïr, id est, Villas Jaïr, usque in præsentem diem.*

38. *Resp.* Possemus simpliciter concedere istas observationes, aliasque similes esse glossemata aut additamenta recentiori tempore ab aliquo hagiographo vel ab Esdra in Pentateucho inserta, ut explicarentur quæ obscura videbantur. Etenim non est quin negemus de libris sacris quod de libris profanis sæpius factum est : annotationes scilicet quasdam margini appositas quandoque in textum irrepsisse. Sicut enim talia librorum profanorum auctoritatem non tollunt, sic nec Scripturis sacris nocere debent. Attamen auctores complures, iique graves, ostendunt allegata testimonia a Moyse scribi potuisse. Sic, v. g. Moyses, describens lecti regis Ogi longitudinem et latitudinem, non fecit nisi quod faciunt historici scriptores, quando rem quamdam extraordinariam narrant ; voluit nempe coævis et lectoribus futuris probare magnam Ogi proceritatem. Locutio vero *usque in præsentem diem* tam bene a Moyse dici potuit, quam a S. Matthæo, XXVII, 8 : *Vocatus est ager ille Haceldama usque in hodiernum diem.* Quod autem Scriptura, narrans Abrahami in terram promissam adventum, addit : *Chananæus autem tunc erat in terra*, potest ita intelligi ut dicatur : jam tunc Chananæus erat in terra, quod utique Moyses scribere potuit (3).

39. *Inst.* 1° *Gen.* XXXVI, 31-40 octo reges Edomitarum numerantur, qui regnasse dicuntur antequam regem haberent filii Israel. Proinde, cum Saul fuerit primus Judæorum rex, Genesis saltem conscripta non est ante regnum Saulis. 2° *Exod.* XVI, 35 narratur Israelitas manna comedisse quadraginta annis usque dum venirent in regionem Chanaan. Moyses autem ad

(1) *Deuter.* III, 10-11.
(2) *Gen.* XII, 6; Vid. etiam *Gen.* XIII, 7.
(3) Has difficultates fusius solvunt Huet, *Demonstratio christiana, prop.* IV, c. 14; Welte, *Nachmosaiches in Pentat.* Friburg. 1841. part. II. c. 1. p. 162, seqq.

terram Chanaan non pervenit. 3° *Deuter.* I, 1 dicitur : *Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses trans Jordanem.* Constat porro Moysen Jordanem non transisse. 4° In Deuteronomio capite ultimo referuntur Moysi obitus luctusque Judæorum, atqui hæc a Moyse non amplius superstite scribi nequiverunt. Ex his omnibus rursus evincitur Pentateuchum Moyse recentiorem esse.

40. *Resp.* Ad 1^m^. Cum inter Esau, primum Edomitarum parentem, et Saulem, primum Judæorum regem, septingenti anni effluxerint, patet octo reges Edomitarum usque ad tempora Saulis minime sufficere, proindeque plures adesse debuisse, si tempore Saulis Genesis scripta fuisset. Explicari potest locus, vel dicendo non agi de regibus proprie dictis, vel Moysen ita locutum esse quia prophetice prævidebat Israelitas regem habituros, vel Esdram hanc annotationem addidisse.

41. Ad 2^m^. *Exod.* XVI, 35 simpliciter dicitur Israelitas manna comedisse, *usquequo tangerent fines terræ Chanaan.* Jamvero Israelitæ tetigerunt fines Chanaan ante mortem Moysi, cum tribus Ruben et Manasse jam tunc occupaverant omnem regionem Chanaan ad orientem Jordanis sitam.

42. Ad 3^m^. Pro *trans Jordanem* hebraice dicitur בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן, verbotenus *in transitu Jordanis,* hæc locutio aliquando orientalem, aliquando occidentalem Jordanis ripam denotat. בְּעֵבֶר, proprie *in transitu,* ordinarie quidem *trans,* interdum tamen *cis,* sonat. In hoc igitur loco ripa Jordanis citerior seu orientalis eique adjacens terræ tractus designantur, quum Moyses Jordanem nunquam transiverit. Eodem sensu locutio בְּעֵבֶר sumitur *Deut.* III, 8, ubi Moyses narrans res Israelitarum gestas : *tulimus,* inquit, *illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant* בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן hoc est, *cis Jordanem ;* nam Amorrhæi illi reges, Og nempe rex Basan, et Sehon rex Hesebon, ratione habita Moysi loquentis, erant *cis Jordanem ;* infra autem in eadem oratione Moyses eadem verba de regione transjordanensi usurpat (1). Retorqueri potest argumentum. Si locutio בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן necessario intelligenda sit de locis trans Jordanem sitis adeoque exigat ut dicamus auctorem Deuteronomii in Cha-

(1) *Deut.* III, 8, 20. Cfr. *Num.* XXXII, 32; *Deut.* IV, 41, 46, 49; *Josue* I, 15; XII, 1; *I Paral.* XXVI, 30.

nanæa ad occasum Jordanis scripsisse, tunc montes Garizim et Hebal ex *Deut.* XI, 29, 30 ponendi erunt ad orientem Jordanis; nam in loco allegato dicuntur esse *trans Jordanem.* Porro respectu auctoris ad occasum Jordanis habitantis isti montes sunt *cis* Jordanem. Locutio igitur בְּעֵבֶר ambigua est, et nunc ulterioribus, nunc citerioribus locis annotandis ab eodem scriptore adhibetur. Inde fit ut in Deuteronomio et in libro Josue non semel ad hanc locutionem adjungatur *ad orientalem plagam, ad occiduam partem,* ad tollendam ambiguitatem et apertius designandam vel citeriorem vel ulteriorem partem (1).

43. Ad 4m. Josephus putavit Moysen spiritu prophetico mortem suam, antequam eveniret, descripsisse; sed verius apparet mortem Moysi initium constituisse libri Josue, qui olim cum Pentateucho conjungebatur; postea, separatis libris, Deuteronomio cesserit, ut mors summi viri præclaris ejus gestis conjungeretur. Hanc sententiam firmant Thalmudistæ.

44. *Obj.* 4a. Lingua Pentateuchi ætatem Moyse multo recentiorem prodit; siquidem vix, si pauca excipiantur verba, differt a sermone quo usi sunt Prophetæ, Isaia, Jeremia et alii; eædem quippe cernuntur vocum formæ, eædem structuræ grammaticales, eædem figuratæ locutiones, eadem pronuntiatio; quæ omnia utique non adessent, si Pentateuchus spatio octo sæculorum scripta Prophetarum præcessisset. Decursu enim temporum, ut experientia constat, linguæ multum mutantur.

45. *Resp.* Talis linguarum decursu temporis mutatio non semper adest. Multum distant Demosthenes et S. Chrysostomus, lingua tamen vix discrepant. Talis autem est indoles linguæ hebraicæ et linguarum cognatarum, syriacæ, chaldaicæ et arabicæ, ut invariabiles quodammodo istæ linguæ per sæcula decurrant. Hoc unusquisque sibi demonstrare potest, si conferat scripta syriaca S. Ephremi cum scriptis Gregorii Barhebræi. Idem enim sermo syrus reperitur, apud utrumque, quamvis spatio mille annorum separentur. Hanc linguarum semiticarum incommutabilitatem et ipsi Rationalistæ confiteri coguntur (2).

(1) Vid. Huet., *Demonstr. christ.* prop. IV, c. 14; Rosenmüller, *Scholia in V. T.* ad *Deut.* I, 1.

(2) Ita D. Renan, *Hist. gén. des langues sémit.* p. 120 : « Cette ressemblance n'a rien d'incroyable pour celui qui s'est fait une idée juste de la fixité des langues sémitiques; les langues sémitiques en effet ne vivent pas comme les lan-

46. *Obj.* 5ª. Stylus non decurrit uniformis per totum Pentateuchum, sed narratio nunc simplex, brevis, compendiosa, nunc e contra ornata, abundans et prolixa, conspicitur. Præterea, et illud præsertim notandum est, in quibusdam fragmentis Deus nomine *Elohim* designatur, in aliis vero nomine *Jehova,* quod certe indicat diversos fuisse Pentateuchi auctores.

47. *Resp.* Quod stylus non ubique idem conspiciatur, hoc ex rebus narratis, ex scopo Moysi, ex tempore quo scripsit et ex aliis circumstantiis bene explicari potest. Etenim nemo nescit alium esse stylum auctoris juvenis, alium ejusdem senis facti. Diversitas nominum Dei nihil probat, ut ostendimus supra (1).

IV. *De integritate Pentateuchi.*

48. Hic in antecessum observare oportet duplicem distinguendam esse integritatem, *substantialem,* quæ narrationis substantiam, et *accidentalem,* quæ minutas circumstantias, spectat. Vix monendum est nos agere dumtaxat de integritate substantiali. Ultro enim concedimus plura menda vitio librariorum in Pentateuchum irrepsisse, atque nonnulla, sive ex proposito sive ex negligentia, fuisse vel addita, vel omissa, vel mutata quoad res levioris momenti, ut fit in libris profanis; quod fusius explicavimus, ubi sermo fuit de conservatione textus hebraici (2).

49. Pentateuchus integer et incorruptus ad nos pervenit. Eadem enim fides publica et totius gentis judaicæ per omnes generationes perducta traditio, quæ probat Pentateuchum genuinum esse Moysi opus, etiam probat eum integrum semper et incorruptum permansisse : siquidem integræ semper nationi persuasum fuit se illud ipsum opus habere, quod a Moyse acceperunt Patres eorum, neque additum quidquam fuisse aut detractum iis, quæ Moyses scripserat. Ergo si hæc fides publica et constans traditio invicte probat Pentateuchum esse authenticum eodem jure probat illum esse integrum, eo vel magis quod nullum detegi possit corruptionis indicium. Hinc Josephus testa-

gues indo-européennes : elles semblent coulées dans un moule, d'où il ne leur est pas donné de sortir. »

(1) Supra p. 12-14.

(2) Vid. Part. I, p. 83-100.

tur (1) : « Quanta porro veneratione libros nostros prosequamur re ipsa apparet. Cum enim tot jam sæcula effluxerint, nemo adhuc adjicere quidquam illis, nec demere, nec commutare ausus fuit. Sed omnibus nobis, statim ab ipso nascendi exordio hoc insitum atque innatum est, Dei ut hæc esse præcepta credamus, iisdemque constanter adhærescamus, et eorum causa, si opus fuerit libentissime mortem perferamus. »

50. Et revera, si Judæi corrumpere voluissent Pentateuchum, utique loca illa delevissent, in quibus prævaricationes, inobedientiæ erga Deum, scelera, impietates eorum, ipsis exprobrantur : quod tamen non fecerunt. Igitur Pentateuchus non fuit interpolatus a Judæis, qui ceteroquin non ausi fuissent, ut ait Josephus, librum corrumpere, quem summa in veneratione habebant. Quod etiamsi efficere voluissent, vix aut ne vix quidem fieri poterat ; nam Pentateuchus in manibus omnium habebatur, publice populo legebatur singulis septenniis ; sacerdotes et levitæ eum custodire debebant ; ex eo libro hauriebatur cognitio omnium quæ ad rempublicam Judaicam gubernandam pertinebant ; hoc libro totus cultus describebatur. Libri autem ita publici adulterari fraude paucorum non possunt, sed neque fraude multorum, quia impossibile est ut tota multitudo consentiat in rem tam gravem.

51. *Obj*. Triplex habetur historiæ mosaicæ chronologia, una textus hebraici, altera textus samaritani, tertia versionis Septuaginta ; quæ omnes valde inter se differunt : ergo corruptus fuit Pentateuchus.

52. *Resp*. Fides non denegatur libris historicis ex eo quod in eorum chronologiis aliqua reperiatur diversitas. Hujusmodi enim diversitates integritatem substantialem non tollunt, sed tantum accidentalem ob quam nullus liber rejici potest. Nemo enim nescit quam facile amanuenses lapsu memoriæ, oscitantia oculorum, similitudine vocum ac litterarum, aut negligentia, in transcribendis codicibus numeros immutent, præsertim si illi numeri litteris indicentur, quod, in describendis codicibus, olim apud Hebræos factum fuisse Scaligerus aliique docti viri autumant. Porro discrepantia, quæ observatur relative ad chronologiam Patriarcharum inter textum hebræum, textum samarita-

(1) *Contra Apion. m.* I, 8.

num et versionem LXX, quæque jam prorsus eadem occurrebat in codicibus quando Eusebius Cæsariensis scripsit *Chronicon* suum, non excedit limites immutationis accidentalis, quæ librariis imperitis, negligenter codices describentibus aut eos negligentius emendantibus, tribui possit. Etenim pro tempore ante diluvium, de quo præsertim queritur, tres textus in nominibus, numero et successione patriarcharum, omnino conveniunt, discrepantia tantum in numerandis annis adest, et hæc discrepantia nec eventus memorabiles afficit, nec historiam turbat aut aliquam veritatem revelatam lædit.

Ut res melius intelligatur subjicimus tabellam, genealogiam capitis V Geneseos referentem; in qua littera A indicantur anni cujusque patriarchæ antequam ipsi nasceretur filius in genealogia recensitus, littera B anni huic nativitati posteriores, littera C anni totius vitæ.

Generationes ante diluvium. *Gen.* V	Textus Massorethicus			Textus Samaritanus			Versio Septuaginta		
	A	B	C	A	B	C	A	B	C
Adam	130	800	930	130	800	930	230	700	930
Seth	105	807	912	105	807	912	205	707	912
Enos	90	815	905	90	815	905	190	715	905
Cainan	70	840	910	70	840	910	170	740	910
Malaleel	65	830	895	65	830	895	165	730	895
Jared	162	800	962	62	785	847	162	800	962
Enoch	65	300	365	65	300	365	165	200	365
Mathusalem	187	782	969	67	653	720	167	802	969
Lamech	182	595	777	53	600	653	188	565	753
Noe	500	450	950	500	450	950	500	450	950
Usque ad diluvium.	100			100			100		
Summa.	1656			1307			2242		

Istæ discrepantiæ tales jam ab Eusebio (*Patrol. græc.* XIX, 155, sqq.) observatæ fuerunt quales nunc exstant. Quando autem, a quonam, qua de causa inductæ fuerint, ignotum est. Anceps hærens Augustinus (*) post prolixam disputationem hæc habet: « Ubi numeri non faciunt intentum ad aliquid quod facile possit intelligi, vel quod appareat utiliter disci, et negligenter describuntur, et negligentius emendantur. Quis enim existimet sibi esse discendum, quot millia hominum tribus Israel sigillatim habere potuerunt? Quoniam prodesse aliquid non putatur.

(*) *De civit. Dei*, lib. XV, c. XIII, 2. De hac quæstione vid. De Valroger, *L'âge du monde et de l'homme*. Paris, 1869.

V. *De historica Pentateuchi auctoritate.*

53. Rationalistæ non solum Pentateuchum a Moyse abjudicant, sed facta supernaturalia in eo descripta fictitia esse seu mythica declarant, adeoque vere accidisse prout narrantur, prorsus negant. Juxta eos igitur historia sacra non differt a profana ; et quemadmodum antiquiora gentium documenta mythis referta sunt, ita Pentateuchus fabulosa gentis Judaicæ tempora describit. Quantum autem a veritate aberrent demonstrandum nobis est. Quare sit :

PROPOSITIO :

Vera sunt quæ in Pentateucho narrantur.

54. Veritas historica Pentateuchi res erit testatissima et extra controversiam posita, si probaverimus Moysen, Pentateuchi auctorem, nec falli nec fallere potuisse. Porro utrumque illud patebit, si ipsam Moysi personam et rerum ab ipso narratarum indolem attente consideraverimus.

55. Et primo quidem Moyses non fuit deceptus. Etenim a filia Pharaonis ex aquis servatus, et in aula regia Pharaonis in Ægyptiorum sapientia educatus eruditusque, apprime cognoscere potuit ea, quæ initio Exodi de servitute Hebræorum in Ægypto narravit. Nec ullus invenitur qui accuratius quam Moyses has res debuerit cognoscere. Porro quæ in reliqua Exodi parte et in tribus posterioribus libris referuntur, vel ab ipso Moyse gesta sunt, vel ipso vidente atque teste contigerunt. Ipse enim Moyses Deum in rubo vidit, coram Pharaone adstitit, populum ex Ægypto, plagis impositis, eduxit. Moyse duce, Hebræi mare transierunt, et in deserto per quadraginta annos commorati sunt. Præterea Moyses a Deo accepit leges quas populo promulgavit. Quis igitur somniare potest Moysen in hisce rebus narrandis fuisse deceptum ? Quis negare potest Moysen et factorum quæ narrat et legum quas refert esse testem summe idoneum ?

56. Difficultas movetur ex libro Geneseos. Etenim quæ ibi

describuntur, iis Moyses nec agens nec testis interfuit; ea tamen certissime scire potuit. Quæ quidem creationem hominis præcesserunt ea nonnisi ex revelatione divina facta Adamo aut Patriarchis aut ipsi Moysi, qui tam sæpe Dei alloquio dignatus fuit, innotuerunt. Quæ vero creationem hominis subsecuta sunt, ea Moyses depromere potuit ex antiqua et in Patriarcharum familiis conservata traditione. Hæc autem traditio eo fidelius conservabatur quod divinas revelationes divinasque promissiones generi humano lapso et familiæ Abrahæ factas complectebatur.

57. Moysi non fuit admodum difficile illibatam omnique fictione puram præcedentium temporum historiam colligere. Quo enim tempore ipse natus est, vix ab initio mundi effluxerant duo millia et quadringenti anni (1). Talis autem fuit Patriarcharum longævitas, ut paucæ generationes hoc temporis spatium implerent. Etenim Moyses a patre suo Amram facile didiscit totam Josephi, Jacobi, Isaaci et Abrahæ historiam. Nam Amram, qui 137 annis vixit, potuit per plures annos conversari cum ipso Josepho, a quo, sicut ab avo suo Levi aliisque Jacobi filiis, facile acceperit quæ Josepho, Jacobo, aliisque Patriarchis contingerant. Levi autem, filius Jacobi et avus Amrami, jam quadraginta annis natus erat quando avus ejus Isaacus mortuus est. Adhuc autem Sem, filius Noe, in vivis erat quando natus est Isaacus. Isaacus potuit eo familiariter uti per annos quadraginta tres; ab ipso potuit accipere historiam diluvii, turris Babelicæ et dispersionis populorum; siquidem eventus tam stupendi non ita facile e memoria hominum delentur. Porro Sem centum annis natus ante diluvium initia fere rerum attigit; quo enim tempore natus est, adhuc in vivis erat Mathusala qui cum Adamo diu fuerat. Sex igitur generationes Moysen usque ad initia temporum perducebant (2). Nec dubium

(1) In hac computatione sequimur textum hebraicum. Tempus producitur in versione LXX; vis autem ratiocinii quod deduximus eadem remanet etiamsi quis chronologiam græcam sequi malit.

(2) Adamus mortuus est anno mundi 930. Mathusala, filius Enochi, natus est 223 ante mortem Adami et vitam produxit usque ad diluvium (an. 687-1656); Sem, Noe filius, vixit 600 annis (an. 1558-2158); Isaac, Abrahæ filius, vixit 180 annis (an. 2108-2288); Levi, Jacobi filius, vixit 137 annis (an. 2248-2385); Caath, ejus filius, vixit 133 annis: denique Amram, ejus filius et pater Moysi, vixit 137 annis et mortuus est in Ægypto.

est alia ipsi præsto fuisse ad narrationem instruendam subsidia: turris Babelicæ vestigia, quæ adhuc exstabant quando Nabuchodonosor hanc turrim reædificari jussit, monumenta et altaria in memoriam manifestationum Dei a Patriarchis erecta atque inscriptionibus exornata (1), fortasse etiam genealogiæ, narrationes, carmina litteris exarata.

58. Illud præterea notatu dignum est, quod Genesis pauciora omnino refert de prima mundi ætate, ac ea imprimis narrat quæ oblivione non facile deleri poterant : prolixior autem fit narratio ab Abrahamo ; ab eo enim tempore propiora narrat et Judaicæ genti propria : in quo prorsus differt historia Geneseos a mythologicis gentium libris qui eo magis fabulis et portentis abundant, quo antiquiora narrant. Alia observare est differentia in eo quod mythologia gentium antiquitatem populorum exaggerat, et sæcula et successiones regum et deorum multiplicat, dum e contra Moyses fabulosa illa millia annorum resecat. Sic, quando scribebat Moyses, nondum mille anni a diluvio effluxerant. Si quis tum proferre potuisset monumentum mille annis antiquius eo ipso falsi Moyses reus deprehendebatur ; si duæ nationes testari potuissent se ab octo aut novem sæculis eodem eloquio jam usas esse, Moyses mendacii arguebatur (2).

59. Ex huc usque dictis constat Moysen in scribendo Pentateucho non fuisse deceptum ; siquidem maximam partem ipse ex visu et auditu descripsit. In iis vero quæ ex traditione et monumentis eruit, non facilius deceptus fuerit quam in iis quæ propriis oculis vidit ; nam et antiquitatis peritus et in omni Ægyptiorum sapientia educatus, omnia apprime discernere et vera a falsis distinguere noverat.

60. Nec Moyses alios decipere voluit ; nihil enim est in ejus scriptis quod fraudis suspicionem movere possit. E contra ipsa Moysi indoles ac tota agendi et scribendi ratio testem probant sincerum et ab omni dolo atque fallacia remotum. Qui enim alios vult decipere, ad fraudem inducitur aliquo proprii commodi vel gloriæ studio. Moyses autem nunquam propriæ gloriæ

(1) Cfr. *Gen.* XII, 7-8; XIII, 18; XVI, 13; XXII, 14; XXIII, 16-20; XXXII, 30, etc.

(2) Cfr. Bergier, *Traité de la vraie religion* p. II, c. 3.

aut propriis commodis studet. Narrat quidem miracula a se patrata : plagas Ægypti, mare divisum, aquam e rupe eductam ; quæ quidem gloriam ipsi afferre nata sunt ; at simul indicat se nonnisi Dei instrumentum fuisse, et ingenue narrat quomodo in his patrandis a fide Deo debita nonnumquam defecerit, et ab ingressu in terram promissam exclusus fuerit. Nec gloriam nominis aut antiquitatis sibi aut suæ genti a majoribus vindicare studet, ut faciunt gentium historici. E contra narrat Hebræos adhuc paucissimos et abjectos fuisse quum jam florerent gentes vicinæ Ægyptiorum, Chaldæorum et Chananæorum. Narrat delicta populi et familiarum; refert testamentum Jacobi, e quo opprobrium redundabat in tribum Levi, a qua tamen oriundus ipse erat. Tam procul autem ab exquirendo proprio commodo abest, ut, filiis suis in levitarum plebe relictis, Aaronem sacerdotem et Josue ex tribu Ephraïm, ducem populi constituerit. Ubique tum in vita ipsius, tum in sermone exhibetur optimi viri effigies, eximius morum candor, fraudis ac falsitatis nescia indoles, egregia in Deum pietas, studium virtutis constans, in narrandis suis et suorum erroribus admiranda ingenuitas, in ferendis ingrati populi contradictionibus summa patientia et charitas. Moyses nunquam vitiis hominum blanditur, nunquam populi favorem aucupatur ; sed gravissimas leges imponit hominibus duræ cervicis, iisque rebellionem, crimina, impietatem, sæpius et dure exprobrat ; nullos adhibet testes ad fraudem comparatos, sed provocat ad fidem publicam, ad universi populi testimonium. Imo et stylus ipse simplex et apertus modestiæque plenus, satis ostendit auctorem candidum et veracem omnemque expellit fraudis suspicionem. Ex his satis patet Moysen decipere noluisse.

61. Præterea facta in Pentateucho descripta ita publica sunt, ita inter se intime connexa, ita cum vita et fatis populi Israelitici cohærentia, ut Moysi impossibile fuerit decipere, etiamsi voluisset. Etenim quoad historiam Geneseos, eam omnes Israelitæ ex traditione et aliis monumentis tam bene quam Moyses cognoscebant, et eorum intererat ejus accuratam notionem servare, siquidem in illa, in promissionibus scilicet Patriarchis factis, omnis eorum spes reponebatur et ratio reddebatur circumcisionis cui adstringebantur ; quod vero attinet aliorum librorum historiam, plagas Ægyptiacas, transitum maris, da-

tionem Legis in monte Sinai, manna e cœlo per quadraginta annos descendens populumque in deserto nutriens, quis admittet Moysen in his decipere potuisse? Omnis populus horum testis fuerat. Si ista facta ficta sunt, Moyses persuasit innumeris hominibus ipsos ea vidisse quæ non viderunt, persuasit Israelitis ipsos mare Rubrum transisse quod non transierunt, manna comedisse per quadraginta annos, quod non fecerunt, in deserto mansisse, in quo nunquam fuerunt, Legem a Moyse accepisse, dum nihil acceperunt. Quis tam absurda admittet? Necesse tamen est ea admittere, si Moyses falsa scripsisse ponatur. Moyses Israelitis leges duras, observatu difficiles, imposuit; harum legum Deum auctorem asseruit, morte mulctavit una vice quadraginta hominum millia qui aliquam Legis præscriptionem neglexerant, quis dicet Israelitas ita jugum impostoris toleravisse (1)? Igitur Moyses, etiamsi fraudi studuisset, eam perficere non potuisset. Ex his concludimus Moysen nec deceptum nec deceptorem fuisse adeoque vera esse quæ in Pentateucho narrantur.

Difficultates solvuntur.

62. *Obj.* 1°. Vix aliquid certi cognoscimus de singularum gentium originibus; fabulis et fictionibus scatent antiquissima gentium monumenta; nonnisi fabulas et mythos habemus apud

(1) Recte ait Glaire (*Introduct. à l'Ecr. S. T.* III, c. 4): « Moïse eût été le plus téméraire et le plus impudent des hommes, si, le peuple n'ayant jamais vu aucun de ces prodiges (les plaies d'Egypte, etc.) il eût ôsé lui soutenir qu'il les avait réellement vus et l'en prendre à témoin; et si le peuple, n'ayant vu aucun de ces prodiges, eût cru, sur la parole de Moïse, qu'il les avait vus, il eût été le plus insensé et le plus stupide de tous les peuples : un pareil égarement d'esprit serait inconcevable dans un seul homme; mais dans un peuple composé de deux millions de personnes il serait le plus grand des prodiges. Si les Israélites ont cru les miracles de Moïse, c'est la remarque judicieuse de Duvoisin, il faut avouer que ces faits son vrais, ou soutenir que les Israélites étaient un peuple privé de l'usage des sens et de la raison. S'ils ne les ont pas crus, leur conduite est le comble du délire et de l'extravagance, car d'obéir pendant quarante ans à un imposteur reconnu comme tel, de se soumettre à toutes les lois qu'il lui plaît de dicter, de se laisser tranquillement égorger par ses ordres, c'est un excès de stupidité qui ne se conçoit point; ce serait dans une nation un prodige de démence mille fois plus incroyable que tous les prodiges du Pentateuque. »

aut propriis commodis studet. Narrat quidem miracula a se patrata : plagas Ægypti, mare divisum, aquam e rupe eductam ; quæ quidem gloriam ipsi afferre nata sunt ; at simul indicat se nonnisi Dei instrumentum fuisse, et ingenue narrat quomodo in his patrandis a fide Deo debita nonnumquam defecerit, et ab ingressu in terram promissam exclusus fuerit. Nec gloriam nominis aut antiquitatis sibi aut suæ genti a majoribus vindicare studet, ut faciunt gentium historici. E contra narrat Hebræos adhuc paucissimos et abjectos fuisse quum jam florerent gentes vicinæ Ægyptiorum, Chaldæorum et Chananæorum. Narrat delicta populi et familiarum; refert testamentum Jacobi, e quo opprobrium redundabat in tribum Levi, a qua tamen oriundus ipse erat. Tam procul autem ab exquirendo proprio commodo abest, ut, filiis suis in levitarum plebe relictis, Aaronem sacerdotem et Josue ex tribu Ephraïm, ducem populi constituerit. Ubique tum in vita ipsius, tum in sermone exhibetur optimi viri effigies, eximius morum candor, fraudis ac falsitatis nescia indoles, egregia in Deum pietas, studium virtutis constans, in narrandis suis et suorum erroribus admiranda ingenuitas, in ferendis ingrati populi contradictionibus summa patientia et charitas. Moyses nunquam vitiis hominum blanditur, nunquam populi favorem aucupatur ; sed gravissimas leges imponit hominibus duræ cervicis, iisque rebellionem, crimina, impietatem, sæpius et dure exprobrat ; nullos adhibet testes ad fraudem comparatos, sed provocat ad fidem publicam, ad universi populi testimonium. Imo et stylus ipse simplex et apertus modestiæque plenus, satis ostendit auctorem candidum et veracem omnemque expellit fraudis suspicionem. Ex his satis patet Moysen decipere noluisse.

61. Præterea facta in Pentateucho descripta ita publica sunt, ita inter se intime connexa, ita cum vita et fatis populi Israelitici cohærentia, ut Moysi impossibile fuerit decipere, etiamsi voluisset. Etenim quoad historiam Geneseos, eam omnes Israelitæ ex traditione et aliis monumentis tam bene quam Moyses cognoscebant, et eorum intererat ejus accuratam notionem servare, siquidem in illa, in promissionibus scilicet Patriarchis factis, omnis eorum spes reponebatur et ratio reddebatur circumcisionis cui adstringebantur ; quod vero attinet aliorum librorum historiam, plagas Ægyptiacas, transitum maris, da-

tionem Legis in monte Sinai, manna e cœlo per quadraginta annos descendens populumque in deserto nutriens, quis admittet Moysen in his decipere potuisse? Omnis populus horum testis fuerat. Si ista facta ficta sunt, Moyses persuasit innumeris hominibus ipsos ea vidisse quæ non viderunt, persuasit Israelitis ipsos mare Rubrum transisse quod non transierunt, manna comedisse per quadraginta annos, quod non fecerunt, in deserto mansisse, in quo nunquam fuerunt, Legem a Moyse accepisse, dum nihil acceperunt. Quis tam absurda admittet ? Necesse tamen est ea admittere, si Moyses falsa scripsisse ponatur. Moyses Israelitis leges duras, observatu difficiles, imposuit ; harum legum Deum auctorem asseruit, morte mulctavit una vice quadraginta hominum millia qui aliquam Legis præscriptionem neglexerant, quis dicet Israelitas ita jugum impostoris toleravisse (1)? Igitur Moyses, etiamsi fraudi studuisset, eam perficere non potuisset. Ex his concludimus Moysen nec deceptum nec deceptorem fuisse adeoque vera esse quæ in Pentateucho narrantur.

Difficultates solvuntur.

62. *Obj.* 1°. Vix aliquid certi cognoscimus de singularum gentium originibus ; fabulis et fictionibus scatent antiquissima gentium monumenta ; nonnisi fabulas et mythos habemus apud

(1) Recte ait Glaire (*Introduct. à l'Ecr. S. T.* III, c. 4) : « Moïse eût été le plus téméraire et le plus impudent des hommes, si, le peuple n'ayant jamais vu aucun de ces prodiges (les plaies d'Egypte, etc.) il eût ôsé lui soutenir qu'il les avait réellement vus et l'en prendre à témoin ; et si le peuple, n'ayant vu aucun de ces prodiges, eût cru, sur la parole de Moïse, qu'il les avait vus, il eût été le plus insensé et le plus stupide de tous les peuples : un pareil égarement d'esprit serait inconcevable dans un seul homme ; mais dans un peuple composé de deux millions de personnes il serait le plus grand des prodiges. Si les Israélites ont cru les miracles de Moïse, c'est la remarque judicieuse de Duvoisin, il faut avouer que ces faits son vrais. ou soutenir que les Israélites étaient un peuple privé de l'usage des sens et de la raison. S'ils ne les ont pas crus, leur conduite est le comble du délire et de l'extravagance, car d'obéir pendant quarante ans à un imposteur reconnu comme tel, de se soumettre à toutes les lois qu'il lui plaît de dicter, de se laisser tranquillement égorger par ses ordres, c'est un excès de stupidité qui ne se conçoit point ; ce serait dans une nation un prodige de démence mille fois plus incroyable que tous les prodiges du Pentateuque. »

profanos auctores circa originem Romanorum, Græcorum, Indorum, Sinensium, Chaldæorum, Ægyptiorum. Tempora heroica seu fabulosa ubique præcesserunt tempora historica. Quod etiam de origine populi Judaici dicendum est. Prima enim illius gentis monumenta rebus portentosis, fabulis, mythis, de unitate generis humani, de origine mali, de diluvio et dispersione gentium plena sunt.

63. *Resp.* Ex eo quod dubiæ fidei sint prima ceterarum gentium monumenta, exinde minime sequitur nos nihil certi de origine Hebræorum possidere. Ex eo enim quod unus aut plures historiographi falsa dixerint non sequitur omnes falsa narravisse. Scriptores profani fabulas narrant, utpote testimoniis certis destituti; non quæ ipsi viderint referunt, sed quæ fama vagusque rumor ad eos detulerunt. Fabulis student scriptores profani, quia eo consilio scribunt ut gentem suam prætensa divina origine et remotissima antiquitate nobilitent. Moyses e contra narrat quæ vel ipse vidit vel certissima traditione accepit; fabulosam genti suæ antiquitatem non præbet, nec Israelitarum gloriam et nobilitatem exaggerare conatur; imo potius contrarium facit narrando Israelitarum probra, infidelitates, seditiones et murmurationes. Moyses igitur vera dixit, quia ea dixit quæ perspicue noverat; profani vero scriptores falsa, quia historicis monumentis carentes non alium habuerunt ducem quam fallacem quæ crescit eundo famam.

64. *Instant.* Attamen fabulis annumeranda esse quæ de opere sex dierum in Genesi narrantur patet ex scientiis naturalibus. Ii enim terræ scrutatores, quos hodie, recepto vocabulo, *Geologos* vocamus, inspecto terræ sinu, docent orbem nostrum, nonnisi post plurimas successivasque informationes longo temporis intervallo distantes, ad præsentem statum devenisse; siquidem ex vestigiis plantarum et animalium, quorum species non amplius exstant, in variis telluris substratis repertis, ex ossibus eorum in terra conservatis manifestissime patet hæc omnia minime fuisse creata intra spatium sex dierum.

65. *Resp.* Etiamsi scientia geologica in præsenti suo statu cum narratione mosaica pugnare videretur, exinde tamen narrationis veritas non infirmaretur. Etenim veritas Pentateuchi, ut probavimus supra, stabilitur argumentis historicis certis et a quocumque admittendis. Qui ista argumenta vellet repudiare

contra dictamen sanæ rationis pugnaret; ratio enim jubet tanquam veram recipere narrationem quamcumque talibus argumentis suffultam. Porro scientia geologica, quemadmodum generatim scientiæ naturales, naturâ suâ mutabilis et perfectibilis est; experientia et observatione factorum particularium progreditur; hypothesibus nititur. Igitur natura sua talis est ut numquam valeat evertere argumenta historica certa. Quare, etiamsi scientia geologica Moysi contraria videretur, exinde nequaquam labefactaretur ejus auctoritas; bene vero desumeretur indicium aliquo adhuc defectu laborare scientiam geologicam, vel nos non satis perspicere sensum narrationis quacum geologiam componimus vel nexum qui inter eam atque Scripturam intercedit. Hoc hodie eo facilius admittendum foret, quod scientia geologica vix nascitur, et tanta adhuc in terræ sinu remanent examinanda, ut plurima, quæ nunc a geologis communiter admittuntur, in dubium fortasse post paucos annos revocanda sint, postquam docti, progrediente scientia, novas terras scrutati fuerint vel nova *fossilia* (1) repererint.

66. Attamen plurimi nunc reperiuntur geologi, qui demonstrant geologiam in præsenti suo statu, si juxta præcipua sua lineamenta generatim consideretur, prorsus cum narratione mosaica consonare; quamvis si minutatim ad singula attendatur non ita facile sit perfectam inire concordiam (2). Ad finem quidem sæculi elapsi rerum naturalium periti impetu vehementi insurgebant in narrationem mosaicam, quasi Moyses omnia falsa dixisset. Nec desunt hodie qui, præjudicatis opinionibus

(1) Ita appellantur plantarum animantiumque reliquiæ et vestigia plerumque in petras conversa, pristinam tamen formam retinentia.

(2) Fuse et docte hanc quæstionem tractarunt Wiseman, *Discours sur les rapports entre la science et la religion révélée*. Bruxelles 1838; Waterkeyn, *La science et la foi sur l'œuvre des six jours*. Louvain, 1845; Pianciani, *In historiam creationis mosaicam*. Lov. 1853; Marcel de Serres, *La cosmogonie de Moïse*, 3e ed. Paris, 1860; Meignan, *L'homme et le monde primitif selon la Bible*. Paris, 1869; Molloy, *Géologie et révélation*, traduit par Hamard. Paris, 1875; Pozzi, *La terre et le récit de la création*, Paris, 1874. De la Vallée Poussin, *Revue catholique*, 1871, p. 5. seqq, 1876, 198. Sufficiat hic adducere verba doctissimi geologi Dina, viri acatholici qui, deprehensa ista mira scientiarum cum narratione Moysi consensione, exclamat: « Si Geneseos liber authenticus est, divinæ originis sit oportet. Etenim antiquorum nemo nisi lumine supernaturali illustratus narrationem Moysi adornare potuit. » (Dina, *Manual of geology*. Philadelphie, 1863, p. 743, sqq.)

potius quam scientia ducti, eos imitentur. At alii viri, scientia ceteris haud inferiores, variis modis concordiam inter scientias naturales et narrationem mosaicam inire tentarunt. Quidam arbitrati sunt orbem a creatore conditum terrasque eo ordine superpositas fossilibusque ornatas prout hodie conspicitur. Sed hæc hypothesis, quæ omnem difficultatem statim removet, cuinam geologorum arridebit ? certe novis scientiæ incrementis haud satisfaciet. Alii, ut Buckland, Wiseman, conjecerunt omnia quæ a geologis deteguntur condita fuisse intra productum illud temporis spatium quo, juxta Moysen, *terra erat inanis et vacua ;* supervenisse deinde magnum cataclysmum, quo omnia destructa fuerint ; huic successisse creationem sex dierum totam ad recentiorem geologicam ætatem pertinentem. Hæc autem sententia hodie omni fundamento scientifico carere declaratur. Quare recentiores generatim aliam concordiæ viam ineunt. Mirantur imprimis in Genesi narrari lucem factam fuisse ante solem, quod apprime consonat cum sententia recentiorum physicorum. Ætate autem Moysi nullus rerum naturalium peritus hoc suspicatus erat. Narrat Moyses Deum successive fecisse plantas, pisces et volucres, bestias terræ, et ultimo loco hominem. Porro geologi observant a terræ visceribus ad ejus superficiem varia strata superposita, quæ ipsi in *primaria* (*terrains primaires*), *secundaria* (*secondaires*), *tertiaria* (*tertiaires*), *quaternaria* (*quaternaires*) distinxerunt. Jam autem, conchylia, ligna et animalia fossilia eodem ordine, quo in Genesi, in his substratis sibi succedere videntur. Vestigia autem hominis nulla hucusque fuere deprehensa in antiquioribus terræ substratis, sed solum in substratis recentioribus quæ *quaternaria* dicuntur. Imo nonnulli volunt hominem jam extitisse quo tempore vivebant ingentia quædam animalia ad finem epochæ *tertiariæ*. Sed hanc sententiam hucusque idoneis argumentis destitutam esse a plerisque declaratur. Observandum hic est geologos, ut geologiam cum narratione mosaica convenire ostendant, conjicere Moysen in narratione sua plura prætermisisse quæ in dispositione orbis et in plantarum atque animalium creatione gesta sunt. Hæc autem conjectura conformis est indoli Geneseos, in qua summatim tantum historia primæva describitur. Præterea dies illos sex, quibus universa creatio absoluta fuit, intelligunt geologi non dies naturales, sed epochas temporis plus minusve producti, ita

ut Moyses dicendo : *et factum est vespere et factum est mane, dies tertius,* metaphorice locutus sit, et per *diem* designaverit temporis mensuram nobis haud definitam.

67. Huic interpretationi, quam alicubi suggerit S. Augustinus (1) non repugnat textus Geneseos. Vocabulum quidem יום *dies* multiplici sensu sumitur in libris Moysi. 1° sumitur pro *die solari* ad distinctionem noctis ut in hoc Gen. I, 14 : *Fiant luminaria in firmamento cœli et dividant diem ac noctem et sint in signa et tempora et dies et annos ;* et in hoc *Gen.* VII, 12 : *Facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus.* 2° sumitur pro *die civili* seu spatio 24 horarum (ut in hoc *Gen.* VII, 10 : *Cumque transissent septem dies, aquæ inundaverunt super terram.* Tenent multi dies creationis primo vel secundo sensu intelligendos præsertim eo quod distinguantur dies primus, secundus, sextus) 3° sumitur pro breviori vel diuturniori temporis spatio ut in hoc *Gen.* II, 4 : *Istæ sunt generationes cœli et terræ quando creata sunt in die quo fecit Dominus Deus cœlum et terram et omne virgultum agri.* Nam, quum Deus cœ-

(1) *De Gen. contra Manichæos* l. I, c. 14 : « Quærunt quomodo quarto die facta sint sidera, id est, sol et luna, et stellæ. Tres enim dies superiores quomodo esse sine sole potuerunt, cum videamus nunc solis ortu et occasu diem transigi, noctem vero nobis fieri solis absentia, cum ab alia parte mundi ad orientem redit ? Quibus respondemus, potuisse fieri ut tres superiores dies singuli per tantam moram temporis computarentur, per quantam moram circumit sol, ex quo procedit ab oriente quousque rursus ad orientem revertitur. Hanc enim moram et longitudinem temporis possent sentire homines etiamsi in speluncis habitarent, ubi orientem et occidentem solem videre non possent. Atque ita sentitur potuisse istam moram fieri etiam sine sole antequam sol factus esset, atque ipsam moram in illo triduo per dies singulos computatam. Hoc ergo responderemus, nisi nos revocaret quod ibi dicitur, *et facta est vespera et factum est mane,* quod nunc sine solis cursu videmus fieri non posse. Restat ergo ut intelligamus, *in ipsa quidem mora temporis distinctiones operum sic appellatas, vesperam propter transactionem consummati operis, et mane propter inchoationem futuri operis ; de similitudine scilicet humanorum operum, quia plerumque a mane incipiunt et ad vesperam desinunt.* » In libro *De Gen. ad litt.* l. IV, 27. opinatur dies illos referri ad cognitionem angelorum et sex distingui creationis dies juxta sex rerum genera ab angelis cognita, quam sententiam laudat S. Thomas q. 58, a 7. ad 1m et q. 74. a. 3. In opere vero *De Civ. Dei,* l. XI. c. 6 ait : « Qui dies cujusmodi sint, aut perdifficile nobis, aut etiam impossibile est cogitare, quanto magis dicere. » Vid. etiam Origen. *De princip.* IV, 16; Clem. Alex. *Strom.* VI, 684. Plerique autem Patrum sex creationis dies de diebus proprie dictis intelligunt. Cum ista interpretatione nonnulli theologi etiam conciliare conantur geologorum placita.

lum et terram fecerit in principio, virgulta autem tertio creationis die, et hæc omnia una et *eodem die* facta asserantur, dies de quo hic agitur necessario de tempore non definito accipiendus est. Similiter *Gen.* II, 2 Deus dicitur septimo *die* complevisse opus quod patrarat et requievisse. Porro septimus ille dies, dies requietis, dies sabbati, adhuc durat, adeoque indefinitam temporis moram notat. Jam autem tres priores creationis dies, quum a sole, qui nondum conditus erat, mensuram accipere nequiverint, nec dies solares, nec dies civiles sunt, sed temporis intervalla quorum mensura ignoratur. Distinctio igitur in primum, secundum, tertium diem, non probat intelligendos esse dies proprie dictos. Voces autem *vespere et mane,* ubi sermo est de hisce diebus nonnisi metaphorice sumendæ sunt pro *initio* et *fine* cujusque temporis spatii per comparationem ad nostros dies qui *mane* incipiunt et *vespere* terminantur. Nihil autem impedit, quum vox *dies* plures habeat significatus, pro reliquis etiam creationis diebus vocem illam de tempore plus minusve producto intelligere. Nam quando dicitur *factum est vespere et factum est mane, dies quartus,* non asseritur vesperam solis occasu, matutinum ejus ortu producta esse. Si quæratur cur Moyses vocem *dies* ita metaphorice usurpaverit ratio reddi potest, quod Moyses, inducere volens Judæos ad observandam legem sabbati, sex dies creationis typum sex dierum quibus Judæis licebat operari, septimum vero requietis, typum fecerit. Hinc *Exod.* XX, 9-11 : *Sex diebus operaberis et facies opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, et requievit in die septimo.* Non repugnat igitur Geneseos textus placitis geologorum (1).

68. *Rursus instant.* Saltem Moyses homini tribuit originem nimis recentiorem, siquidem juxta ipsum a creatione hominis ad nostros usque dies sex circiter annorum millia elapsa sunt. Jam autem geologi, inspecto terræ sinu, et descendendo a superficie ad interiores partes, in superioribus partibus deposita inveniunt instrumenta ferrea, paulo inferius ænea, inferius adhuc lapidea. Hæc autem instrumenta, utpote ab homine confecta indicant hominem jam exstitisse quando ista terræ substrata

(1) Cfr. Reinke, *Beitrage zur Erklarung des A. T.* t. v. p. 1-32. Monast, 1863.

efformata sunt. Porro celeber geologus anglus Lyell, post alios, existimat ab efformatione inferiorum substratorum plus septem annorum millia effluxisse. Præterea hisce substratis antiquiores valde sunt terrarum acervi, per aquas delati in speluncas Belgii et Galliæ, in quibus ossa humana reperiuntur immixta ossibus animalium, quorum species jamdiu extinctæ sunt. Pariter ad remotissimam ætatem pertinere existimanda sunt instrumenta ex silice ab homine confecta, quæ cum maxilla humana detecta fuere in arenariis vallis Suminæ in Gallia. Imo geologus Dowler in aggere terræ ad oras fluminis Mississipi aquis efformato invenit *fossilia* hominis ossa, quæ quinquaginta annorum millia numerant. Ita Lyell et alii (1).

69. *Resp.* Quod attinet tres illas ætates, quas, ex instrumentis in terra repertis, geologi vocarunt ætatem ferream, æneam, lapideam (*âge du fer, du bronze, de la pierre*), incertum prorsus est quantum temporis duraverint. Deficiunt enim argumenta certa ad hoc definiendum, ut ingenue fatentur viri in objectione laudati (2). Incertum pariter est annon simul exstiterint ita ut in uno loco homines instrumentis ferreis, in altero æneis, in tertio lapideis, uterentur prout materia suppetebat. Admitti quidem potest tres illas ætates *præhistoricas* esse respectu nostrarum regionum, in quibus præsertim illa instrumenta reperta sunt. Sed observandum est pro nostris regionibus ævum historicum incipere cum *Commentariis* J. Cæsaris, adeoque fere cum tempore nativitatis Christi. Plurimi viri docti, ut hanc de tribus ætatibus, ferreis, æneis, lapideis, opinionem tueantur, supponunt hominem in statu ignorantiæ et barbariei conditum fuisse, quod quomodo cum historia Geneseos et doctrina catholica de creatione primi hominis conciliari queat non video. Præterea cum eadem instrumenta e silice confecta etiam in recentioribus terræ substratis reperiantur et nuperrime hujusmodi plurima in sepulcro Josue et in Galgalis reperta sint (3), unde apparet homi-

(1) In opere *L'ancienneté de l'homme prouvée par la géologie, par sir* Charles Lyell, *traduit de l'anglais, par M. Chaper.* Paris. 1864.; Hamy, *Appendice à l'ancienneté de l'homme.* Paris, 1870.

(2) « De pareilles supputations, inquit Lyell in opere mox citato, p. 394, doivent n'être regardées dans l'état actuel de nos connaissances que comme des tentatives dont les résultats ont besoin d'être confirmés par le plus grand ensemble de preuves possible. »

(3) Guérin, *Description de la Samarie,* Paris, 1874, I, 120; II, 101.

nes cultris lapideis, diu post ferri æerisque inventionem, usos esse, distinctio illa trium ætatum quæ sibi successerint non ita firma videtur. Deficiunt etiam hucusque argumenta ad definiendam ætatem ossium *fossilium* speluncarum et instrumentorum ex silice in arena vallis Suminæ effossorum. Discrepant enim hac de re sententiæ geologorum (1). De Vibraie sentit ex iis quæ hucusque a geologis detecta sunt posse quidem statui hominem simul exstitisse cum nonnullis animalium speciebus deperditis, quandonam vero istæ species sint deperditæ, aut a quo tempore homo in terris existat, ex scientia geologica definiri non posse (2). Agger autem telluris coacervatus ad oras Mississipi nedum ad tantam antiquitatem attingat, recentioris omnino formationis est, quod demonstrant novæ de hac re susceptæ inquisitiones a viris geologiæ peritis (3).

70. Ceterum probe observandum est, Moysen in describendo mundi opificio hoc præcipue intendisse, ut Judæis veram ipsorum originem ostenderet, eosque, demonstrata omnium rerum immediata a Deo creatione, ab idololatria averteret, ad quam propensiores erant. Noluit itaque Moyses spiritu divino illustratus geologum aut naturalistam agere, nec oportet ejus narrationem nimis urgere, quasi aut voluisset aut debuisset omnia exponere quæ rerum naturalium peritis hodie patent. Præterea usus est tali sermone quem, non soli astronomi aut geologi, sed omnes possent intelligere.

71. *Obj.* 2°. Darwin ejusque discipuli probant plurimis argumentis præsertim vero illa naturæ lege, quam *selectionem naturalem* (4) vocant, varias animalium species quæ vel similem

(1) Eorum sententiæ videri possunt in opere : *L'homme fossile en France.* Paris, Baillère. 1864.

(2) *L'homme fossile*, p. 114.

(3) Cfr. Humpreys and Abbot. *Report upon the physics and hydraulics of the Mississipi river.* Philadelphia, 1861.

(4) *Selectionem naturalem* (sélection naturelle) vocant prætensam illam naturæ legem qua, juxta eos, a natura *seliguntur* immutationes utiles enti viventi obvenientes ; quæ immutationes generatione ita transmittuntur ut inde efformentur novæ perfectioresque animalium species. Hac cæca lege factum est ut v. g. homo, animal initio informe, innumeris generationibus sibi succedentibus, succesive acceperit pedes, manus, aures primo informes, deinde perfectiores, quemadmodum hortulani varias alicujus plantæ propagines arte sua perficiunt.

habent membrorum structuram vel similem initio conceptionis fœtum, ut sunt phocæ, simius, homo, et generatim omnia animalia mammis prædita, ex unica et eadem stirpe seu e communi aliquo protoparente animali oriundas esse adeoque falsam esse narrationem mosaicam de creatione primi hominis.

72. *Resp.* Alii viri rerum naturalium periti validis argumentis ostendunt prætensam illam naturæ legem nonnisi fingentis ingenii fœtum esse. Ostendunt quippe varias animalium species non converti aut transire in alias, sed distinctas permanere, continuis generationibus servare suam propriam indolem, suas peculiares, quibus distinguuntur, proprietates, talesque hodie reperiri quales, v. g. Aristoteles eas suo tempore descripsit. Probant tum ex speciebus adhuc viventibus tum ex speciebus fossilibus nullum dari exemplum quo affirmari possit unam animalium speciem ex altera ortam esse; probant insuper hominem tam ratione formæ et dispositionis membrorum corporis quam facultatum intellectualium et moralium ita a simiis differre, ut, juxta ipsa Darwinistarum principia, rejicienda sit prætensa illius a simiorum stirpe origo; adeoque gratuito prorsus asseri animalem hominis originem (1).

73. *Obj.* 3°. In libro Geneseos narratur omnes quotquot terras incolunt homines ab uno protoparente Adamo originem ducere, quæ assertio duplici convellitur argumento. 1° Differentia qua homines, quoad facultates mentis et dotes corporis dissimiles, distinguuntur in albos, flavos, nigros, etc. Quæ differentia inter illos tanta apparet ut fatendum sit homines, tam inter se dissimiles, ex una stirpe provenire non posse. 2° Multitudine linguarum, quæ, cum proprias diversasque voces ac grammaticales formas unaquæque habeant, ex una primæva lingua provenire non possunt.

74. *Resp. ad* 1m. Eorum opinio qui multiplicem distinguunt hominum speciem, quamvis nonnullos adhuc inveniat patronos, hodie tamen a plerisque rerum naturalium peritis rejicitur. Isti enim viri probant discrimen staturæ, coloris aut etiam formæ capitis, repetendum esse ex influxu aeris, caloris, frigoris, ex diversitate regionum, ex cibis et ex aliis circumstantiis; speciei

(1) Vid. Lecomte, *Le Darwinisme et l'origine de l'homme* in *Revue catholique de Louvain* an. 1871-1872.

autem unitatem reponunt in fœcunditate perpetua, quæ non deficiat post unam aut alteram generationem, sed indefinite possit continuari. Sic. v. g. quamtumvis numerosæ sint canum varietates unam dumtaxat speciem constituunt, quia fœcunditas inter canes multum dissimiles non cessat post quasdam generationes, sed indefinite perseverat. Quia autem idem obtinet in matrimoniis hominum nigrorum cum albis vel flavis, sequitur omnes ad unam speciem reduci, adeoque nihil impedire quominus ex una Adami stirpe, ut narrat Moyses, proveniant (1).

75. *Resp. ad* 2^{m}. Fatendum est viros philologos qui conati sunt omnes linguas ex hebraico sermone deducere, in vanum hucusque desudasse et in absurdas sæpe etymologias devenisse. Unde occasionem nacti sunt increduli, hos confutando, asserere falsam esse narrationem mosaicam, quia ponit unicum eumdemque omnibus initio fuisse sermonem, hebraicum scilicet, ex quo omnes linguæ nequaquam derivandæ videbantur. Nostra autem ætate linguarum periti, aliam viam secuti, tum vocabula linguarum tum eorum formas grammaticales atque syntaxeos leges sedulo contulerunt, ex qua collatione omnes linguas ad paucas omnino familias seu stirpes reduxerunt. Istæ autem familiæ, quamvis a se invicem discrepantes, intimam tamen, ut plurimum, connexionem habent. Quanquam vero linguarum studium eousque nondum progressum sit, ut de omnibus linguis inter se collatis judicium ferre valeant docti, in hanc tamen conclusionem non absque probabilitate devenerunt, ut affirmarent omnes linguas ex una primæva, quæ perierit, provenire, quæ conclusio nihil continet narrationi Mosaicæ oppositum (2). Ceterum etiamsi

(1) Juvat hic afferre verba DD. Gervais et Van Beneden (*Zoologie médicale* t., I, p. 19, Paris. 1859). « Buffon, inquiunt doctissimi isti viri, Linné, Blumenbach, Cuvier, de Blainville et la plupart des grands naturalistes ont établi qu'il n'y a qu'une seule espèce dans le genre humain. Ils se fondent principalement, ainsi qu'on le fait pour les autres groupes des êtres organisés, sur la possibilité d'une fecondité continue entre les individus des différentes races. On ne s'étonnera point que les ethnographes n'aient pas toujours été d'accord sur cette grave question de l'unité de l'espèce humaine, si l'on se rappelle avec quelle incertitude certains naturalistes procèdent souvent dans les questions de spécification, alors même qu'il s'agit des animaux dont l'étude offre le moins de difficultés. » Eodem sensu loquitur D. De Quatrefages in libro : *De l'unité de l'espèce humaine*. Paris, 1861.

(2) Vid. Em. Card. Wiseman, *Discours sur les rapports entre les sciences et la religion révelée*, disc. 1 et 2.

nulla inter varias linguarum familias connexio ab eruditis conspiceretur, nemo exinde concludere posset narrationem mosaicam esse falsam. Nam confusio linguarum a Deo profecta naturali explicatione non indiget, cum sit opus miraculosum. Igitur etiamsi illius facti nulla naturalis explicatio danda foret, exinde non sequeretur confusionem linguarum in erectione turris Babelicæ factam non fuisse. Si autem confusio facta fuerit, nihil habent adversarii quo impugnent unitatem primævi sermonis.

76. *Obj.* 4°. Historiæ Moysi contradicunt annales, libri et observationes astronomicæ gentium antiquissimarum, Ægyptiorum, Chaldæorum, Sinensium et Indorum. Ergo admitti nequit narratio mosaica.

77. *Resp.* Testimonium Moysi omnibus certitudinis criteriis fulcitur, fides igitur ipsi deneganda non est, etiamsi alii libri videantur tradere contraria. Annales autem et libri gentium, quas Pentateucho increduli opposuerunt, partim fabulosi sunt, partim veri ; ubi vera tradunt, nullibi Moysi opponuntur; quod melius edocti plures hujus ætatis eruditi viri perspicue ostenderunt.

78. Porro quod attinet fabulosam antiquitatem Ægyptiis et Chaldæis tributam a Beroso, Manethone, Alexandro polyhistore et aliis, eam jamdiu detexit Eusebius in primo suorum *Chronicorum* libro , sic præfatus : « Complura volumina veterum historiarum perlegi, sive quæ apud Chaldæos, Assyriosque narrantur, sive quas minute Ægyptii præscribunt, sive denique quas Græci referunt... Porro et Ægyptiorum multæ feruntur insanæ historiæ, itemque Chaldæorum. Et quidem hi plus quam quadraginta annorum myriades temporibus suis continere se putant; Ægyptii autem deorum, semideorum, prætereaque manium, et mortalium aliorum regum multas delirantium fabulas nectunt (1). » Manetho quidem multas regum Ægyptiorum dynastias refert quæ si ex ordine sibi successerint, antiquior erit natio Ægyptiaca quam pati videntur limites chronologiæ mosai-

(1) Eusebius, *Chronic.* l. I, *proœm.* ap. Migne *Patrol. gr.* t. XIX, col. 101-105. Cfr. Josephus, *Antiquit.* l. I, c. III qui refert fragmenta Berosi et Nicolai Damasceni cum historia Geneseos concordantia. Antiquitatem Babyloniorum et Ægyptiorum irrident Cicero, *De divinit.* l. I, 16; Herodotus I, 11; Diodorus Siculus I, 1; S. Augustinus, *De civ. Dei*, l. XVIII, 40. Vid. Libermann, *Institut. theol.* t. I, p. 224-236. Ed. Lov. 1832.

cæ. Sed probabile est, quod jam conjecerat Eusebius (1), plures ex illis dynastiis coætaneas esse ita ut dum una regnaret in Ægyptio inferiore, altera in regione Memphitica et tertia fortasse in Thebaide dominaretur.

79. Multi etiam voluerunt opponere libris Moysi inscriptiones quas hieroglyphicas vocant. Sed doctissimi Champollion, Rossellini, De Rouge et alii, ostenderunt ex istis inscriptionibus plane confirmari ea quæ libri sacri tradunt circa Ægyptios, et præsertim circa commorationem Israelitarum in Ægypto. Opposuerunt etiam increduli famosos Zodiacos Denderæ et Esnæ in Ægypto inventos, dum Gallorum exercitus hanc regionem occupabat. Astronomus Dupuis antiquitatem viginti quinque millium annorum eis tribuebat. Sed Testa et Visconti demonstrarunt istos Zodiacos, circa tempora Adriani imperatoris confectos, Zodiacos esse astrologicos sive amuleta superstitiosa (2).

80. Annales quidem Sinensium maximam huic populo vindicant antiquitatem, sed a doctioribus hodie prima imperii Sinensis initia reponuntur circa medium sæculi secundi post diluvium (3). Indorum antiquissima esset existentia, si narra-

(1) « Reputandum sedulo est plures fortasse Ægyptiorum reges una eademque ætate extitisse : namque et Thynitas regnavisse aiunt et Memphitas et Saitas et Æthiopes eodemque tempore alios... ita ut haud singuli reges successivam potestatem acceperint, sed alius alio loco eadem ætate regnaverit. » *Chronicon* I, XX, 3. ap. Migne, *Patrol. gr.* XIX, 183. Concinit Mariette apud Schouppe, *Cursus Script.* I, 164-167. Bruxellis, 1870.

(2) Vid. Wiseman, *Lib. cit.*, 8e disc.

(3) Selon Klaproth le plus ancien historien de la Chine fut son célèbre philosophe et moraliste Confucius. On dit qu'il a tracé les annales de son pays qui sont connues sous le nom de Chu-king depuis le temps d'Yao jusqu'à l'époque où il a vécu. On suppose que Confucius vivait 4 ou 500 ans avant J. C., et l'ère de Yao est placée 2557 ans avant la même époque. Ainsi donc, plus de deux mille ans séparent le premier historien des premiers événements qu'il rapporte. Mais cette antiquité, quelque reculée qu'elle fût, ne satisfaisait pas l'orgueil des Chinois ; des historiens plus récents ont tracé d'autres règnes avant celui de Yao, et les ont fait remonter jusqu'à la vénérable antiquité de trois millions 276 mille ans avant J.-C. Afin que vous puissiez apprécier plus exactement l'authenticité des annales Chinoises, je ne dois pas oublier de vous faire remarquer que, 200 ans après la mort de Confucius, l'empereur Chi-Hoangti, de la dynastie de Tsin, proscrivit les ouvrages de ce philosophe, et ordonna que toutes les copies en fussent anéanties. Le Chu-king cependant fut retranscrit sous la dynastie suivante de Han, sur la dictée d'un vieillard dont la mémoire l'avait fidèlement retenu. Telle est donc l'origine de la science historique en Chine, et

tionibus Brahmanorum fides adhiberetur, sed doctissimi Heeren et Tod ostenderunt nihil fere certi his narrationibus contineri. Putat Tod reponi posse initium Indorum in medio sæculo secundo post diluvium. Multam etiam increduli confidentiam posuerunt in tabulis astronomicis Indorum, sed earum tabularum antiquitatem docti amplius non admittunt, quod adductis testimoniis probavit Card. Wiseman (1).

81. *Obj.* 5° Fabulam sapiunt ea quæ Moyses narrat de serpente mulierem tentante, de longæva Patriarcharum vita, et de diluvio. Etenim serpens non loquitur et homines non ita diu vivunt. Hæc igitur mythice sunt intelligenda.

82. *Resp.* Mira quidem hæc sunt, sed, quum a scriptore fide dignissimo tradantur, credenda sunt. Quod dæmon, ex permissu Dei, serpente tanquam instrumento usus sit ad mulierem tentandam, nihil impossibile includit. Narrationem porro tentationis a serpente et lapsus protoparentum confirmatur ex antiqua traditione libri sacri Persarum, quem *Bundehesch* vocant.

83. Longævitas autem primorum hominum nihil incredibile habet, præsertim si attendamus per diluvium inductam fuisse aliam aeris temperiem, aliam frugum, quibus vescebatur homo, naturam. Porro ista patriarcharum longævitas etiam affirmatur in traditionibus antiquorum populorum. Nec fingat quis annos illos nostris fuisse decuplo breviores, quum ex ipsa *Genesi* pateat annos illos nostris fuisse similes. Nam in historia diluvii narratur illud incœpisse *anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimo decimo die mensis;* aquas minui cœpisse post *centum quinquaginta dies;* arcam requievisse *mense septimo, vigesimo septimo die mensis;* unde manifestum est menses habuisse ad minus 27 dies; imo, cum a die 17ª mensis 2ⁱ usque ad diem 27ᵃᵐ mensis 7ⁱ elapsi fuerint 150 dies, colligitur menses illos 30 dierum vel circiter fuisse. Addit historia *decimo mense, prima die mensis* apparuisse cacumina montium; expectavisse

en dépit de tout le respect dû au grand moraliste de l'Orient, et bien qu'il déclare n'avoir écrit que d'après les matériaux déjà existants, Klaproth n'hésite pas à nier l'existence de toute certitude historique dans le Céleste-Empire, antérieurement à l'année 732 avant Jésus-Christ. » Ita Wiseman, *lib. cit.* disc. 7ᵉ. t. II, p. 69 sqq.

(1) *Lib. cit.* disc. 7ᵉ, t. II, p. 35-63.

Noe *quadraginta* et *ter septem dies*, et elapsa post hæc temporis mora in textu haud definita, tandem ex arca exivisse *anno sexcentesimo primo, primo mense, prima die mensis*. Si igitur mensi decimo ineunti ultra 61 dies addideris jam in mensem 12^m deduceris ; adeoque annus jam tunc duodecim mensium fuerit necesse est.

84. *Obj*. 6°. Fabulosa est narratio mosaica de diluvio. Etenim incredibile est Noe congregare potuisse ex universa terra bina cujusque speciei animalia ; incredibile est arcam omnes animalium species cum cibis ipsis per decem menses necessariis recipere potuisse ; incredibile est octo tantum personas curas tot animalibus requisitas subministrare potuisse ; incredibile denique est tantam fuisse aquarum copiam ut altissimi montes iis tegerentur.

85. *Resp*. Narratio mosaica omnes diluvii circumstantias ita accurate describit ut nihil in ea fabulam sapiat. Quum autem Deus huic eventui miraculose interfuerit, si quid quod incredibile videatur occurrat, divinæ potentiæ, cui talia impossibilia non sunt, tribuendum est. Quis enim neget Deum qui initio omnia animalia coram Adamo sisti voluit ut eis nomina imponeret, non potuisse ea etiam ad Noe adducere, et in locum idoneum congregare, si necesse fuerit ? Quis neget Deum ea in angustiori loco includere et per menses conservare potuisse ? Scriptura dicit : *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt*. Quis profunditatem illius abyssi dimensus est ? quis numeravit aquas in cœlo pendentes ? In primo mundi exordio aquæ totam terram involvebant, cur non sufficerent ad eam denuo mergendam ? Observandum autem est non omnia animalia in arca fuisse includenda, sed ea tantum quæ in aquis non vivunt aut super eas natare non possunt, qualia sunt pleræque aves, pleraque quadrupedia et reptilia terrestria. Porro Thevenard inito calculo demonstravit tantam fuisse arcæ capacitatem ut sufficeret capiendis omnibus animalium speciebus hodie notis, quas saltem ab aquis servare oportebat, cum cibis necessariis, amplo remanente spatio vacuo. Idem auctor observat difficile non fuisse ut in arca res ita disponerentur ut aqua cœli canalibus deducta omnibus animalibus potum præberet absque requisito hominis ministerio, ut cibi præsto essent et quotidianæ vix requirerentur hominum curæ.

Observandum præterea est non deesse Scripturarum interpretes qui doceant diluvium non ad universas omnino terras sed solummodo ad universum orbem ab homine inhabitatum se extendisse adeoque ea dumtaxat animalia quæ in regionibus erant ab Adæ posteris occupatis et coinquinatis cum hominibus periisse. Qua admissa sententia, evanescunt omnes incredulorum difficultates.

86. Observandum denique est scientiam geologicam, postquam successivis vicibus negavit et affirmavit diluvium mosaicum et inter diversas de hac re opiniones fluctuavit, in præsenti suo statu nequidquam omnino certi pro vel contra affirmare. Traditiones autem omnium populorum, Chaldæorum, Armenorum, Syrorum, Phœniciorum, Græcorum, Indorum, Persarum, Sinensium, Americanorum, et Nigrorum Africæ australis quas refert Livingstone, mentionem et narrationem plus minusve vitiatam ingerunt alicujus diluvii universalis a quo pauci homines servati fuerint (1).

87. *Obj.* 7°. Pentateuchus multa narrat miracula, decem plagas Ægyptiacas, transitum maris Rubri, alia. Jam autem scientia critica ea admittere nequit : siquidem hucusque ipsi non sufficienter constat verum aliquod miraculum unquam fuisse patratum. Etenim miracula sunt facta supernaturalia, limites humanæ rationis excedentia, quæ idcirco ab homine certo cognosci non possunt. Quæ igitur in *Exodo* præsertim narrantur portenta, ea ad facta mythica seu fabulosa necessario referenda sunt, quæ partim naturaliter explicari possunt, partim fictis circumstantiis induta sunt. Sic decem plagæ Ægyptiacæ non sunt nisi mortiferæ illæ plagæ, in hac regione communes, pestis scilicet, morbi epidemi, tempestates, insecta omnia corrodentia, quæ fictis circumstantiis exornatæ sunt et prætensis incantationibus intermixtæ. Transitus autem maris Rubri naturaliter explicatur per fluxum et refluxum aquarum ; mare enim effluens et refluens transitum permiserit Hebræis eumque negaverit Ægyptiis. Ita Rationalistæ et plurimi Judæorum recentiores.

88. *Resp.* Non negamus Pentateuchum miracula plurima narrare, imo hoc adstruimus ; sed contendimus ea a scientia sic dicta critica immerito prorsus rejici. Miracula quidem, in causa

(1) Cfr. Lambert, *Le déluge mosaïque*. Paris, 1870.

efficiente omnes naturæ vires excedunt; at, quoad factum ipsum materiale et sensibile, quoad factum quatenus cognoscibile est, non differunt a cæteris eventibus naturalibus. Etenim omnes eventus, sive naturales sive supernaturales sint, eodem modo ab homine apprehenduntur, eodem modo oculis et auribus percipiuntur. Ut homo certior de eorum veritate reddatur, sufficit eum sanis præditum esse sensibus. Sensus, præsertim visus et auditus, unicam pandunt viam ad facti cujusvis, naturalis aut supernaturalis, cognitionem assequendam. Non diffitemur dubium quandoque oriri posse de natura eventus, nempe an sit naturalis vel supernaturalis, an sit a Deo aut Dei legato vel a dæmonum præstigiis repetendus. Sed hic non quæritur de natura facti, aut de ejus causa efficiente ; quæritur tantum de ejus exsistentia et veritate, an scilicet revera evenerit prout narratur. Porro probavimus Moysen eventus accurate cognovisse , iis interfuisse, eosque fideliter et sincere retulisse, adeoque ejus narrationem esse veracem, non vero mythicam.

89. Plagas autem Ægyptiacas haberi non posse tanquam res mere naturales fatentur interdum ipsi adversarii. Sic Munck (1), postquam agnovit « Rationalistas in vanum desudasse ut plagas Ægyptiacas tanquam naturales eventus explicarent, » addit : « Oportet igitur in iis miracula stricto sensu agnoscere vel ubique mythos prædicare. » Porro istæ plagæ nihil habent quod a Deo effici nequeat. Nihil igitur impedit quominus obvio sensu narrationem mosaicam accipiamus. Nec fidem ipsi debitam labefactare possunt ea quæ narrantur de incantationibus magorum ; siquidem ex una parte certum est a Deo quandoque permitti, ut dæmon in rebus dominium quoddam exerceat et mira quædam vires et intellectum hominis prætergredientia indolemque miraculi mentientia efficiat ; ex altera autem parte constat incantatores illis Pharaonis similes adhuc hodie in Ægypto reperiri, quod, re experta, testatur testis de visu L. de Laborde (2).

90. Transitus maris non posse explicari per fluxum et refluxum aquarum patet, cum aliunde, tum præsertim ex ipsa narratione in qua refertur (3) : « Cum extendisset Moyses ma-

(1) Munck, *La Palestine* p. 120.
(2) *Commentaire géographique sur l'Exode*, p. 23-27.
(3) *Exod.* XIV, 21-22.

num super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi et urente tota nocte, et vertit in siccum : divisaque est aqua. Et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris : *erat enim aqua quasi murus a dextra eorum et læva.* » Si per fluxum siccatum fuisset littus, utique aquæ non stetissent ex utraque parte instar murus. Ceterum Ægyptii qui æque bene ac Moyses fluxum ac refluxum ejusque durationem cognoscebant, utique non adeo imbecilles fuissent ut se aquis maris refluentis obrui permitterent. Præterea universa Judæorum natio, quæ transitum maris Rubri peregit, eum semper pro ingenti prodigio habuit et filiis ac posteris tanquam stupendum miraculum in gratiam ipsorum a Deo factum enarravit. Hujus miraculi memoria et fama cum ingenti admiratione diu viguit apud vicinos populos, ut patet ex verbis Rahab ad exploratores a Josue missos (1) et Achioris Ammonitarum ducis, ad Holophernem (2). Imo testatur Artapanus (3), scriptor ethnicus, istum transitum ab una Ægyptiorum parte ut eventum naturalem, ab altera vero ut miraculum habitum fuisse. Refert enim « Memphitas dicere, cum magnam locorum haberet Moyses peritiam, refluxum maris observasse, ac ita cum populo transivisse. Heliopolitas autem propter gazam, quam Judæi mutuo abstulerunt, regem commotum magna manu in Judæos profectum fuisse. Moysen vero percussisse baculo mare, ut cœlesti voce admonitus fuit, et sic, diviso mare transisse. » Nec refert Josephum de isto miraculo hæsitantem tulisse sententiam, quum ipse pro ethnicis scribat et idcirco calamum temperandum putaret (4).

91. *Instant.* Narratio, quæ contradictionibus scatet, verax esse nequit. Atqui talis est expositio plagarum Ægypti. Sic *Exod.* VII, 20-21 refertur Moysen virga percussisse *aquam fluminis quæ versa est in sanguinem* et hac plaga *sanguinem fuisse in tota terra Ægypti.* Versu autem sequenti dicitur *magos fecisse similiter.* Porro adest hic vera contradictio. Quomodo enim magi fecerunt similiter, cum non amplius fuerit in Ægypto aqua quam mutarent in sanguinem ?

92. *Resp.* 1° cum S. Justino vel quisquis fuerit auctor *Respons.*

(1) *Jos.* II, 10.
(2) *Judith,* V, 12.
(3) Ap. Eusebium, *Præp. evang.* lib. IX, cap. ult.
(4) Cfr. Veith, *Script. contra incredulos propugn.*, part. I, c. 2, § 2.

ad Orthod. (q. 26) : « Omnibus aquis quæ super terram erant in sanguinem conversis, cogebantur Ægyptii circa flumen fodere puteos (*Exod.* VII, 24), et hausta inde aqua seipsos suaque animalia et pecora sustentare. *Ex hac aqua e puteis hausta fecerunt incantatores sanguinem, nec ullo pacto falsus est sermo.* » *Resp.* 2° cum S. Augustino (*Quæst.* 25 et 26 *in Exod.*) magos præstigiis suis effecisse, ut, qui revera erat sanguis, aqua appareret, deinde, præstigiis solutis, esset et appareret sanguis.

93. *Instant* rursus. *Exod.* IX, 6 refertur quinta plaga mortua esse *omnia animantia Ægyptiorum.* Deinde narratur septima plaga periise *in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris ab homine usque ad jumentum.* Imo post duplicem hanc plagam Pharao Israelitas insecutus est cum magno equitatu et sexcentis curribus.

94. *Resp.* Voces *omnia animantia* referuntur ad *ea* omnia animantia quæ in *agris* deprehensa sunt neque in stabula reverti potuerunt, non vero ad ea quæ in domibus vel urbibus erant, ut colligitur e vers. 3. Similiter septima plaga ea tantum animalia percussa sunt quæ erant in agris ; adeoque nulla contradictio in textibus allatis invenitur (1).

VI. *De divinitate Pentateuchi.*

95. Ex hucusque dictis constat vera esse quæ in Pentateucho habentur. Porro in Pentateucho occurrunt miracula a Moyse patrata ad liberandos Hebræos ex Ægypto eosque usque ad terram promissam perducendos, occurrunt et vaticinia ab ipso de rebus futuris emissa, occurrunt denique veritates de Deo ejusque providentia a Moyse declaratæ et præcepta nomine Dei lata ; verbo, in Pentateucho occurrit revelatio divina, occurrit religio hominibus inculcata. Moyses autem ista miracula et vaticinia operatus est ut probaret se a Deo missum esse, se Dei nomine loqui, se Dei veritates patefacere et præcepta imponere. Porro Deus, qui est ipsa veritas, non potest impostori vim miracula patrandi tribuere ; oportet igitur admittere veram esse revelationem in libris Moysi contentam, divinas esse leges a Moyse

(1) Has aliasque hujusmodi difficultates solvit Veith, *Lib. cit.* II-V.

impositas, divinam religionem quam Hebræi a Moyse edocti sunt.

96. Sub hoc igitur respectu Pentateuchus vere divinus dici potest, quia divinum continet argumentum. Sed alia ratione divinus dicitur et est, quatenus scilicet impulsione et auctoritate Dei a Moyse fuit exaratus, seu quatenus divinitus est inspiratus. Pentateuchum enim inter libros theopneustos numerandum esse constans est Judæorum et Christianorum persuasio. Ipse Christus ejusque Apostoli quam sæpissime ad libros Moysi tanquam ad Scripturam divinam provocarunt. Imo in ipso Pentateucho Moyses non semel testatur se jussu et auctoritate Dei scribere (1). Hinc ii soli Rationalistæ, qui omnem rejiciunt inspirationem, Pentateuchi auctoritatem divinam negarunt.

97. Nec ejus divinitati officit quod in eo referantur plura a patriarchis a Moyse laudatis commissa flagitia. Etenim auctores sacri, quia veritatem historiæ ubique servant, narrant, ad nos instruendos, et mala hominum et bona, illa vitanda et ista sectanda, et quædam ita posita ut de illis etiam prolata sit sententia, quædam vero tacito ibi judicio nobis juxta legem Dei aut rectam rationem judicanda permissa. Rationalistis Manichæos exscribentibus respondere possumus quod istis respondebat Augustinus (2) : « Hæc nobis merito in illis libris laudanda proponuntur, non ebrietas, non incestus : sed cum hominis ejusdem et recte factum et peccatum scriptum invenimus, aliud insinuatur imitandum, aliud præcavendum. » Comparat deinde S. Doctor Scripturam speculo fideli, « cujus nitor, admotarum sibi personarum non solum quæ pulchra atque integra, verum etiam quæ deformia vitiosaque sint, indicat. » Deinde concludit : « Inaniter ergo Faustus sanctam Scripturam, quam totus jam mundus veneratur, accusat : quæ, ut supra dixi, tanquam speculi fidelis nitor, nullius accipit adulandam personam, sed et laudanda et vituperanda hominum facta vel ipsa judicat, vel legentibus judicanda proponit ; nec solum homines ipsos vel vituperabiles vel laudabiles intimans, verum etiam quædam in vituperabilibus laudanda et in laudabilibus vitu-

(1) *Exod.* XVII, 14; XXXIV, 27.

(2) *Contra Faustum,* lib. XXII, 60 et 65. In toto illo libro singulæ patriarcharum actiones examinantur ; et vel vindicantur si rectæ, vel damnantur si pravæ. Simul quid consilii habuerit Deus in hisce referendis inquiritur.

peranda non tacens... Neque enim quia laudabilis erat David, ideo peccata ejus, quæ Deus quoque arguit per prophetam, vel approbanda vel imitanda sunt. Sicut nec in Pontio Pilato vituperandum est, quod adversus accusationes Judæorum innocentem Dominum judicavit : nec in Petro laudandum est, quod eumdem Dominum ter negavit. » Moyses, sicut et ceteri scriptores theopneusti, nobis divinam revelationem et quæ ejus conservationem spectant, litteris, dirigente Deo, tradidit. Deus autem, qui, ad servandam inter homines divinam revelationem, usus est ministerio patriarcharum et populi Israelitici, eos impeccabiles non reddidit, quamvis sæpe eorum actiones in typum eorum, quæ sub Christo futura erant, ordinaverit eisque peculiares gratias elargitus sit. Unde consequitur divinitatem Scripturarum non maculari aut tolli a pravis hominum actionibus in iis relatis.

Alias difficultates quæ hic urgeri possent, jam solvimus in articulo præcedenti. Quæ vero spectant legislationem mosaicam suis locis enucleata sunt in tractatu de antiquitatibus hebraicis.

CAPUT II.

DE LIBRO JOSUE (1).

1. *Argumentum.* Josue, Nun patre, natus est, juxta Calmetum, anno ante æram vulgarem 1544. Postquam Israelitæ ex Ægypto egressi sunt, cum Moyse assiduus fuit, multaque præclara cum eo gessit, donec Moyses mox moriturus, jussu Dei, Josue suæ gloriæ participem reddidit suique ipsius vice populo ductorem præfecit. Hæc in Pentateucho narrantur.

2. Historiam prosequitur liber Josue. Statim igitur post mortem Moysi, Josue, Jordane sicco pede transmisso, populum Israeliticum in terram promissam introduxit eumque lapideis

(1) Cfr. Ghiringhello, *De libris historicis antiqui Fœderis.* Taurini, 1845-1846 c. I; et *Introdd. in S. Script.* ad hunc articulum.

cultris circumcidit atque Pascha celebravit ; cito autem, clangentibus sacerdotum tubis, muri Jericho confracti ceciderunt, urbsque capta fuit. Deinde, expugnata urbe Haï, Josue alios quinque reges devicit ; quo die Deus, pro Israele pugnans, lapides e cœlo in hostes demisit, et, obediente sole voci Josue, dies prolongata est (I-XI). Tandem, devictis triginta circiter regibus, Josue terram promissam populo sorte distribuit ; quod anno septimo post ingressum in terram Chanaan factum fuerit (XII-XXXII). Denique Josue, senio confectus, anno ætatis centesimo decimo, obiit, postquam populum ut fidelis remaneret gravissime hortatus fuerat (XXIII-XXIV).

3. *Auctor et ætas.* De auctore libri Josue atque de tempore quo conscriptus iste liber fuerit, alii aliter sentiunt. Præterquam enim quod Rationalistæ omnes librum Josue variis fragmentis consarcinatum fuisse audacter affirmant, idque longo post mortem Josue intervallo (1), catholici doctores in diversas partes abeunt. Sunt qui idcirco librum Josue dici putant quod res a Josue gestas referat, quomodo liber Ruth, liber Judith, liber Esther, dicuntur in Scripturis eæ narrationes quæ de Ruth, Judith, Esther, agunt, quamvis earum narrationum auctor non sit aut Ruth aut Judith aut Esther. Observant deinde in libro Josue pluries notari hoc vel illud perseverare *usque in hodiernum diem* (2), mortem ipsius Josue referri aliaque facta narrari quæ produnt ætatem Josue recentiorem (3). Probabilior tamen mihi videtur eorum sententia qui tenent Josue auctorem esse libri ejus nomine inscripti (4).

4. Et primo quidem contra Rationalistas contendimus confectionem libri Josue haud reponi posse vel sub Josia vel sub aliis Judæ regibus. Nam certum est Josue librum jam exstitisse ante septimum regni Davidis annum. Etenim ex libris

(1) Ita De Wette, *Einleit.* § 167-169 ; Bleek, *Einleit.* § 133 sqq. ; Kuenen, *Lib. cit*, c. II. Van Herwaerden autem in peculiari dissertatione, edita Groningæ 1826, statuit librum Josue ex decem monumentis constare ; quæ monumenta Josue sint coæva, non tamen ab ipso exarata.

(2) *Jos.* IV, 9; V, 9; VII, 26; VIII, 29; IX, 27; XIII, 13; XV, 63; XVI, 10.

(3) Hanc sententiam cum Theodoreto (*Quæst. XIV. in Jos.*) tenent Richard Simon, *Hist. crit. du V. T.* l. I, c. 1; Masius, *Præf. in Jos.*; Danko, *Hist. revel. biblic.* t. I. p. 200. Vindob. 1862; Reusch, *Einl.* § 13; alii.

(4) Ita sentiunt Dupin, *Dissert. prélim.* l. I, c. III. § 2; Calmet, Goldhagen, Jahn, Glaire, Ghiringhello, alii.

Regum (1) constat Davidem septimo sui regni anno, expugnata arce Sionis, Jebusæos e sua sede disturbavisse (2) ; jam autem quando liber Josue confectus fuit, Jebusæi adhuc obtinebant arcem Sionis, ut colligitur ex cap. XV, 63 : *Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Juda delere : habitavitque Jebusæus cum filiis Juda in Jerusalem usque in præsentem diem.* Imo liber Judicum , quem melioris notæ critici sub exordio regni Saulis reponunt, supponit librum Josue jam exstantem ; nam narrationem ab obitu Josue incipit, et silentio premit partitionem terræ Chanaan inter varias tribus, quæ, nisi scriptis consignata jam fuisset, haud præteriri poterat, siquidem necessarium erat bono reipublicæ ut singulæ tribus limites possessionum suarum documentis authenticis descriptas servarent. Præterea liber Judicum nonnulla ex libro Josue , servatis verbis, recitat, ut patet ex collatione *Jud.* II, 6-9 cum *Jos.* XXIV, 28-31 ; *Jud.* I, 29 cum *Jos.* XVI, 10.

5. Hisce jam in Josue tempus fere deducimur. At vero plura ex ipso libro desumimus quæ Josue illius auctorem esse omnino suadent. Etenim cap. XXIV, 25-26 legimus : *Percussit ergo Josue in die illo fœdus et proposuit populo præcepta atque judicia in Sichem. Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine Legis Domini.* Unde sequitur Josue scripsisse in volumine ipso Legis Domini saltem ea quæ capp. XXIII et XXIV habentur. Cum autem illa capita librum claudant nihil prohibet quominus locutio *verba hæc* ad ea etiam quæ præcedunt referatur, eo vel magis quod vox hebraica דְּבָרִים non *verba* tantum sed *res gestas* denotat. Præterea in libro Josue accuratissime referuntur verba Calebi, legatorum tribuum ad Josue, et ipsius Josue (3), quæ

(1) *II Reg.* V, 6-8.

(2) « Nec refert, inquit Ghiringhello, l. c. p. 11., quod sub finem regni sui David ab Areuna Jebusæo aream, in ipsa Hierosolymorum urbe sitam, pretio emerit, *II Reg.* XXIV, 16, et Salomonis ætate Jebusæi inter eos censeantur, quos non potuerunt filii Israel exterminare, *III Reg.* IX, 20-21; non enim contendimus a Davide excisos omnes atque deletos, sed de arcis possessione deturbatos ; quod si nonnulli nec vita nec bonis mulctati sunt, id Davidis generositate factum, cui mutata temporum ac personarum adjuncta mitiora cum iis belli jura suaserant. Areunam regis quidem nomine honestant Biblia Clementina ; at regis nomen desideratur in Sixtinis, in versionibus arabica , syriaca, græca LXX, necnon in aliquibus codicibus hebraicis. »

(3) Vid. *Josue* XIV, 6-12; XXII, etc.

idcirco conscribi oportuit statim postquam prolata fuerunt. Quis autem hoc melius efficere potuit quam ipse Josue? Quis melius quam ipse Josue potuit referre minutissima quævis temporum, personarum et locorum adjuncta, quæ sola traditione vix ac ne vix quidem servari potuissent?

6. *Obj.* 1ª. In libro Josue tales inveniuntur locutiones quæ indicant longum temporis intervallum effluxisse inter rerum eventus earumque narrationem. Sic postquam narravit auctor Israelitas sicco pede Jordanem transiisse et Josue in hujus rei memoriam duodecim lapides in Jordanis alveo erexisse, addit (cap. IV, 9) *et sunt ibi usque in præsentem diem*. Eadem locutio occurrit capp. V, 9; VI, 25; VIII, 29; IX, 27; XIII, 13; XV, 63; XVI, 10. Hinc apparet librum Josue nonnisi postea fuisse elaboratum.

7. *Resp.* Hujusmodi locutiones bene adhiberi possunt, modo aliquot anni effluxerint ab eventu rei, ut diximus supra (1). Quum autem Josue librum suum exaraverit circa ultima vitæ suæ tempora, bene potuit talibus locutionibus uti. Imo istæ locutiones prohibent ne dicamus librum diu post Josue confectum. Nam eo casu auctor non potuisset asserere *Rahab... et domum patris ejus habitavisse in medio Israel, usque in præsentem diem* (2) atque interea silere de ejus nuptiis cum Salmone (3). Neque probabile est lapides intra Jordanem erectos diutius sustinuisse præcipites fluminis aquas.

8. *Obj.* 2ª. Sæpius in libro Josue occurrunt nomina urbium et regionum quæ ætatem produnt Josue recentiorem. Hujusmodi sunt nomina Hebron, Dabir, Tyrus, Galilæa, alia, quæ ex libris Regum recentiora esse constat.

9. *Resp.* Hæc vario modo explicari possunt. Nam vel ista nomina in libris Regum non designant easdem urbes, ut dicendum est de Tyro, vel urbes designatæ duo habent nomina, ut manifestum est de Hebron et Dabir; Galilæa autem in libro Josue nomen est commune, quod, post captivitatem Babylonicam, factum est determinatæ regionis proprium. Fieri etiam potuit ut Esdras obsoleta quædam nomina immutaverit.

(1) Supra p. 25.
(2) *Jos.* VI, 23.
(3) *Matth.* I, 5.

10. *Obj.* 3ª. Auctor libri Josue narrando mirabilem solis mutationem provocat ad librum *Justorum* (1). Si autem Josue hæc scripsisset quid necesse ipsi fuisset provocare ad librum Justorum?

11. *Resp.* Auctor coævus recte allegare potest acta publica sui temporis ad confirmandam rem adeo mirabilem, qualis est ista solis in medio cœli statio (2).

12. *Obj.* 4ª. Plura in libro Josue referuntur quæ nulla ratione a Josue conscribi potuerunt, qualia sunt ejusdem mors et sepultura (*Jos.* XX, 29), expugnatio Hebron et Dabir per Calebum et Othonielem (*Jos.* XV, 14-19), expugnatio urbis Lesem (*Jos.* XX, 47), quæ post mortem Josue contigerunt, ut patet ex *Jud.* I, 10-15; XVIII, 1.

13. *Resp.* Mors Josue ejusque sepultura reliquis ejus factis adjecta fuerit ab alio scriptore, sicut pro Moyse factum fuisse supra observavimus. Quod vero spectat expugnationes Hebron, Dabir et Lesem, ex libro Josue constat eas contigisse ante mortem Josue, nec repugnat liber Judicum, cujus auctor, chronologiæ parum sollicitus, iis rebus quæ post Josue mortem evenerunt quædam subnectit quæ illam præcesserunt; quare narrationem, *Jud.* I, 1-3 inchoatam, versu 17 iterum nectit; pericopam vero 4-16 ideo inserit, ut omnia simul conjungat quæ a Juda vel seorsum vel junctis cum Simeone viribus gesta sunt. Expugnationem vero urbis Lesem ante mortem Josue contigisse ex *Jud.* XVIII facile colligitur, tum ex eo quod Jonathan, Moysi nepos, et Phinees, Josue æqualis, adhuc in vivis agerent, tum ex eo quod parum verisimile sit Daniticam familiam ad ea usque tempora omnis possessionis vacuam permansisse (3).

14. *Fides libro Josue debita.* Quæ in libro Josue narrantur transitus Jordanis, circumcisio Israelitarum, debellatio gentium Chananæarum, divisio terræ promissæ inter duodecim tribus,

(1) *Jos.* X, 13.

(2) Nihil porro interest in libro *Justorum* insertum fuisse planctum Davidis in mortem Saulis (*II Reg.* I, 18); siquidem liber ille nihil aliud erat quam sylloge canticorum variis de rebus variisque temporibus conditorum; quare non modo Davidis, sed et Josue ætate potuit esse vetustior, atque auctior in dies fieri e locupletior; quemadmodum factum est de libro Psalmorum.

(3) Vid. Ghiringhello l, c. p. 20-23.

exhortationes Josue ad populum, sunt facta ita publica, ita omnibus cognita, ita cum tota populi Israelitici vita connexa, ut nulla ibi fictio admitti queat, et nutetur necesse sit tota Israelitarum historia, si libri Josue veritas rejiciatur. Ita etiam omnes circumstantiæ adamussim exponuntur, ita omnia indicantur monumenta, in rerum memoriam erecta, ut perspicuum sit auctorem libri et perfecte cognovisse ea quæ ipse narrabat et noluisse decipere. Quia porro omnibus persuasissimum erat de veritate libri Josue, idcirco alii scriptores sacri ad res in eo relatas non semel provocarunt (1). Idcirco Judæi hunc librum in suum canonem receperunt ea ætate qua auctoris fidem recte poterant expendere; idcirco Ecclesiasticus hisce laudibus Josue exornavit : « Fortis in bello Jesus Nave, successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum. Maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israel... Annon in iracundia ejus impeditus est sol, et una dies facta est quasi duo? Invocavit altissimum potentem in oppugnando inimicos undique, et audivit illum magnus et sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valde fortis (2). »

15. Rationalistæ, ut libri Josue veritatem tollant, asserunt plura in eo occurrere contradictoria pluraque mirabilia, ut imbrem lapidum dieique productionem per stationem solis, quæ vel naturaliter explicanda sunt vel similibus gentium mythis assimilanda videntur. Sed respondetur contradictiones non esse nisi apparentes, ut videre est apud interpretes catholicos. Quoad facta mirabilia, ea gentium mythis esse assimilanda Rationalistæ gratuito affirmant. Non negamus quidem aliquam analogiam interesse inter res in libro Josue relatas mythosque profanos; sed conferenti historiam Josue cum mythis persuasum erit tale inter utrumque observari discrimen, quale inest inter historiam veram et poetica figmenta. Quoad lapides grandinis (*Jos*. X, 11) e cœlo in hostes immissos, an fuerit lapideus imber vel saxea grando, seu grando extraordinaria, non conveniunt interpretes. Ceterum, non absque numine divino factum est ut saxea ista

(1) *Jud*. II, 6; VI, 9; XVIII, 31; *II Reg*. XXI, 2; *III Reg*. XVI, 34; *Psal*. LXVII, 13-15; Habac. III, 8-13; Mich, VI, 5, etc.
(2) *Eccli*. XLVI, 1-15.

grando, stato tempore eveniens, Hebræis parceret, Chananæos vero occideret.

16. De statione solis : *Stetit sol in medio cœli, et non festinavit occumbere spatio unius diei* (1), multi multa dixerunt ut rem inter meteorologica facta recenserent naturaliterque explicarent, sed, nisi vim verbis inferatur, negari nequit diurnam lucem revera et miraculose productam fuisse solemque immotum diu apparuisse, aliis verbis, diem vere et proprie prolongatam fuisse. At quânam ratione Deus hoc effecerit, an cohibendo solis cursum, an tellûris motum inhibendo, an alio quovis modo, Scriptura non definit, sed, communi et vulgari utens sermone, asserit solem stetisse et occubuisse, et per hoc diem prolongatam fuisse, astrônomis dijudicandum relinquens an solis ortus et occasus res sit oculis mere apparens vel non. Nequaquam igitur, ut impii blaterant, Scriptura scientiis naturalibus adversatur ; hagiographi enim revelationi divinæ patefaciendæ historiæque narrandæ student, non autem explicandis scientiis. Quidquid autem sit, Deus, utpote universi conditor, efficere potuit ut diurna lux produceretur et nulla exinde in cursu solis et astrorum perturbatio oriretur (2).

(1) *Jos.* X, 13.

(2) Cfr. Ghiringhello, l. c. p. 58-76; Veith, *Lib. cit.* p. II, quæst. IV; Calmet. P. Schouppe (*Cursus S. Script.* t. I, 191. Brux. 1870) in hanc rem ait : « Quod si in causa astronomi Galilæi, sæculo XVII, tribunalia ecclesiastica, quorum est fidei incolumitati prudenter prospicere, non tamen dogmata infallibiliter definire ; si hanc, inquam, quæstionem (de reali statione solis) assumpserunt ut pertinentem ad Scripturam et ad fidem : in hoc, Deo sic permittente, errarunt. Neque eorum judicium Ecclesia, seu romanus Pontifex, ut doctor universæ Ecclesiæ, ex cathedra loquens, unquam sancivit. »

CAPUT III.

DE LIBRIS JUDICUM ET RUTH (1).

I. *Liber Judicum.*

1. *Argumentum et scopus.* Post Josue, Israelitæ sub regimine seniorum et Judicum permanserunt usque dum regem elegerunt Saulem. Hujusce ætatis historiam, ab obitu scilicet Josue usque ad initia Samuelis, continet liber *Judicum,* sic dictus, quia gesta refert Judicum qui Israelitas a servitute gentium vicinarum liberarunt. Hic liber recte in duas partes dividitur, quarum prima capp. I–XVI, secunda capp. XVII–XXI complectitur. In prima parte narratur quasdam tribus juxta mandatum Domini Chananæos exterminasse, quasdam vero eosdem tributarios tantummodo reddidisse, ideoque legatum divinum Israelitis prænuntiasse, Chananæos postea identidem prævalituros atque Judæos in idololatriam abducturos. Observat auctor factisque ostendit, Israelitas, quamdiu Deo suo fideles exstiterunt, hostibus semper superiores fuisse; quando vero Chananæis parcebant seque, contra Dei mandatum, matrimonio cum illis jungebant, in idololatriam fuisse abductos gentibusque subactos; si vero his calamitatibus oppressi, abjecta idololatria, rursus ad Deum convertebantur, occurrisse Judices qui eos, devictis hostibus, a servitute liberarent. Et hic videtur totius libri scopus.

2. Narratur porro Israelitas primo octo annis serviisse sub Chusane, rege Mesopotamiæ, et liberatos fuisse ab Othoniele; secundo decem et octo annis serviisse sub Eglone, rege Moabitarum, et liberatos fuisse ab Aod; tertio serviisse viginti annis sub Jabino et liberatos fuisse a Barac et Debbora; quarto septem annis serviisse Madianitis et a Gedeone liberatos fuisse; quinto decem et octo annis serviisse sub Ammonitis et liberatos fuisse a Jephte; sexto quadraginta annis serviisse sub Philisthæis et defensos fuisse a Samsone. In secunda autem parte narrantur

(1) Cfr. Bonfrerius, *Comment. in Judices.* Paris. 1631; Ghiringhello, *De libris histor. A. F.* et generatim *Introdd. in V. T.*

quædam facta particularia quæ tempore Judicum contigerunt, non indicato tamen certo tempore aut sub quo Judice evenerint.

3. Erant autem *Judices* (1) belli duces, divinitus excitati ad liberandos a servitute Israelitas, ad gerenda belli pacisque negotia atque ad dirimendas in populo lites. In hoc autem a regibus differebant, quod sine regio apparatu, pompa et majestate imperarent, imperium ad filios non transmitterent et ipsis non liceret tributa imponere et leges condere. Vicarii quodammodo Dei erant, qui proprius et unicus Israelitarum rex haberi et esse volebat. Porro isti Judices, non continuo tempore, sed per intervalla suscitabantur ; et quidem nunc expressa Dei voluntate, ut Gedeon, nunc ex præsumpta, quando quis eligebatur ob præclara adversus hostes facinora, ut Othoniel, Aod, Samgar, vel ob prodigiosam aliquam corporis aut animi dotem, ut Samson, Samuel et Jephte, Judices constituebantur. Auctor numerat duodecim Judices, sed nonnisi præcipua quatuor illorum, nempe Debboræ, Gedeonis, Jephte et Samsonis, facta refert. Historia Heli et Samuelis in libros Regum reponitur; ceterorum facta tacentur.

4. *Auctor et ætas.* Ætas libri Judicum incerta est et auctor ignotus. Alii siquidem Esdram, Ezechiam alii, plures Samuelem, illius auctorem reputant (2). Sunt qui volunt Judices ipsos suam singulos partem conscripsisse ac diversa ista fragmenta postea in unum congesta fuisse a Samuele vel alio. Rationalistæ contendunt hunc librum diversis constare fragmentis a diversis auctoribus sub recentioribus regibus Judæ, aut etiam post captivitatem Babylonicam, in unum compactis (3). Nobis ea maxime arridet sententia quæ in Samuelem inclinat auctorem. Nam confectum fuisse librum Judicum ante annum septimum Davidis, colligitur ex collatione *Jud.* I, 21 cum *II Reg.* V, 7. Etenim *Jud.* I, 21 refertur : *Jebusæum autem habitatorem Jerusalem*

(1) Hebraice שֹׁפְטִים quæ vox latius patet quam latina et judicandi ac regendi notiones includit.

(2) In hanc sententiam inclinant : ex Judæis Kimchi, Abarbanel, plerique Rabbinorum; ex Catholicis S. Isidorus, Bonfrerius, Huetius, De Graveson, Glaire, Ghiringhello, etc.

(3) Ita Studer, Bertheau, Kuenen, etc.

non deleverunt filii Benjamin : habitavitque Jebusæus cum filiis Benjamin in Jerusalem usque in hodiernum diem. Porro *II Reg.* V, 7. narratur Jebusæos a Davide, septimo ejus regni anno, ex arce Sionis expulsos fuisse, adeoque non amplius Jebusæum habitavisse cum filiis Benjamin in Jerusalem. Præterea in libro primo Regum non semel alluditur ad ea quæ in libro Judicum habentur, tamquam ad facta vulgatissima et memoria digna (1). Ista igitur jam erant litteris mandata quando liber primus Regum exaratus fuit. Alioquin auctor libri Regum non omisisset illa narrare. Ex altera autem parte pluries in libro Judicum repetitur : *in diebus illis non erat rex in Israel,* ex quo consequi videtur Israelitas jam regem habuisse, quando liber Judicum exaratus fuit. Hæc autem omnia apprime quadrant in Samuelem, qui sub Saule diu vixit et Davidem in regem unxit. Porro et stylus et scopus libri eumdem expetunt auctorem. Auctor enim in memoriam Israelitarum revocat eos, quoties ad idola declinaverunt, in servitutem fuisse redactos et a Deo derelictos, quoties vero ad verum Deum pœnitentes conversi sunt, fuisse liberatos. Atqui primis Regum temporibus oportebat hæc in memoriam populi revocare, ne populus, fausta sub regibus omnia habens, putaret adversa quæ antea passus fuerat ex vitio regiminis theocratici provenire, non autem a Deo puniente.

5. *Obj.* In libro Judicum adhibentur nomina *Jerusalem* et *Domus Dei,* quæ nonnisi sub regibus in usu fuerunt. Præterea librum Judicum ex variis diversæ ætatis fragmentis compositum esse patet ex defectu nexus inter varias narrationes et ex inæqualitate narrationis, nunc nimis concisæ, nunc autem fusioris.

6. *Resp.* Nullo documento constat nomen *Jerusalem* sub judicibus nondum fuisse usitatum. Vocabulum autem *domus Dei* de tabernaculo jam in Pentateucho adhibitum fuit. Quod autem in libro Judicum fragmenta dissuta appareant, hoc non impedit unicum esse auctorem qui ea collegerit. Et revera unicum illius libri auctorem agnoscendum suadent idem ubique styli color idemque totius libri scopus.

7. *Fides historica atque divinitas.* Quamquam Samuel, quem libri auctorem tenemus, omnium quæ narrat testis esse nequi-

(1) Cfr. *I Reg.* XII, 9-12 cum *Jud.* IV, 2 ; VI, XI, 2 ; XIV.

2, Read until here.

verit, tamen ejus narrationem fide dignam esse pluribus evincitur. Etenim plura refert de Samsone, Heli et Jephte quæ facile ex traditione haurire potuit. Siquidem non ita diuturno temporis spatio ab istis eventibus separabatur et præterea ita præclara erant narrata facinora, ut omnium memoriæ facile infigi potuerint. Quoad antiquiora Judicum tempora parcior est narratio et rursus talia refert quæ traditione facile servanda erant. Præterea auctori non defuerunt scripta documenta, ut canticum Debboræ, parabola Jonathanis et fortasse conscriptæ eventuum annales. Inverisimile enim non est singulas tribus suorum Judicum scriptam servasse historiam, idque eo accuratius quod ista historia prodigiis coruscaret et ultionis ac misericordiæ divinæ argumenta clara præberet. Aderant denique monumenta alia, qualia sunt nomina locis, ubi res gestæ fuerant, imposita, ut *locus flentium* (1), *palma Debboræ* (2), nomen *Jerobaal* Gedeoni impositum (3), appellatio *Ramathlechi* tributa loco, in quo Samson asini maxilla Philisthæos devicit (4). Quæ porro auctor libri narrat de Hebræorum idololatria, de Judicum pusillanimitate et incredulitate, de gestis Samsonis indicant eum auribus populi per mendacium noluisse blandiri. Et revera ita Israelitis comperta erat libri Judicum fides historica, ut sæpius facta in eo narrata in aliis eorum libris allegentur. Sic *I Reg.* XII, 9–12 legimus : *Qui* (Israelitæ) *obliti sunt Domini Dei sui et tradidit eos in manu Sisaræ magistri militiæ Hasor, et in manu Philisthinorum, et in manu regis Moab, et pugnaverunt adversum eos. Postea autem clamaverunt ad Dominum, et dixerunt : peccavimus, quia dereliquimus Dominum, et servivimus Baalim et Astaroth : nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, et serviemus tibi. Et misit Dominus Jerobaal, et Badan, et Jephte, et Samuel et eruit vos de manu inimicorum vestrorum* (5).

8. Hujus autem libri divinitatem semper agnoverunt Judæi eumque idcirco in canonem suum numerarunt. Ecclesia autem statim ab initio librum Judicum inter protocanonicos recensuit.

(1) *Jud.* II, 5.
(2) *Jud.* IV, 5.
(3) *Jud.* VI, 32.
(4) *Jud.* XV, 16.
(5) Cfr. etiam *Jud.* IX cum *I Reg.* XXXI, 4; *II Reg.* XI, 21 et *I Paral.* X, 4; *Jud.* VIII, 12. cum *Os.* X, 19; *Jud.* XX. cum *Os.* IX, 9.

9. *Obj.* 1° Liber Judicum caret veritate historica. Nam ejus auctor peccat in annis numerandis et adversatur iis quæ traduntur *III Reg.* VI, 1, et *Act.* XIII, 20.

10. *Resp.* Etiam si vera esset criminatio, non possent Rationalistæ, ob hanc solam causam, negare fidem libro Judicum; nam fidem non negant auctoribus profanis ex eo quod in chronologia peccent. Præterea, cum libri sacri non sint omni librariorum mendo expertes, quid prohibet mendum agnoscere in loco *III Reg.* VI, 1? Non desunt tamen media quibus componatur chronologia libri Judicum cum *III Reg.* VI, 1 et *Act.* XIII, 20. Etenim *III Reg.* VI, 1 asseritur ab egressu Israelitarum ex Ægypto usque ad initam templi ædificationem effluxisse 480 annos. Porro, si computentur anni quibus unusquisque judex judicasse dicitur et anni quibus Israelitæ in servitutem redacti fuerunt, invenimus numerum majorem quam oportet ut utraque chronologia concordet, sed numerus minuitur, si supponamus, quod licet, dum tribus cis Jordanem sitæ serviebant Philisthæis et a Samsone et Samuele liberabantur, alias tribus trans Jordanem Ammonitis serviisse et judicibus Jephte, Abesan et Ahialon paruisse. Pariter dum regio trans Jordanem fruebatur pace per Aod acquisita, aliæ tribus cis Jordanem fortasse serviebant Jabino et liberabantur per Barac et Debboram. Hac ratione plures auctores (1) utramque chronologiam componunt. Sed pugnat, inquiunt adversarii, iste calculus cum *Act.* XIII, 20. Iidem auctores difficultatem solvunt dicendo, S. Paulum in allegato loco locutum fuisse de spatio temporis effluxo ab ortu Isaaci ad partitionem terræ Chanaan, ut habet Vulgata latina editio cum codicibus A B C, variis minusculis, versionibus coptica, sahidica et armeniaca et S. Chrysostomo. Dici etiam posset Paulum hoc loco concionantem minus accurate, ut fit apud oratores, locutum esse, vel mendum in textum irrepsisse.

11. *Obj.* 2°. In libro Judicum plura narrantur incredibilia: qualia sunt sexcentos Philisthæos vomere a Samgare fuisse percussos; integrum exercitum, centum triginta quinque hominum

(1) *Bible de Vence, Dissert. sur le 3e âge du monde* (t. III); Haneberg, *Histoire de la révélation biblique*, t. I, p. 241; Ghiringhello, *Lib. cit.* p. 114, sqq. Danko putat econtra in allato Regum loco auctorem in ducenda æra ad cultum Dei attendisse, atque idcirco neglexisse annos quibus populus, cultui idololatrico addictus, in servitutem alienigenarum redactus fuit.

millibus constantem, a Gedeone cum tercentis militibus buccinis et facibus pro gladio instructis in fugam versum ; apes in cadavere mellificasse; Samsonis vires extraordinarias in ejus capillis sitas fuisse ; Samsonem tercentas vulpes collegisse, earum caudis lucernas alligavisse iisque segetes incendisse ; eumdem mille Philisthæos percussisse, cum asini maxilla, e cujus dente molari aquam eduxit ad sitim extinguendam.

12. *Resp*. Quæ ab adversariis velut incredibilia opponuntur incredibilia non sunt nisi iis, qui vel ea recte non intelligunt vel miracula admittere nolunt. Etenim, Samgar, vir robustissimus, non ipse solus sed cum bubulis quos cito collegerit, Philisthæos inopinato irruentes percussit, pro armis utens crudeli illo stimulo (1) boum quo utuntur agricolæ Palæstinenses. Quid in hoc incredibile sit non video.

13. Præclarum Gedeonis facinus pertinet quidem ad stratagemata bellica (2). Attamen non sine Dei impulsu factum est. Nam præcepit Deus Gedeoni pauciores milites servare ut scirent Israelitæ se non suis viribus sed Dei auxilio liberatos (3).

14. Apes cadavera nondum exsiccata refugere novimus ; at in sceletis identidem mellificare æque compertum est. In Vulgata quidem dicitur examen apum in ore leonis a Samsone occisi post *aliquot* ab occisione dies inventum fuisse; quod non est omnino impossibile, quum in hac regione tanta sit ferarum et avium rapacium turba tamque vehemens æstus ut animalium cadavera quam celerrime carnibus nudentur. Attamen in textu hebræo habetur simpliciter locutio *post dies*, quæ indeterminatum temporis intervallum designans, plures menses, imo integrum quandoque annum significat (4).

(1) Vocatur hebraice מלמד *Malmad*, quam vocem Vulgata improprie *vomerem* reddit. Est enim *Malmad*, ut testantur Maundrell aliique viatores, baculum non tenue sed crassum et octo circiter pedum longum, cujus tenuior extremitas ferrea cuspide ad boves instigandos instructa est, altera crassior desinit in bipalium terræque vomeri adhæsæ abradendæ inservit. Cfr. Calmet. ad *Jud*. III, 31; Drach in *Bible de Vence* ad Jud. III, 31; Ghiringhello l. c. p. 125.

(2) Simile stratagema ab aliquo duce Arabum excogitatum eodemque successu coronatum narrat Niebuhr, *Description de l'Arabie*, I, 263. Amsterdam, 1774.

(3) *Jud*. VII, 2.

(4) Cfr. *Jud*. XI, 40; XVII, 10; XXI, 19; Drach in *Lexico hebr.*; Ghiringhello, l. c. p. 130.

15. Samsonis vires non naturales sed supernaturales erant. Deus autem intonsis capillis eas alligaverit ut ostenderet vota, quale est votum nazireatus Samsonis, sancte esse servanda. Quia igitur observationi voti vires illas annexuerat, Deus eas non retraxit propter pravas alias Samsonis actiones, sed propter voti transgressionem. Vires igitur Samsonis sicut et facinora inde provenientia nihil incredibile includunt. Quamvis porro vulpes non ita facile capiantur, impossibile tamen non fuit Samsoni adhibitis sociis et retibus trecentos capere in regione ubi abundabant. In textu autem hebræo animal, de quo agitur, vocatur שׁוּעָל *schual* vel *chucal*, quo nomine Hebræi non modo vulpes sed canes aureos (gallice *chacals*) designabant. Porro hæc animalia et gregatim incedunt et adhuc hodie in hisce locis habitant (1). Quod Samson vel ipse solus vel aliis adjutus mille Philisthæos asini maxilla percusserit hoc nihil incredibile habet quum divino auxilio adjutus fuerit. Quo etiam auxilio potuerit educere aquam e maxilla asini, vel, ut alii textum hebraicum interpretantur, e rupe loci, a facinore Samsonis *Maxilla* vocati.

16. *Obj.* 3°. Divinus esse nequit liber qui proditionem homicidiumque laudat et viro a Spiritu sancto acto flagitia tribuit. Atqui Aod et Jahel, quos laudat liber Judicum, homicidium proditionemque perpetrarunt; Samson cum Dalila prave se gessit. Ergo, etc.

17. *Resp.* Aod quidem cum muneribus ad regem Eglon missus fuit, et postquam, sub prætextu rei arcanæ nuntiandæ, regem, remotis arbitris, adiisset, ipsum interfecit. Observandum autem est Scripturam laudare Aod tanquam qui populum suum liberasset, quod utique nihil vetiti habet. Observandum etiam est Deum præcepisse Israelitis ut omnes populos Chananeos penitus delerent; putaverit autem Aod se rem bonam facturum, si, ad explendum illud præceptum regem occideret : quod et fecit. Si autem in explendo hoc præcepto levi mendacio lapsus est hoc Scriptura non laudat quæ alibi mendacium prohibet. Eodem modo et de Jahelis facinore judicandum. Si forte erga hospitum jura minus recte se habuit, de quo tamen non con-

(1) Cfr. Ghiringhello, l. c. p. 130; Guérin, *Descript. de la Judée* II, p. 31. Par. 1869. Hic auctor in Thamnata invenit canes aureos et deinde versus occasum incedens observavit densas segetes hordei et frumenti, ut tempore Samsonis, agros operientes.

stat, hoc Scriptura non laudat, quæ solummodo liberationem populi a Jahele procuratam celebrat. Idem esto Judicium de peccaminosis quibusdam Samsonis actionibus. Deus, qui ei ad liberandos Israelitas vires peculiares concesserat, eum impeccabilem non reddiderat (1).

II. *Liber Ruth.*

18. *Argumentum.* Liber, cui Ruth nomen est, gesta Ruth Moabitidis quatuor capitibus complectitur. Vir quidam, Elimelech nomine, cum ejus uxore Noemi et duobus filiis abiit in terram Moab, ibique ejus filii uxores duxerunt Moabitides, quarum una vocabatur Ruth. Defuncto Elimelecho et duobus ejus filiis, Ruth veram religionem amplexa est, et adhærens Noemi cum illa reversa est Bethleem et nupsit cognato suo Booz. Quod matrimonium quomodo contigerit fuse auctor narrat, observans in fine libelli ex isto matrimonio per successivas generationes ortum esse Davidem.

19. *Scopus.* « Hujus libelli finis, ait Bonfrerius (2), fuit explicare Davidis regis, atque adeo et Christi Domini prosapiam, quam et paucis liber hic in fine colligit a Phares, Judæ filio, usque ad ipsum Davidem. Cum enim tota Scriptura Christum Dominum tanquam finem spectet, per quem benedicendæ erant omnes gentes, voluit jam inde ab initio Deus symbolis, signis, figuris, prophetis, eum præmonstrare, generis seriem indicare, ut eum, quum advenisset, homines possent agnoscere.... Inter avias et progenitrices Davidis et Christi non tantum venerunt Israelitides mulieres, sed etiam gentiles, cujusmodi fuit Rahab Chananæa et Ruth Moabitis, antea quidem infideles, postea vero fideles. « Nimirum, ut ait Hieronymus, ut ostenderet Christus se ex peccatoribus non dedignatum nasci qui ad delendum peccata venerat. »

20. *Auctor et ætas.* Est autem liber Ruth veluti appendicula libri Judicum (3), siquidem historia hæc Judicum tempore con-

(1) Recole quæ dicta sunt supra pag. 53 et 54.

(2) *Præf. in Ruth.*

(3) Hinc plerique olim Judæorum Ruth cum Judicibus conjungebant, ut constat ex versione LXX, ex Origene et ex Hieronymo qui in *Prologo Galeato* ait :

tigit, ut constat ex cap. I, 1 : *In diebus unius Judicis, quando Judices præerant, facta est fames in terra*, etc. Disputatur autem sub quo judice hæc historia contigerit, et fere tot sunt sententiæ quot auctores. Non improbabilis videtur opinio, quæ ipsam sub Aod Judice reponit. Neque etiam constat quonam auctore, aut quonam tempore conscriptus fuerit liber Ruth. Ex primo versiculo apparet Judicum tempora jam fuisse elapsa, et ex fine libri, in qua Davidis mentio ingeritur, concluditur libri confectionem reponendam non esse ante initia Davidis. Plurimi cum Thalmudistis autumant Samuelem illius esse auctorem. Dictiones aramaïzantes quæ frequenter occurrunt, ubi sermones personarum referuntur, ex familiari lingua qua istæ personæ utebantur repetendæ sunt, non autem a captivitate Babylonica. Differt tamen iste libellus lingua et stylo, tum a libro Judicum, tum a prioribus Regum libris.

§ 21. *Fides historica atque divinitas.* Rationalistæ Ruthæ historiam ut fictitiam habent, sed quæ afferunt argumenta nullius sunt ponderis ; econtra auctor ita candide, accurate et absque fuco omnia refert, ita ingenue omnia describit, et servat omnia quæ congrua sunt temporibus, locis et personis, ut sincerum eum et fide dignum fateri necesse sit. Si autem fingere voluisset, Rutham certe, Davidis progenitricem, ex prava Moab origine oriundam non fecisset, et plura alia quæ in libro occurrunt vel tacuisset vel aliter retulisset : Judæi autem et Christiani semper hunc librum inter protocanonicos numerarunt.

« In eumdem librum (Judicum) compingunt Ruth : quia in diebus Judicum facta narratur historia : quamquam nonnulli Ruth et Cinnoth inter hagiographa scriptitent. »

CAPUT IV.

DE LIBRIS REGUM (1).

1. *Argumentum.* Latini quatuor numerant Regum libros, quorum duos priores Samuelis (2), duos vero posteriores Regum, Hebræi nuncupant. Liber primus incipit a Samuele, cujus nativitas cœlitus promissa, infantia et munus propheticum ac politicum, describuntur (I-IX). Sequitur immutatio regiminis; Saul rex constitutus, Philisthæos et Amalecitas devicit et in pœnam suæ inobedientiæ a Deo reprobatur (X-XV). Porro Samuel, jussu Dei, Davidem in futurum Israelitarum regem ungit. David autem ad Saulem arcessitur eumque sua psallendi arte recreat. Devicto autem a Davide Goliatho, Saul suspicatus Davidem futurum esse regem, mortem ei sæpius molitus est, donec ipse cum Philisthæis pugnans occubuit (XVI-XXXI). Hæc sunt quæ libro primo narrantur.

2. In secundo David rex eligitur, primum a tribu Judæ, deinde etiam a ceteris, et, expulsis Jebusæis, arcem Sion occupat, in quam arcam introducit ibique sedem regiam constituit (I-VI). Varia deinde referuntur Davidis gesta, atque ejus cum uxore aliena lapsus et secuta pœnitentia (VII-XXIV).

3. Libro autem tertio David in senectute bona moritur, postquam successorem sibi elegisset Salomonem, cujus regis gesta et sapientia templumque ab eo ædificatum depinguntur (I-XII). Salomoni successit ejus filius Roboam, quo regnante, scissum fuit regnum, et decem tribus a Juda et Benjamin, duce Jeroboam, sese separarunt regnumque Israeliticum constituerunt. Prosequitur historia utriusque regni usque ad mortem Achabi regis Israel, et Josaphat, regis Judæ (XIII-XXII). Narrat porro auctor præcipua cujusque regis gesta, de unoquoque monens, an verum Deum coluerit, vel idolis servierit; quod et in libro

(1) Cfr. Ghiringhello, *Lib. cit.*; Veith, *Script. contra incred. propug.* p. III, Sect. I.; Herbst et Welte, Scholz, Glaire, in suis *Introdd.*

(2) Duo priores libri ideo Samuelis dicuntur quia ab ejus judicatu incipiunt, et quia ipse reges unxit quorum historia refertur. Antiquiores Hebræi duos libros in unum conjungebant. Bombergius in ed. 1517 in duos divisit. Appellatio librorum Regum aut Regnorum ex versione græca derivatur.

sequenti pariter facit. Posteriora quinque libri capita tota fere sunt in describendis Eliæ gestis et prodigiis.

4. In libro quarto historia regnorum Judæ et Israelis continuatur usque ad exstinctionem utriusque regni, id est, usque ad destructionem regni decem tribuum per Salmanasar, regem Assyriorum, et eversionem urbis Jerusalem et templi ac deportationem Judæorum in Babyloniam per Nabuchodonosor. In prioribus capitibus (I-XIII) interseruntur huic historiæ continuatio gestorum Eliæ et narratio prodigiorum ejus discipuli Elisæi. In reliqua libri parte (XIV-XXV) occurrunt narratio destructionis Samariæ et descriptio pietatis Ezechiæ, liberationis populi ab exercitu Sennacherib, impietatis Manassis et Paschatis sub Josia celebratæ. Ultimo loco narratur historia destructionis urbis et templi et captivitatis Babylonicæ. In duobus posterioribus Regum libris auctor non studet politicam utriusque regni conficere historiam, sed, facto præcipuarum rerum delectu, ostendit quomodo Deus promissiones Davidi factas de ædificatione templi a Salomone et de servando ejus posteris regno adimpletæ fuerunt. Ostendit etiam reges, quoties idolis servierunt, a Deo afflictos fuisse et in manus hostium traditos; quoties vero a Prophetis admoniti pœnitentiam egerunt, a Deo de hostibus victores effectos fuisse et bonis cumulatos. Verbo, ostendit auctor quomodo Deus nationem Judaicam gubernaverit eamque per Prophetas suos continuo admonens in vero Dei cultu veraque religione servaverit.

5. *Auctor et ætas*. De auctore vel auctoribus librorum Regum nihil certi habemus. Sunt qui quatuor librorum nonnisi unum eumdemque auctorem agnoscunt. Unicus iste auctor totam hanc historiam ex variis documentis, puta ex scriptis Samuelis, Nathanis, ex annalibus regni Davidis, Salomonis et aliorum regum Israel et Juda, ita digesserit ut sæpius ipsa documenta verbotenus exscriberet. Quum autem historia perducatur usque ad tempora captivitatis Babylonicæ, auctor alius esse nequit quam Jeremias Propheta aut potius Esdras, qui a captivitate redux multam operam impendit in instaurandis libris sacris. In favorem hujus sententiæ allegantur operis ordo, dispositio ac stylus. Etenim quatuor libri initio unum volumen effecisse videntur. Siquidem liber secundus separari nequit a primo; tertius autem adimplet historiam Davidis, quam secundus imper-

fectam reliquerat, et quartus nunquam separatus fuit a tertio. Apparet etiam ex nonnullis vocabulis et proverbiis librum primum quoad stylum consonare cum libro quarto, adeoque unum utriusque admittendum auctorem. Huic tamen sententiæ plura obstant. Etenim continuatur quidem per quatuor libros eadem Regum historia, sed dum in duobus prioribus libris narratio fusior fluit et solummodo de Saule et Davide agit, duo posteriores de ceteris Judæ et Israelis regibus summatim tractant. Præterea in duobus prioribus libris occurrunt formæ poeticæ et locutiones, libris Pentateuchi, Josue et Judicum communes, quæ non observantur in duobus libris posterioribus. Denique talia etiam leguntur quæ ab auctore post captivitatem vivente scribi nequiverunt, ut est illud (*I Reg.* XXVII, 6) : *Facta est Siceleg regum Juda usque in diem hanc.* Jam autem post captivitatem, Siceleg non poterat esse regum Judæ qui non amplius exstabant.

6. Hinc alii autumant libros Regum a pluribus auctoribus conscriptos esse. Juxta hujus sententiæ patronos Samuel litteris mandaverit quæ suam mortem præcesserunt (*I Reg.* I-XXIV). Prophetæ Nathan, Gad et Ahias Silonites gesta Davidis et Salomonis conscripserunt juxta illud : *Gesta autem David regis priora et novissima scripta sunt in libro Samuel Videntis, et in libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad Videntis.* Et : *Reliqua autem operum Salomonis priorum et novissimorum scripta sunt in verbis Nathan Prophetæ et in libris Ahiæ Silonitis, in visione quoque Addo Videntis* (1). Attamen ex illis textibus hoc unum dumtaxat constat, Samuelem scilicet aliosque allegatos Prophetas gesta Saulis , Davidis atque Salomonis scripsisse ; minime vero constat libros a prædictis auctoribus confectos, eosdem esse quos sub nomine Regum habemus. Porro scriptorem, qui ex citatis fortasse operibus duos priores Regum libros composuerit, Davidi coævum fuisse, non immerito forsan exinde collegeris quod de splendido Salomonis regno nihil habet et quod *II Reg.* IV, 3 monet Berothitas, initio regni Davidis, fugisse in Gethaim, ibique advenas permansisse usque ad tempus quo auctor scribebat. Etenim credibile non est Berothitas per

(1) *I Paral.* XXIX, 29; *II Paral.* IX, 29.

plura sæcula advenas permansisse in eodem loco (1). Quod gesta regum Juda et Israel attinet, iidem auctores tenent ea pariter a diversis auctoribus diversoque tempore fuisse exarata.

7. Ex dictis sequitur incertam pariter esse ætatem qua unusquisque liber editus fuerit. Illud tamen probabiliter affirmari posse videtur, libros Regum Paralipomenis antiquiores esse, siquidem auctor hujus libri sæpius lectorem remittit ad *librum Regum Juda et Israel,* quo nomine designari nostros Regum libros non improbabile est (2).

8. *Fides historica ac divinitas.* Quamvis dubius sit auctor, in dubium tamen non versantur res in libris Regum relatæ. Etenim auctor, quisquis ille fuerit, ad manus habuit documenta authentica ex quibus narrationem suam hausit. In scribendis duobus prioribus Regum libris, præter traditionem et monumenta alia, præsto ipsi fuerunt ea opera quæ hisce verbis in libris Paralipomenon (3) indicantur : *Gesta autem Davidis regis priora et novissima scripta sunt in libro Samuelis Videntis, et in libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad videntis.* Pro duobus posterioribus libris usus est annalibus regni Salomonis et aliorum regum Juda et Israel, ad quæ continuo remittit his aut similibus verbis : *Reliquum verborum Salomonis, et omnia quæ fecit, et sapientia ejus : ecce universa scripta sunt in libro verborum dierum Salomonis. Reliqua autem verborum Jeroboam.... scripta sunt in libro verborum dierum regum Israel.*

(1) Cfr. *I Reg.* V, 5. Attamen *I Reg.* XXVII, 6 legitur : *Dedit itaque ei* (Davidi) *Achis in die illa Siceleg propter quam causam facta est Siceleg regum Juda usque in diem hanc.* Quibus verbis innui videtur primum Regum librum scriptum fuisse eo tempore quo reges Juda distinguebantur a regibus Israelis. Forsan tamen aliter textus intelligi poterit, ita nempe ut dicamus auctorem generalioribus verbis usum nihil aliud significare voluisse per reges Juda quam reges nationis, cujus tribus Juda principalior erat, id est, reges totius nationis Israeliticæ. Porro reges dixerit pro rege et designaverit Davidem qui super tribum Judæ regnaverat antequam ceteræ tribus ei parerent. Idcirco reges Judæ potius quam Israelis dixerit. Fortasse etiam ideo reges Juda dixerit quia Siceleg olim tribui Judæ pertinuerat et per cessionem Davidi factam ad hanc tribum redibat.

(2) Vid. *I Par.* IX, 1 ; *II Par.* XXV, 26; XXVII, 7 ; XXVIII, 26; XXXII, 32; XXXV, 26; XXXVI, 8.

(3) *I Paral.* XXIX, 29.

Reliqua sermonum Roboam et omnia quæ fecit, ecce scripta sunt in libro sermonum dierum regum Juda (1).

9. Exstabant igitur atque apud Judæos servabantur documenta authentica gestorum Davidis, Salomonis atque aliorum regum. Quisquis igitur librorum Regum auctor habeatur, admittamus necesse est ejus narrationem esse veram. Nam vel auctor narrationem suam documentis authenticis conformavit, vel non ; si conformavit, vera est ; si non, narratio necessario rejecta fuisset, tanquam actis authenticis, publicis et coævis contraria. Si autem cum pluribus auctoribus ponatur Samuelem, Nathanem et Gad, duos priores libros conscripsisse, magis adhuc confirmatur nostra assertio.

10. Præterea auctor nullibi aut studio partium ducitur, aut gentis amore rapitur ad exaggeranda ea quæ in ejus laudem vergunt et minuenda ea quæ sunt in contrarium ; sed veritatis ita studiosum se præbet, ut maximo animi candore referat ea quæ in gentis suæ confusionem et opprobrium faciunt, qualia sunt homicidium et adulterium Davidis, idololatria Salomonis, impia plurium regum facinora. Sane qui fingere studet a recitandis hujusmodi probris sedulo abstinet.

11. Merito igitur alii libri sacri sæpius allegant facta in libris Regum narrata, tanquam omnino vera, et ad hos libros provocant tanquam ad libros divinos. Sic auctor Paralipomenon multa ex istis libris aut saltem ex eodem fonte deprompsit ; multa pariter librorum Regum facta in Psalmis celebrantur, et isti Psalmi obscuri valde fierent, nisi ex hac narratione explicarentur (2). Ejusdem historiæ compendium quoddam faciens Ecclesiasticus (3), laudibus extollit præclara Samuelis, Davidis,

(1) *III Reg.* XI, 41 ; XIV, 19, 29. Cfr. *III Reg.* XV, 7, 23, 31 ; XVI, 5, 14, 20, 27 ; XXII, 39, 46; *IV Reg.* I, 18; VIII, 23; X, 34; XIV, 28; XV, 36; XX, 20; *I Paral.* XXIX, 29; *II Paral.* IX, 29; XIII, 22; XX, 34; XXVI, 22; XXXIII, 19; etc. Sive autem isti annales fuerint libri separati, ita ut cujusque regni exstarent annales proprii, sive unum dumtaxat librum ex documentis coævis constantem efformarent ; quæcumque admittatur sententia, eorum auctoritas historica infirmari nequit.

(2) Cfr. *Psal.* II cum *II Reg.* XV, 14; *Psal.* VII cum *II Reg.* XVI; *Psal.* L cum *II Reg.* XII; *Psal.* LI cum *I Reg.* XXII, 9; *Psal.* LIII, LV, LVIII cum *I Reg.* XIX, 11; XXI, 12; XXII, 1 ; XXIII, 19 etc. Psalmus XVII integre recitatur in *II Reg.* XXII.

(3) *Eccli* XLI-XLVI.

Salomonis aliorumque regum gesta; alii libri sacri identidem ex libris Regum varia allegant et quandoque servant propria horum librorum verba (1). Idcirco omnes Judæi et Christiani quatuor libros Regum semper numerarunt inter Scripturas divinas.

12. *Obj*. 1° Multa absurda, incredibilia et contradictoria, occurrunt in libris Regum, qualia sunt quæ narrantur de Bethsamitis, quod *quinquaginta millia* eorum interfecti fuerint, quia curiosius arcam inspexissent (*I Reg*. VI, 19), et quæ de Saule leguntur ipsum *unius anni* fuisse quum regnare cœpisset (*I Reg*. XXII, 1), alia, quibus recensetur numerus annorum alicujus regni, aut numerus pugnantium et occisorum in hoc vel illo prælio. Porro liber, absurda et contradictoria continens, nec verus nec divinus esse potest. Ergo, etc. Ita Rationalistæ.

13. *Resp*. Hæc et cetera hujusmodi, si in sensu adversariorum sumenda forent, labefactarent potius criticam textus integritatem, quam divinam libri auctoritatem. Cum enim amanuenses et librarii, etiam religiosissimi, quia et ipsi homines sunt, in multis labantur, præsertim vero in numeris describendis, præstaret eos oscitantiæ et erroris reos habere, quam probatissimum historicum falsitatis arguere. Porro interpretes catholici in commentariis suis jamdiu hæc omnia diluerunt. Sic verba : *Saul filius unius anni erat quum regnare cœpisset, duobus autem annis regnavit* etc., ad mentem textus hebræi ita interpretari fas est : « Jam annum Saul expleverat, ex quo primum rex creatus fuerat (per duos autem annos regnavit), quum tria millia de Israel sibi elegit. » Ad numerum Bethsamitarum qui occisi dicuntur, hoc ita intelligi potest, ut non solum de Bethsamitis, sed de toto populo qui ad invisendam arcam venerat, quinquaginta millia occisa fuerint.

14. *Obj*. 2°. Vera et divina esse nequit Scriptura, quæ laudat virum proditionis, adulterii et homicidii reum; atqui libri Regum testantur Davidem virum fuisse juxta cor Dei; David autem in patriam rebellis suorumque proditor, extraneis se sociavit ut suos debellaret, latronibus præterea se conjunxit eorum dux factus, denique crudelitate in inimicos, adulterio cum Bethsabee, homicidio Uriæ vitam suam maculavit. Ergo, etc.

(1) In *Matth*. XII, 3 et *Rom*. XI, 3-4 allegantur tanquam Scriptura divina *I Reg*. XXI, 6 et *III Reg*. XIX, 10-18.

15. *Resp*. David præ ceteris regibus maxima dedit omnium virtutum specimina : pueritiam inter greges, adolescentiam in bello et fuga , ætatem virilem in regno constituendo terere coactus, ubique mitissimi piissimique ingenii exempla dedit. Quot vicibus Sauli, fraude, et bello vitam ejus exquirenti, pepercit; ubi facile eum occidere potuisset. Nihilominus quamvis a Saule, quem de Philisthæis victorem reddiderat, pluries deceptus, extrema subire pericula maluit quam manus in unctum Domini mittere. Dum sic inimicis clementissimus parcebat, in Dei laudes piissimus sese effundebat, merito igitur *vir secundum cor Dei* in Scriptura nuncupatur. Nos tamen, qui cum Augustino (1) « Scripturas sacras non hominum peccata defendimus, » nolumus ab omni culpa Davidem expurgare. Commisit quidem rex, omnium maximus, ex humana fragilitate, et homicidii et adulterii crimen, sed a Propheta admonitus pœnituit. « Peccavit Davides, quod solent reges, sed pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non solent reges (2). » Exaggerant quidem increduli supplicia de Moabitis , et Ammonitis sumpta (*II Reg*. XII, 31). Sed si attendatur illorum populorum crudelitas , de qua dicitur , apud *Amos*. I, 13 , quod dissecuerint prægnantes, aliter erit judicandum. Quoad fidem a Davide regi Achis datam adversus Israelitas, David, si quid in his peccaverit, tamen nec fidem fregit, nec adversus Israelitas pugnavit. Alias difficultates solvunt auctores initio hujus capitis citati.

(1) *Contra Faustum* XXI, 45.
(2) S. Ambros. *Apolog. Dav.* IV.

CAPUT V.

DE LIBRIS PARALIPOMENON (1).

1. *Argumentum.* Latini, Græcos imitati, *Paralipomena* *παραλειπόμενα* (2), id est, *prætermissa* vocarunt duos libros, qui ab Hebræis דִּבְרֵי הַיָּמִים, *verba dierum* sive *chronica* vel *annales*, inscribuntur (3). Sunt autem, ut ait S. Hieronymus, libri Paralipomenon quasi *chronicon totius divinæ historiæ.* In libro primo strictim ob oculos ponitur gentis Judaicæ genealogia ab Adamo usque ad Zorobabelem (I-IX). Sequitur narratio mortis Saulis et gestorum Davidis (X-XXIX). In libro secundo recitatur historia Salomonis (I-IX) et aliorum regum Juda usque ad captivitatem Babylonicam (X-XXXVI). Auctor nonnisi incidenter loquitur de regibus decem tribuum, plura supplet quæ in libris Regum prætermissa fuerunt, præsertim in iis quæ spectant religionem et Dei cultum. In fine narrat quomodo Judæi, postquam per septuaginta annos in captivitate permansissent, a Cyro licentiam obtinuerunt redeundi in Jerusalem.

2. *Scopus.* Id præ ceteris propositum sibi habuit auctor ut Judæis a captivitate reversis proprias uniuscujusque possessiones et ordinem cultus divini rite celebrandi ostenderet. Ut igitur unaquæque familia bona sua cognosceret, familiarum distributionem ac successionem per genealogias ostendit, attendens præsertim ad tribus Juda et Benjamin, quia multo plures ex istis tribubus quam ex reliquis ad avita loca redierant. Diligenter autem recensuit levitarum et sacerdotum familias, ut sacris muneribus obeundis nemo se inferret, cui jus non esset.

(1) Cfr. Ghiringhello, *Lib. sup. cit.* p. 351-387; Glaire, Welte, in *Introd. cit.;* ex parte Protestantium Dahler, *De librorum Paral. auctoritate.* Argentorati, 1819; Keil, *Apolog. Versuch über die Glaub. d. Bücher d. Kronik.* Berolini 1833.

(2) Ideo *Paralipomena* seu *prætermissa* dicuntur, inquit Synopsis Athanasiana, quia multa in libris Regum prætermissa referunt.

(3) S. Hieronymus, *Præf. in Paral.*, ait : « Hoc primum sciendum est, quod apud Hebræos liber Paralipomenon unus sit, et apud illos vocatur *Dibre haiamim,* id est, verba dierum, qui propter magnitudinem apud nos divisus est. » Bombergus in editione sua anni 1517 Paralipomena in duos libros divisit; eum secuti sunt alii editores Bibliorum hebræorum.

libris, nulla tamen exinde contradictio, nam eodem tunc nomine diversæ designantur personæ. Cetera quæ in Paralipomenis narrantur ex probatissimis fontibus deprompta sunt. Laudat enim auctor antiquas historias (1), Davidis fastos, utriusque regni annales ac varia scripta Prophetarum, Samuelis, Nathanis, Gad, Ahiæ Silonitis, Semeiæ, Jehu, Isaiæ et Hozai (2).

8. Usus est igitur auctor probatissimis fontibus. Quod autem iis fideliter usus sit ex pluribus evincitur. Etenim, si studuisset res aliter referre quam in fontibus descriptæ erant lectori cur fontes ipsos tanta cura indicavit? Si fictis historiis Judæis placere studuisset, cur tam multa decora, notissima et in Judæorum laudem edita silentio prætermisit? Cur bella Davidis ejusque victorias, Salomonis prudens judicium, sanitatem Ezechiæ prodigiose restitutam tacuit? cur multa probrosa in aliis libris omissa, intermissionem festi Paschatis, crimina Joasi, Amasiæ et Oziæ, produxit? Denique impossibile auctori fuisset facta fingere vel scripta pervertere quo tempore, ut ex allegatis ab ipso scriptis constat, exstabant multa scripta authentica in quibus descripta inveniebantur omnia quæ ipse recitabat. Et quod magis adhuc probat libros Paralipomenon omnino veraces esse, illud est quod mire cum libris Regum concordant. Etenim sæpe consonant adamussim et fere ad verbum, hac sola differentia, quod vocibus obscurioribus aut obsoletis clariores substituunt, et quod sæpius narrationes, adjectis quibusdam verbis aut circumstantiis, intelligibiliores reddunt, quandoque tamen perstringunt ea quæ fusius habentur in libris Regum. Ceterum idem cernitur et in libris Regum et in Paralipomenis historiæ trames, idem successionis regum et gestorum ordo. Si quæ occurrunt in minutis differentiæ, eæ vel ex mendis librariorum repetendæ sunt, vel contradictiones mere apparentes continent.

9. Recentiores libri sacri plura ex libris Paralipomenon adducunt (3); Evangelistæ genealogiam Salvatoris ex eis depromunt. Merito igitur Josephus, merito Judæi atque Christiani

(1) *I Paral.* IV, 22, hebraice *verba v·tera,* quibus vocibus designari historias scripto exaratas facile perspiciet qui attenderit ad *II Par.* XX, 34 ubi *v·rba Jehu* designant scriptam ab eo historiam.

(2) *I Paral.* XXVII. 24; XXIX, 29; *II Paral.* IX, 29; XII, 15; XX, 34; XXV, 26; XXVI, 22; XXVII, 7, 27; XXXII, 32; XXXIII, 18; XXXVII, 8.

(3) Cfr. *I Esdr.* I; *Matth.* 1, 9-11; XXIII, 34-35; *Luc.* III, XI, 51; *Act.* VII, 48.

hunc librum in canonem semper numerarunt.] Merito denique Hieronymus (1) dixit : « Paralipomenon liber, id est, Instrumenti veteris επιτομη tantus ac talis est, ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare seipsum irrideat; per singula quippe nomina juncturasque verborum et prætermissæ in Regum libris tanguntur historiæ et innumerabiles explicantur Evangelii quæstiones. »

10. *Obj.* Libri Paralipomenon in multis discrepant a libris Regum, discrepant siquidem tum in annis numerandis, tum in locorum situ indicando, tum in recitandis urbium et hominum nominibus propriis. Ergo libri Paralipomenon nec veri nec divini habendi sunt. Ita De Wette, Gramberg et alii post eos.

11. *Resp.* Hæc difficultas recte jam soluta fuit a Calmeto (*Præf. in Paral.*) qui observat has difficultates vix afficere narrationis substantiam sed potius minutas circumstantias. Nullus autem liber rejicitur ob hujusmodi difficultates. Plures reperiuntur qui vitam Alexandri Magni litteris mandarunt, discrepant autem in pluribus; an idcirco historia hæc erit dubia, aut libri rejiciendi? Quis ex Rationalistis hoc affirmare ausit? Quod si hoc non audeant, cur libros Paralipomenon rejicere audent? Nonne par est ex utraque parte ratio? Quinimo libri Paralipomenon perfecte in omnibus quadrant cum libris Regum, si excipiantur quædam librariorum menda, quæ ab humana imbecillitate nullibi Deus, nequidem in libris divinis describendis, voluit esse vitanda. Potuerunt igitur librarii sive in recensendis numeris, sive in transcribendis nominibus quasdam litteras immutare, potuerunt voces omittere, homines erant errori obnoxii; potuerunt etiam nominibus nonnullis locorum aut virorum alia substituere aut quia antiqua nomina obsoleverant, aut quia recentiora rem magis elucidabant. Plurimæ autem ex difficultatibus quæ afferuntur, textu rite explicato, evanescunt.

(1) *Epist. ad Paulin.*



CAPUT VI.

DE LIBRIS ESDRÆ ET NEHEMIÆ (1).

1. *Argumentum.* In prima libri Esdræ parte (I-VI) historia narratur eorum, quæ Israelitis contigerunt ab anno Cyri primo usque ad annum sextum Darii Hystaspis, seu ab anno 536 usque ad annum 515 ante Christum. Hoc tempore Judæi a captivitate in patriam redeunt, cultum divinum instaurant templumque reædificant. In altera parte (VII-X) gesta Esdræ referuntur, qui septimo Artaxerxis anno 458 ante Christum alios in patriam Judæos reduxit et amplam a rege potestatem accepit ut res Judæorum in Judæa restitueret; quod et præstitit, dimissis extraneis uxoribus, quas nonnulli contra Legem Moysi acceperant.

2. Libro Esdræ Judæi jungebant librum Nehemiæ, quem speciali titulo non distinguebant (2). Nehemias, pincerna Artaxerxis, regis Persarum, dum Susæ degeret, de afflicto Judæorum statu certior factus a rege Artarxerxe, anno vicesimo regni ejus (445 ante Chr.) licentiam accepit muros Jerusalem iterum exstruendi. Cum igitur in Judæam venisset, labori statim se accinxit, Judæis multis operam conferentibus, Sanaballat aliisque hostibus opera impedire frustra conantibus (I-VI). Postquam Nehemias populum recensuerat, Esdras Legem prælegit, festum Tabernaculorum solemniter celebratum fuit et criminum patratorum publica pœnitentia facta est. Omnes porro, tum populus tum sacerdotes, Legem Dei se fideliter observaturos spoponderunt et ab alienigenis quas susceperant uxoribus se separarunt (VII-XIII).

3. *Auctor.* Esdras, *scriba velox in Lege Moysi, quam Dominus Deus dedit Israel* (3), auctor habetur libri ejus nomine inscripti, quod docuerunt omnes antiqui, tum Judæi tum Christiani. Spinoza primus utrumque librum, Esdræ scilicet et Nehemiæ, supposititium esse docuit. De Wette, Berthold, Zunz, Bleek

(1) Cfr. Ghiringhello et alii auctores capite præcedenti citati.

(2) Hinc tanquam unus liber recensetur apud Josephum, Thalmudistas et plures Patres.

(3) *I Esdr.* VII, 6, 11.

volunt istud opus, prout nunc exstat, nonnisi partes vel pauciores vel plures ab Esdra trahere. Ex Catholicis Huetius contendit sex priora capita non fuisse ab Esdra exarata, qui solummodo partem posteriorem conscripserit. Unum autem eumdemque totius libri auctorem esse patet ex connexione atque dispositione narrationis et ex stylo qui idem esse per universum librum cernitur. Ille autem auctor alius esse nequit quam ipse Esdras. Siquidem auctor continuo in prima persona loquitur et Esdram se nominat (1). Objicitur quidem versiculus 4us cap. V, ubi auctor videtur se numerare inter personas, quæ Jerosolymis aderant sub Dario Hystaspi : *Ad quod,* inquit, *respondimus eis,* etc. Sed bene respondent Dupin, Glaire, alii, Esdram historiam Judæorum describentem recte potuisse nomine Judæorum dicere : *respondimus,* sicut solent historiographi dicere de sua natione : *Bellum gessimus, pacem inivimus;* quamvis etiam fieri potuit ut Esdras per duas vices Jerosolymam venerit.

4. Liber Nehemiæ, qui et Esdræ secundus vocatur quia prosequitur narrationem instaurationis Jerusalem, auctorem habet Nehemiam, quod ex ipso libri initio manifeste patet : *Verba Nehemiæ, filii Helciæ. Et factum est in mense Casleu, anno vigesimo, et ego eram in Susis castro.* Attamen auctor Synopseos Athanasianæ, S. Chrysostomus et Beda, hunc librum Esdræ tribuerunt, hac sola ratione nixi quod uterque et Esdræ et Nehemiæ liber unum olim volumen efformaret. D. Danko (2) autumat hunc librum recentiori ætate sub Machabæis exaratum fuisse ex diariis Nehemiæ fideliter usque ad hanc ætatem servatis. Sed ista sententia peccat contra disertam libri assertionem, uti patet. Difficultas quidem ingeritur ex cap. XII, 11-12, ubi mentio fit Jeddoa, summi sacerdotis, qui juxta D. Danko circa ætatem Alexandri Magni vixerit, ut ipse colligit ex Josepho (*Antiq.* XI, 7, 2). Sed responderi potest vel istos versiculos fuisse postea adjectos, vel Jeddoa, de quo sermo est in libro Nehemiæ, personam esse distinctam a Jaddus, quem memorat Josephus. Alia ingeritur difficultas ex cap. XIII, 28, ubi auctor asserit se a se rejecisse Sanaballat Horonitem, Josephus autem tradit missum fuisse Sanaballat Samariam ab ultimo Persarum

(1) *I Esdr.* VII, 6, 12; X, 1, 2, 5, 10, 16.
(2) Danko, *Historia revelationis biblicæ,* pag. 517.

rege, Dario Codomano. Sed difficultas nulla est, nam Sanaballat Horonites ab eo distinctus est de quo Josephus agit.

ad 88.

5. *Lingua et fontes.* Lingua hebraica est. Chaldaice tamen exarata sunt quæ habentur *I Esdr.* IV, 7; VI, 18; VII, 12-26. Fontes autem ex quibus Esdras et Nehemias scribendi materiam desumpserunt in ipsis libris indicantur. Sunt porro varia regum Persarum edicta et alia documenta ad familiarum genealogiam pertinentia; plures etiam narrantur eventus quorum Esdras et Nehemias testes vel agentes præcipui fuerunt. Hinc patet veritate historica niti libros Esdræ et Nehemiæ.

CAPUT VII.

DE LIBRO TOBIÆ (1).

1. *Argumentum.* Liber Tobiæ inter deuterocanonicos veteris Fœderis primum locum occupat. Historiam porro continet utriusque Tobiæ, patris scilicet ejusque filii. Tobias, ex tribu Nephthali, sub Salmanasare captivus in Assyriam ductus, beneficum se præstitit in Judæos ibi captivos, præsertim per suas eleemosynas suasque in sepeliendis defunctis curas. Qua occasione et bonis spoliatus et lumine oculorum fortuito orbatus utramque calamitatem patienter tulit (I-III). Quum porro mortem sibi instare putaret, filio eximia monita dedit eumque in urbem Rages misit, ut decem argenti talenta Gabelo olim mutuo data reciperet (IV). Comitem quærenti Tobiæ angelus Raphael in hominis forma se obtulit; in comitem assumptus Tobiam ab immani pisce liberavit. Tobias ex consilio angeli Saram cognatam suam in matrimonium duxit et, accepta a Gabelo pecunia, sanus ad patrem rediit; cujus oculos linivit felle piscis ab angelo servato et statim pater visum recepit. Tunc tota familia, bonis cumulata, benedixit Deum. Angelus autem declarans quis ipse esset in cœlum se recepit (V-XIV). Hac Tobiæ historia

(1) Cfr. Bible de Vence, *Préface sur le livre de Tobie;* Vincenzi, *Sessio IV. concil. Trid. vindicata,* part. III, *de libro Tobiæ;* Reusch, *Das Buch Tobias,* et lib. Tobit. Friburgi, 1857 et 1870.

edocemur justorum afflictiones patienter toleratas eorum bono etiam temporali sub veteri Lege inserviisse ; edocemur pariter quot beneficia boni angeli hominibus præstent.

2. *Auctor et ætas* definiri nequeunt. Janssens et Ackermann librum conscriptum opinantur sæculo II ante Chr. ; Scholz tempore imperii Macedonici ; Estius, Welte et Danko, post reditum a captivitate Babylonica ; alii plurimi cum Huetio et Glaire librum in captivitate Assyriaca ab utroque Tobia conscriptum fuisse defendunt ; et revera his viris nemo esse potuit vel aptior, vel de re instructior. Hanc sententiam corroborant textus græcus et versio syriaca, in quibus Tobias initio libri in prima persona loquitur : *Ego Tobit viis veritatis ambulabam*, etc. Et cap. XII, 20 angelus Tobiæ dicit : *Scribite omnia quæ consummata sunt in libro*. At in Vulgata, quam hic præferendam putat Reusch, Tobias continuo in tertia persona loquitur et cap. XII, 20 angelus non dicit : *scribite*, sed *narrate omnia mirabilia ejus*. Auctores qui librum ab utroque Tobia conscriptum tenent, opinantur Tobiam seniorem scripsisse capp. I–XIII, juniorem cap. XIV, 1-15, recentiorem aliquem ex nepotibus ultimos versiculos addidisse.

3. *Lingua et fontes*. Librum Tobiæ chaldaice primitus conscriptum fuisse asserit diserte S. Hieronymus (1). Porro non amplius exstat textus hujus libri primigenius. Ex chaldaico autem exemplari immediate derivatæ sunt duæ versiones, quæ nunc ad instar textus primigenii habentur, græca scilicet Septuaginta Interpretum et latina S. Hieronymi. Istæ versiones in substantia consonant, in rebus tamen levioribus sæpe discrepant. Porro versionis græcæ, ut notat Reusch, tres ad nos pervenerunt recensiones, ab invicem nonnihil discrepantes. Prima recensio habetur in codice Vaticano et in editionibus impressis. Hanc secuti sunt Patres græci et interpres armenus. Secunda habetur in codice Sinaitico. Ad hanc pertinent versiones latinæ antehieronymianæ. Putat Reusch eam recensionem ceteris omnibus textibus præstare quod propius accedat ad primigenium fontem. Tertia, ad quam accedit, a cap. VII ad finem, versio syriaca, habetur in tribus codicibus minusculis. Versio S. Hieronymi, celeriter ab ipso confecta, habetur in Vulgata (2).

(1) « Exigitis, inquit in *Præf. in Tob.*, ut librum chaldæo sermone conscriptum ad latinum stylum traham. »

(2) Hæc de confectione suæ translationis tradit S. Doctor (*Præf. in Tob.*) :

4. *Veritas historica.* Nemo usque ad sæculum XVI de veritate historica libri Tobiæ difficultatem movit. Nonnulli autem ex Protestantibus, quos secuti sunt, nostra ætate, Rationalistæ, habent hanc historiam ut piam quamdam fictionem, eum in finem inventam, ut Judæi aliquod solatium in exilio invenirent. Catholici autem fere omnes veritatem libri Tobiæ constanter propugnarunt. Et jure prorsus; nam omnia suadent ut ista narratio tanquam historia vera non autem ficta habeatur. Etenim hujusmodi fictiones in Scriptura non inveniuntur. Præterea, historia hæc, si conficta foret, non valeret ad assequendum finem quem habet ostendendi quomodo Deus justis omnia in meliora convertit. Si enim ficta narratione auctor hoc demonstrare voluisset, debuisset fictionem suam ita disponere ut res evenirent juxta cursum ordinarium rerum, non autem juxta modum extraordinarium et supernaturalem. Denique color et indoles narrationis, circumstantiæ historicæ quibus vestitur et quæ fictioni inutiles essent, nexus quo ista narratio cum aliis eventibus historicis connectitur, hæc omnia contra hypothesim alicujus fictionis loquuntur.

5. Præcipuæ quæ moventur difficultates contra fidem historicam hujus libri desumuntur ex indole supernaturali totius historiæ. Negant Rationalistæ Tobiam reapse cæcum, deinde a cæcitate sanatum eo modo quo res refertur; quia si ita esset, absque miraculo hoc fieri non potuisset; negant angelum Tobiæ comitem se præstitisse, quia existentiam angelorum rejiciunt. Evanescunt porro omnes hujusmodi difficultates, admissa miraculorum possibilitate. Ista autem possibilitas non est hic demonstranda; idcirco nobis suffecerit illud monuisse. Peculiares etiam moventur difficultates ex quibusdam annotationibus geographicis aut chronologicis. Nimis autem longum foret ad singulas respondere. Remittimus pro hac parte ad commentatores (1).

6. *Divinitas.* Liber Tobiæ divinus canonicusque est. Hoc

« Quia vicina est Chaldæorum lingua sermoni hebraico, utriusque linguæ peritissimum loquacem reperiens, unius diei laborem arripui : et quidquid ille mihi hebraicis verbis expressit, hoc ego accito notario, sermonibus latinis exposui. » Feruntur duæ libri Tobiæ hebraicæ editiones recentiori tempore adornatæ, de quibus vide Reusch, *lib. cit.* p. XLVII.

(1) Cfr. Reusch, *Lib. cit.;* Calmet. *Comm.;* Ghiringhello, *Lib. cit.* p. 449-490 ; Scholz, Welte, Glaire in suis Introductionibus.

plurimis argumentis probari potest. Etenim Judæi Hellenistæ in versione Septuagintavirali illum aliis libris sacris annumerarunt. Porro Apostoli hanc versionem omnibus ecclesiis tradiderunt. Christus ipse ad librum Tobiæ provocasse videtur dicendo apud *Matth.* (VII, 12) : *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim Lex et Prophetæ.* Quæ verba nullibi in Lege aut Prophetis leguntur nisi in *Tob.* IV, 16. Præterea Patres plures diserte asseruerunt divinitatem libri Tobiæ. S. Cyprianus ait : « Scriptura sacra instruit nos dicens : *bona est oratio cum eleemosyna et jejunio* (*Tob.* XII, 8). » Concinit Origenes : « His ergo cum recitatur talis aliqua divinorum voluminum lectio, in qua non videatur aliquid obscurum, libenter accipiunt, verbi causa, ut est libellus Esther, aut Judith, vel etiam Tobiæ, aut mandata Sapientiæ (1). »

7. Plurimi Protestantium a libris canonicis expungunt historiam Tobiæ, hac præcipua ratione ducti, quod iste liber in canone Esdrino non fuit receptus, et quod antiqui Patres, S. Melito, Origenes, S. Athanasius, S. Hieronymus eum in suis Scripturarum canonibus non recensuerunt. Quod liber Tobiæ non habeatur in canone Esdrino hoc ex variis causis provenire potest. Fortasse Esdras hunc librum non reperiit; fortasse non habuit sufficientem certitudinem de ejus auctoritate divina. Patres autem, quamvis recensendo canonem hunc librum omiserint, eum ut divinum agnoverunt, ut fusius probavimus agendo de libris deuterocanonicis (2).

8. *Obj.* Divinus esse nequit liber in quo mendacia angelis tribuuntur. Atqui Tobiæ quærenti : *unde esset,* angelus respondit : *Ego sum Azarias, Ananiæ magni filius.* Hoc autem prorsus falsum erat. Ergo, etc.

9. *Resp.* Angelus Raphael, ut Tobiæ comitem se præberet, speciem humanam assumpserat, speciem scilicet filii alicujus hominis ea ætate noti, qui Ananias magnus vocabatur. Hujus viri angelus personam gerebat, actus, quos ille fecisset, perficiebat. Si in via incedebat, si manducabat, si loquebatur, si quid aliud gerebat, hæc omnia eodem modo faciebat, ac si

(1) S. Cyprianus, *De orat. Dom.*; Origenes, *Homil.* 27 *in Num.* Vide alios textus indicatos in *Introduct. gener.* cap. III, art. II, § 1-2.

(2) Vid. *Introduct. gen.* cap. III, art. II, § 1-2.

ipse Azarias ea fecisset. Non poterat igitur angelus aliter loqui nisi personam assumptam exeundo. Nullum ergo mendacium in his verbis reperiri potest (1).

CAPUT VIII.

DE LIBRO JUDITH (2).

1. *Argumentum*. Liber Judith, qui inter deuterocanonicos secundum in Vulgata locum occupat, narrat quomodo Judith, nobilissima et castissima apud Judæos vidua irretiendo et occidendo Holofernem, regis Assyriorum ducem, liberavit urbem Bethuliam ab obsidione qua premebatur.

2. *Ætas hujus historiæ*. Qua ætate contigerint ea quæ in hoc libro narrantur ambigitur. Eusebius, S. Augustinus, Georgius Syncellus, quos secuti sunt Estius, Cornelius a Lapide, Wouters et alii, historiam Judith in tempora post captivitatem Babylonicam reponunt (3). Sed huic sententiæ plura obstant. Etenim in libro Judith narratur Nabuchodonosorem, Assyriorum regem,

(1) Apprime Vincenzi, *Sessio quarta Conc. Trident. vindicata* part. III, prop. I, § 47 : « Angeli cum sint simplices, neque humanas actiones gerunt, nec inde a mortalibus videri possunt. Verumtamen quando divina auctoritate cum hominibus versantur angeli, cum eis loquuntur seu agunt, quamvis mirabili modo hoc fiat, attamen more humano illi agant, incedant, loquantur oportebit; et dum hoc perficiunt, personam quamdam gerunt, spolia ejus induunt et sensibus nostris objiciuntur. In hac historia angelus ad Tobiam venit, cum eo loquitur, via incedit, manducat ; ideoque cujusdam viri vultum protendebat. Hoc sub intuitu angelus, dum ait, se esse Azariam, magni Ananiæ filium, non mentitur, cum species humana ab eo assumpta, persona erat vera Azariæ ac in omnibus, ut ille ipse vir, actus humanos perficiebat. Nullum ergo mendacium probatur in sermone angeli cum Tobia. Cum vero ministerio suo functus fuerit Raphael et Tobiæ dixerit se angelum Dei esse, persona Azariæ evanuit, actio humana cessavit et invisibilis hominibus factus ante thronum Dei in cœlo versatur. » Cfr. Estius, Cornelius a Lapide, Calmetus, Reusch, ad h. l.

(2) Cfr. Montfaucon, *La vérité de l'histoire de Judith ;* Bible de Vence, *Dissertation sur l'histoire de Judith ;* Ghiringhello, *Lib. cit.* cap. X ; Glaire, *Introd.* t. III, c. 8, etc.

(3) Vid. Euseb., *Chronol.* ap. Migne, *Patrol. gr.* t. XIX. 468; S. Augustin., *De civ. Dei* XVIII, 26; Estius, *Annot. in cap. I Judith ;* Cornelius a Lap., *Prolegom. in Judith ;* Wouters, *Dilucid. Select. S. Scrip. quæst.* V.

per Holofernem subjugasse Mesopotamiam, Cappadociam, Syriam, Arabiam, Mediam et Judæam ipsam ; at provinciæ illæ omnes, a Cyri temporibus, regibus Persarum subjacebant. Narratur etiam Judæos se paravisse ad pugnam contra ducem Nabuchodonosoris, jam autem post exilium nec poterant nec valebant resistere ullis regibus. Præterea in libro Judith Ninive ponitur tanquam urbs florentissima, sub regibus autem Persis destructa jacebat. Pariter rex Medorum Arphaxad et rex Assyriorum Nabuchodonosor tanquam reges potentissimi sistuntur ; post exilium autem reges illi omnem potentiam amiserant et Persarum regibus parebant.

3. Quare melius, Bellarminus, Serarius, De Montfaucon, Calmet, Dupin, Marchini, Goldhagen, Janssens, Ghiringhello, Welte, Haneberg, Reusch, alii perplures hanc historiam contigisse autumant ante exilium Babylonicum circa tempora regis Manassis (1). Danko et Nickes, post Genebrardum, eam initio captivitatis sub Sedecia aut Joachim evenisse putant. Sed huic sententiæ obstat quod, post liberationem Bethuliæ, Israelitæ diu in pace vixerunt, ut refertur in libro Judith. Hoc autem cum captivitate Babylonica conciliari nequit, bene vero cum ultimis annis regni regis Manassis, ut ostendit Montfaucon (2). Qui igitur historiam Judith sub Manasse collocant, ostendunt Arphaxad, regem Medorum, eumdem esse cum Phraorte, Nabuchodonosorem vero eumdem esse cum Saosduschin, Assyriorum rege, diversum autem a Nabuchodonosore sub quo evenit captivitas (3).

4. *Auctor*. De auctore, (quem neque liber ipse neque certa traditio indicant, nonnisi conjecturæ plus minusve probabiles efformari possunt.) Rejiciendæ imprimis sunt eorum conjecturæ qui cum Volcmar, De Wette, Berthold et Eichhorn vel dubitanter autumant, vel audacter asserunt librum Judith post tempora Christi conscriptum fuisse. Etenim versionem græcam hujus libri, jam a S. Clemente Romano laudatam, ante Christum exstitisse certum est. Rejiciendam etiam esse eorum opinionem

(1) Vid. Bellarminus, *De verbo Dei* l. 12 ; Serarius et Calmetus, *Comment. in lib. Judith ;* Dupin, Marchini, Goldhagen, Janssens, Welte, Haneberg et Reusch, in suis *Introdd.;* Glaire liberationem Bethuliæ sub rege Amasia collocat.

(2) *Lib. cit*. p. II, c. 9-10.

(3) Vid. Montfaucon l. c. p. II, c. 7-8.

qui primo ante Christum sæculo librum compositum docent, ex dicendis patebit. Nam diligens descriptio locorum, temporum, nominum, sermonum rerumque omnium ac minuta adjunctorum quorumlibet annotatio innuunt auctorem, qui Judithæ coævus fuerit vel non diu post ejus mortem vixerit. Quæ enim in libro Judith narrantur memoriter diu servari nequivissent, et scriptor recentior commodius plura præteriisset quæ suis æqualibus supervacua videbantur. Ex ultimis tamen versiculis, in quibus annotantur nonnulla quæ mortem Judithæ consecuta sunt, cogimur fateri libri confectionem aliquibus saltem annis Juditha recentiorem esse, nisi dicatur ultimos hosce versiculos recentiori manu esse adjectos. Hinc Glaire probare conatur Eliachimum sacerdotem auctorem esse libri Judith. Huetius autem conjicit librum Judith scriptum fuisse tempore captivitatis Babylonicæ, ad leniendam exilii hujus ægritudinem et spe erigendos Israelitarum animos. Id suadet chaldaicus sermo quo scriptus liber fuerit (1).

5. *Lingua et versiones.* Textus primigenius, qui, juxta testimonium S. Hieronymi, chaldaicus erat, deperditus est. Ex illo textu immediate derivatæ sunt versio græca LXX Interpretum et versio latina S. Hieronymi. Versionem græcam ex textu chaldaico deductam esse insinuant aramaismi et interpretis lapsus qui in ea observantur. Versio græca et fidelitate carere et mendis scatere videtur. Duplex illius datur recensio, una in plerisque codicibus et editionibus impressis, altera in Codice Sinaitico, ad cujus normam elaboratæ sunt versio syriaca et antiqua Itala. S. Hieronymus ex chaldaico archetypo, ratione tamen habita veteris Italæ, versionem suam confecit, magis sensum e sensu, ut ipse ait, quam ex verbo verbum transferens. Addit S. Doctor (2) : « Multorum codicum varietatem vitiosissimam amputavi : sola ea, quæ intelligentia integra in verbis chaldæis invenire potui, latinis expressi. »

6. *Fides historica.* A tempore Lutheri multi Protestantes, quos secuti sunt plerique Rationalistarum, librum Judith ut meram allegoriam aut poeticum figmentum habuerunt, nixi

(1) Vid. Glaire, *Introd.* t. III, c. VIII, a. 5. Huetius, *Demonstr. Evang. prop.* IV. p. 213. Paris, 1690. Cfr. Ghiringhello, *Lib. cit.* p. 493-496.
(2) *Præf. in Judith.*

præsertim difficultatibus historicis, geographicis et chronologicis quæ in narratione inveniuntur. Contra eos propugnamus librum Judith vere esse historicum, utpote omnibus veræ historiæ dotibus vestitum. Narrationem quippe vere historicam suadent accuratissima rerum et personarum descriptio atque locorum et annorum annotatio. Sic genealogia Judith texitur, ejus viduitas ac ætas determinantur, anni Nabuchodonosoris supputantur et uniuscujusque eventus tempus exacte annotatur. Traditur Nabuchodonosorem anno regni sui duodecimo debellasse Arphaxad, regem Medorum (*Judith.* I, 5), anno decimo tertio die vigesima secunda misisse Holofernem ad bellum (II, 1-5), Holofernem mansisse per triginta dies in Idumæa (III, 15), præsidia collocasse circa fontes Bethuliæ per dies viginti (VII, 11), Juditham tunc viduam fuisse ab annis tribus et mensibus sex (VIII, 3), et cum mansisset in domo viri sui annos centum quinque e vita cessisse populumque diebus septem illam luxisse (XVI, 28-29). Additur Judæos, in memoriam liberationis Bethuliæ per Juditham, instituisse diem festum, quem adhuc celebrabant quo tempore liber conscriptus fuit ; quod utique evidens signum est illam Bethuliæ liberationem prorsus evenisse, cum dies festi non instituantur in memoriam alicujus fictionis.

7. *Obj.* Nullum assignari potest tempus quo hæc gesta fuerint, neque post captivitatem, neque ipsa durante, neque ante ipsam. Post captivitatem neque Nabuchodonosor regnavit in Ninive destructa, neque aliquis fuit Medorum rex ab ipso aut regibus Assyriæ superatus. Durante autem captivitate, Bethulia non erat in potestate Judæorum, et pax diuturna non vigebat. Ante captivitatem nullus cognoscitur pontifex Eliachim appellatus. Qui etiamsi inveniri posset, nec Judæis præfuisset nec eos ad resistendum impulisset, cum hoc a rege Juda fieri debuisset. Ceterum, auctores qui veritatem historicam hujus libri tuentur nequaquam conveniunt sub quo rege historia Judith evenerit.

8. *Resp.* Auctores quidem, ut diximus, non conveniunt quanam ætate liberatio Bethuliæ evenerit, sed ex eo quod auctores non conveniunt quanam ætate res illa evenerit, non sequitur eam non evenisse. Difficultas quidem magna inest in concilianda historia hac cum historicis profanis, apud quos non occurrunt reges nomine Arphaxad et Nabuchodonosoris, quorum historia conveniat cum historia Judith. Sed observare oportet scriptores

profanos, Herodotem ac Ctesiam, et ab invicem mire dissentire et accuratam non reliquisse Assyriorum et Medorum historiam et graves lacunas in eorum narratione inveniri. Nomina autem Arphaxad et Nabuchodonosor, quibus utitur Scriptura, fortasse non nomina propria sunt, sed cognomina potius seu epitheta pluribus regibus communia. Quod autem in genealogiis libri Paralipomenon et Josephi omittatur Eliachim, hoc nihil probat; nam alia plurima nomina omittuntur. Eliachim quidem adversus Holofernem Judæos direxit, non autem rex, fortasse quia rex captivus erat, quod Manassi evenisse legitur in *II Paral.* XXXIII, 11. Nihil igitur obstat ut historiam Judith ante captivitatem sub Manasse collocemus et nomine Arphaxad designari Phraortem, Medorum regem, Nabuchodonosoris vero appellatione Saosduschin, regem Assyriorum.

9. *Divinitas*. Quamvis nonnulli Patres, ob rationes quas alibi explicavimus (1), librum Judith e canone excluserint, nihilominus ejus divinitatem admiserunt. S. Clemens Judith laudat ut sanctam; Tertullianus eam monogamis in exemplum adducit; Clemens Alexandrinus et Eusebius historiam Judith admiscent ceteris historiis sacris; Origenes testatur Ecclesiam Dei recipere librum Judith; S. Hieronymus asserit Synodum Nicænam hunc librum computasse in numero sanctarum Scripturarum; S. Ambrosius, S. Hilarius, alii, eum ut divinum allegant (2).

10. *Obj*. Auctor libri Judith eam tanquam exemplar virtutis pietatisque imitandam proponit. At sancta et casta dici nequit mulier quæ laqueos Holoferni tendit ut eum in sui amorem irretiat, quæ mendaciis eum decipit, ignavique proditione jugulat. Auctor igitur qui talem mulierem laudat inspiratus dici nequit.

11. *Resp*. Auctor sacer laudat piam castamque Judithæ vitam, laudat generosum ejus consilium patriam liberandi, nequaquam autem asserit eam ab omni lapsu fuisse immunem. Ornavit se Judith, et Holofernem pulchritudinis laqueo irretiendum prævidit. Holofernes, conspecta illius pulchritudine

(1) *Introduct. gen.* cap. III, art. 2.

(2) Vid. S. Clemens, *I Epist. ad Cor.* 55; Tertullianus, *De monogam.* 17; Clemens Al., *Patrol. gr.* VIII, 1328; Eusebius, *Patrol. gr.* XIX, 468; Origenes, *Epist. ad Afric.* 13; S. Hieronymus, *Præf. in Judith*; S. Ambrosius, *De Viduis*, 7; S. Hilarius, *In Psal.* CXXV; etc.

revera captus fuit et pravo in eam amore exarsit; at causa illiciti amoris non fuit ornatus et pulchritudo, sed corrupta hominis natura. Judith autem se habuit permissive ad illud malum propter majus bonum quod intendebat. Hoc colligitur ex ipso libro, in quo refertur Deum pulchritudini Judithæ splendorem contulisse, quia non ex *libidine* sed ex *virtute* se exornaverat (1). Merito igitur Patres Judithæ castitatem extollunt quam intactam nobilissima vidua servavit. An peccaverit Judith quum patriæ oppressorem dolo ac fallaciis decepit et deceptum interemit, non conveniunt auctores. Sunt qui cum Glaire (2) Judithæ mendacia ad stratagemata bellica hisce temporibus ut licite admissa pertinere putant. Alii cum Estio (3) putant eam non excusari a mendacio officioso. Quæcumque admittatur sententia, libri inspiratio non læditur. « Quidam, inquit S. Thomas (4), commendantur in Scriptura, non propter perfectam virtutem, sed propter quamdam virtutis indolem, scilicet quia apparebat in eis aliquis laudabilis affectus, ex quo movebantur ad quædam indebita facienda; et hoc modo Judith laudatur, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis se exposuit. »

CAPUT IX.

DE LIBRO ESTHER (5).

1. *Argumentum.* Hic liber historiam continet Estheris, virginis Judææ, quam Assuerus, Persarum atque Medorum rex, repudiata Vasthi regina, sibi in matrimonium copulavit regno-

(1) Judith, X, 4; *Cui etiam Dominus contulit splendorem, quia omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat.*

(2) *Introduct.* t. III, c. VIII, a. 6.

(3) *In loca difficiliora* ad cap. X, 4.

(4) *Summa theol.* 2ª 2æ, quæst. CX, art. 3.

(5) Cfr. Ghiringhello. *De lib. histor. A. F.* c. XI; Scholz, *Einleit.* t. II, c. XI; Nickes, *De Estheræ libro,* Romæ, 1858; De Rossi, *Specimen S. Textus, Chaldaica Estheris additamenta,* Romæ 1782; Langen, *Die Deuterocan. Stücke des Buches Esther,* Friburg. 1862; Baumgarten (ex acatholicis), *De fide libri Estheræ,* Halis, 1839.

que sociavit. Erat tunc regi Assuero gratus vir quidam, nomine Aman, qui ruinam omnium Judæorum molitus, a rege rescriptum accepit, quo omnes Judæi internecioni devovebantur. Mardochæus autem, Estheris avunculus, qui jam conjurationem adversus vitam regis efformatam Assuero indicarat, de perverso Amani consilio edoctus, rem Estheri aperuit. Quæ, cum regem adiisset, ab eo obtinuit ut edictum revocaretur hostesque Judæorum cum ipso Amano morte punirentur. Quod et factum est. Mardochæus autem summis honoribus beneficiisque a rege cumulatus fuit. In hujus liberationis memoriam Judæi instituerunt festum Sortium quod hebraice פורים, *Purim*, dicitur. Hæc sunt quæ parte hujus libri hebraice scripta (I-X, 3) continentur. In versione S. Hieronymi, quæ in Vulgata habetur, adduntur somnium Mardochæi, conjuratio ab ipso detecta, edictum ab Amano adversus Judæos latum, orationes Mardochæi atque Estheris, cujus ingressus ad regem refertur mandatumque regis pro salute Judæorum describitur. Quæ omnia a cap. X, 3-XVI, sub nomine a pluribus usurpato additamentorum libri Estheris, veniunt partemque deuterocanonicam hujus scripti efformant.

2. *Historiæ ætas.* Quonam tempore evenerint quæ in libro Estheris narrantur, vel quis rex Persarum Assueri (1) nomine in Scripturis designatus fuerit, controvertitur. Qui librum Estheris græce vertit, sæculo secundo ante Christum, et Judæi coætanei nomine Assueri Artaxerxem intellexerunt ; nam, ubicumque Assuerus hebraice ponitur, versio græca Artaxerxem habet. Quemnam vero ex tribus Persarum regibus qui hoc nomen gesserunt designare voluerit auctor versionis græcæ minus est perspicuum. Cogitasse veteres Judæos de Artaxerxe Longimano colligi posse videtur ex eo quod Josephus (2) hunc regem Estheris conjugem fuisse diserte tradit. Plerique Patrum versionem græcam secuti sunt. Eusebius autem in Chronico Assuerum habuit pro Artaxerxe Mnemone. Ex recentioribus Josepho adhæserunt plures inter quos Nickes recenset Bellarmi-

(1) Sicut Pharaonis appellatio regibus Ægyptiis, ita Assueri nomen regibus Persis et Medis commune fuisse videtur. Nam in libro *Dan.* IX, 1. Darii Medi pater, seu Astyages, Assuerus vocatur ; *I Esdr.* IV, 6 Cyri successor, seu Cambyses, Assueri nomen habet.

(2) *Antiquit.* l. XI, c. 6.

num, Petavium, Cellierum, De Vence, alios. Jahn autem, Ackermann, Scholz, Haneberg, Ghiringhello, ex Assuero Xerxem fecerunt. Welte et alii remotius ascendentes cogitarunt de aliquo rege Medorum quem Nickes Cyaxarem fuisse statuit. Probabilius tamen est Assuerum vel Xerxem esse vel Artaxerxem Longimanum (1).

3. *Auctor*. Plurimi tenent Mardochæum et Estherem communi consilio hanc historiam digessisse. Huic sententiæ favet versio S. Hieronymi, in qua legimus cap. IX, 20 : *Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, et litteris comprehensa misit ad Judæos, qui in omnibus regis provinciis morabantur*. Vers. 26 : *Et cuncta, quæ gesta sunt, epistolæ, id est, libri hujus volumine continentur*. Et vers. 29 : *Scripseruntque Esther regina, filia Abihail, et Mardochæus Judæus etiam secundam epistolam*, etc. Deinde vers. 31-32 refertur Judæos, sicut constituerant Mardochæus et Esther, observanda suscepisse *omnia, quæ libri hujus, qui vocatur Esther, historia continentur*. Sed in textu hebræo solum dicitur : *Sermo autem Estheris confirmans res et facta harum Sortium conscriptus fuit in libro.* Hinc alii Esdræ, alii Synagogæ magnæ, alii aliis librum tribuunt. Quidquid sit, noster Estheris liber ex authenticis Mardochæi scriptis et ex annalibus regni Persarum compositus fuerit, si non a Mardochæo ipso, saltem ab alio, qui, stante adhuc Persarum imperio, historiam hanc, non diu post eventum, litteris mandaverit. Etenim jam exstabat liber Estheris antequam concluderetur canon Esdrinus, in quo receptus fuit. Inclusus pariter fuit in versione LXX. Quidam auctorem recentiorem indicari putant ex eo quod nonnullæ re-

(1) Vid. Ghiringhello, *lib. cit.* p. 551-553. Xerxes et Assuerus, inquit doctus vir, uterque tertio regni anno primores Persarum Susis convocant; hic solemnis ac diuturnioris convivii causa (*Esth.* I, 3); ille ut cum iisdem de bello contra Græcos suscipiendo deliberaret (*Herod.* VII, 8), quod ad idem redit; hujusmodi namque consilia inter epulas agitare solebant Persæ (*Amm. Marcell.* l. XVIII, c. 5). Quod autem in locum Vasthi dimissæ nonnisi post triennium Estherem suffecerit, hoc cum Xerxis in Græciam expeditione redituque post cladem perbelle congruit : hic enim quinto imperii sui anno Susis in bellum profectus, eodem exeunte ad Salaminam devictus, septimo Susa reversus totum se libidini dedit, quo probrosam tantæ cladis memoriam extingueret. Nonnulli tandem ministri iis cognomines videntur qui a profanis scriptoribus Xerxi tribuuntur. Varias doctorum de Assuero conjecturas vid. ap. Dupin, *Dissertat. prélim. sur la bible.* l. I, c. III, § 9.

gum Persarum consuetudines explicantur quasi lectori incognitæ forent. Quum autem liber Estheris directus fuerit ad omnes Judæos etiam ad eos, qui extra Persidem morabantur et consuetudines Persarum ignorabant, istud argumentum vi destituitur.

4. *Lingua et versiones.* Capita I-X, 3, hebraice conscripta servantur. Additamenta solum inveniuntur in versione græca et in aliis versionibus inde derivatis, itala scilicet, coptica, æthiopica, arabica, armeniaca, slavica. Versio syriaca (in cod. Masii, *Comment. in Jos.* p. 6, 23) etiam additamenta habet, sed non sunt impressa in Polyglottis. Versio græca elaborata fuit sæculo secundo ante Christum tempore Ptolemæi Philometoris, ut constat ex iis quæ cap. XI, 1, leguntur: « Anno quarto regnantibus Ptolemæo et Cleopatra, attulit Dosithæus, qui se sacerdotum et levitici generis ferebat, et Ptolemæus filius ejus, hanc epistolam *Phurim,*quam dixerunt interpretatum esse Lysimachum, Ptolemæi filium, in Jerusalem. » Continet autem versio græca non solum omnia quæ hebraice habentur, sed insuper additamenta supra descripta narrationi immixta juxta rerum gestarum seriem. Duæ feruntur græcæ versiones : una quæ habetur in editione romana LXX Interpretum, altera quæ ab Usserio edita fuit, quæque differt, ut plurimum, a priore, ita tamen ut utraque ex eodem textu primigenio hebraico aut chaldaico derivari videantur. Ad narrationis substantiam quod attinet, consonat textus græcus cum hebraico. Additamenta autem græce reddita fuisse ex textu hebraico aut chaldaico deperdito pluribus probat Langen (1).Exstant quidem horum additamentorum quædam fragmenta chaldaica, ab Evodio Assemano, deinde a De Rossi (2) ex codicibus eruta, sed ista fragmenta paraphrasim textus primigenii, non autem ipsum textum constituere, tenet Langen, nec omnino diffitetur De Rossi. Quomodo autem factum sit ut ista additamenta græcæ versioni inserta sint, deficiant autem in hebræo? abundant conjecturæ (3).

(1) *Lib. cit.* § 3.

(2) In opere supra laud. p. 137-165.

(3) Putat Ghiringhello Mardochæum chaldaice totum Estheris historiam, appositis documentis, scripsisse in gratiam Judæorum qui persicæ dominationi parebant ; hæc narratio in Palæstina, curante Synagoga, hebraice reddita fuerit

5. Exstant etiam libri Estheris duæ versiones latinæ, una S. Hieronymi quæ in Vulgata nostra habetur, altera S. Hieronymo antiquior, de qua hæc ait S. Doctor (1) : « Quem librum (Esther) editio Vulgata, laciniosis hinc inde verborum sinibus trahit, addens ea quæ ex tempore dici poterant et audiri, sicut solitum est scholaribus disciplinis, sumpto themate, excogitare quibus verbis uti potuit qui injuriam passus est, vel qui injuriam fecit (2). » Quum igitur librum Esther variis translatoribus constaret esse vitiatum, illum Hieronymus de archivis Hebræorum relevans, verbum e verbo pressius transtulit. Deinde ex Vulgata versione transtulit ea quæ deerant in textu hebraico et ad calcem suæ versionis illa reposuit (3).

6. *Fides historica.* Estheris historiam fictitiam esse aut saltem fictitiis circumstantiis vestitam contenderunt Oeder, Semler, Berthold, De Wette aliique Rationalistæ. Baumgarten veritatem historiæ, qualis in textu hebraico invenitur, contra eos defendit, sed spuria esse additamenta putavit. Contra quos propugnamus totam historiam, prout græce et latine exstat, esse veram. Etenim quod in hac historia præcipuum est et magis incre-

et abbreviata ut commode in festivitate Sortium legeretur. Istud igitur summarium in canonem transierit; primigenium autem exemplar chaldaicum sensim obsoleverit, non ita tamen, ut quædam, nisi omnes, longiores pericopæ vel seorsim descriptæ, vel ipsi breviario insertæ aut adjectæ variis in codicibus servarentur : hinc facile intelligitur quare græcus interpres, tali quodam codice usus, compendiaria una simul et ampliori narratione adhibita, modo cum hebraico textu congruat adamussim, modo nova producat, vel jam descripta iteret, vel eisdem interdum contradicere videatur. Ghiringhello, *De lib. histor. A. F.* p. 531-533.

(1) *Præf. in Esth.*

(2) Martianay (*Patrol. lat.* t. IX, 1433) confirmat S. Hieronymi testimonium ex antiquo manuscripto codice, in quo reperitur antiqua versio latina multo prolixior quam versio græca totque ac tantis vitiata additionibus ut verissimum esse quod dixit Hieronymus legenti appareat.

(3) Disputatur an ex *Itala* versione vel ex editione græca, quæ *Communis* seu *Vulgata* appellabatur, S. Hieronymus additamenta Estheris transtulerit. S. Doctor de hac re sic locutus est : « Quæ sequuntur scripta reperi in editione Vulgata quæ Græcorum lingua et litteris continetur (*alias* continentur). » Si prior lectio admittatur, transtulerit S. Doctor ex editione græca, quæ κοινὴ seu *Communis* aut *Vulgata* dicebatur; non autem ex Itala additamenta desumpserit. Quod ita esse patet ex affinitate quæ inest inter versionem græcam et textum S. Hieronymi, et ex discrepantia translationis S. Hieronymi a veteri Itala. Cfr. Sabatier, *Bibl. sacr. lat. vers.* I, 764, 796.

dibile, prodigiosa scilicet omnium Judæorum per Estheram et Mardochæum ab internecione liberatio, hoc quam certissimum est. In illius quippe liberationis memoriam Judæi quotannis celebrarunt festum *Purim* seu *Sortium* (1). Inauditum autem est institutam unquam fuisse solemnitatem in memoriam cujuspiam fictionis. Vox ipsa persica פורים *purim*, qua solemnitas designatur, indicat solemnitatem respicere rem in Perside actam. Universa etiam narratio secum ipsa egregie consentit, apprime respondet indoli et conditioni personarum et institutis atque usibus Persarum. Fragmenta porro deuterocanonica, nedum narrationi opponantur, eam complent et plura explicant quæ in priori libri parte vel innuuntur, vel summatim traduntur. Interpretes autem catholici minutas difficultates quæ occurrunt jamdiu diluerunt. Ad quos remittimus.

7. *Obj*. In libro Estheris pluries ingeritur mentio alicujus regis Persarum, nomine Assueri ; jam autem iste rex prorsus incognitus est auctoribus profanis. Præterea interpretes non conveniunt quonam tempore Estheris historia evenerit. Quod utrumque indicium est hanc narrationem esse prorsus fictitiam.

8. *Resp*. Assueri nomen communis appellatio est regum Persarum et Medorum in Scriptura sacra, ut diximus supra (2). Mirum igitur non est istud nomen non occurrere apud auctores græcos qui nominibus propriis hos reges designant ; mirum pariter non est, quia Assueri appellatio pluribus convenit, interpretes discertare de quonam rege intelligenda sit. Auctores quidem græci de Estheris historia silent, sed quis unquam contendit Græcos omnia retulisse quæ gesserunt reges Medorum et Persarum ? Igitur allata difficultas nihil probat contra veritatem historiæ Estheris.

9. *Divinitas*. Prior libri pars, quæ hebraice habetur, inter libros protocanonicos semper numerata fuit ; posterior vero, quæ græce tantum habetur, ansam præbuit multis litibus. Pro-

(1) Hoc constat ex *II Mach*. XV, et ex Josepho *Antiq* l. XI, c. VI, 3, ubi istud festum non recens invectum sed jamdudum inductum fuisse colligitur.

(2) Vid. not. 1, p. 94. Nomen אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ compositum putat Fürst (*Concord. Biblior. hebr.* ad h. v.) ex אֲחַשׁ persice *Shah*, *rex*, et שְׁוֵרוֹשׁ *scheversch*, græce ξέρξης. Quod ex inscriptionibus, cuneiformis dictis, confirmari videtur.

testantes antiquiores ac recentiores pene omnes additamenta rejiciunt tanquam conficta ad ornamentum libri. Huic sententiæ adhæserunt etiam nonnulli Catholicorum, ut Sixtus Senensis, Dupin et Jahn (1). Sed eam prorsus reprobavit concilium Tridentinum (*Sess.* IV) declarando librum Estheris esse canonicum et addendo : « Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit... anathema sit. » Etenim additamenta illa partem efformare Vulgatæ latinæ nemo negare potest.

10. Sancti Patres librum Estheris tanquam canonicum venerati sunt; atqui illum susceperunt prout in Ecclesia græca ac latina legebatur, scilicet cum suis additamentis, et nihil discreverunt inter additamenta et reliquas libri partes, sed totum probarunt volumen quomodo in omnibus ecclesiis legebatur, totum ergo probarunt quale ipsum nunc habemus. Imo plures Patres diserte fragmenta deuterocanonica allegarunt. Sic S. Clemens Romanus (2) allegando historiam Estheris expresse respexit ad ejus orationem quæ refertur in additamentis. Quod pariter fecit Clemens Alexandrinus (3). Ejus discipulus Origenes in *Epistola ad Africanum*, postquam fassus est additamenta Estheris tunc temporis defuisse in exemplaribus hebraicis, propugnat ea ab ecclesiis Christi non magis esse projicienda, quam historiam Susannæ quæ etiam deest in textu hebraico. Addit tamen in controversia cum Judæis non proferenda esse quæ in eorum canone desunt. Si quis epistolam ad Africanum integram attente perlegerit, non poterit dubitare hunc esse verum Origenis sensum. Quare alibi idem doctor non semel provocat ad additamenta Estheris, sicut ad alia Scripturæ testimonia (4). S. Melito qui in canone omittit Esther, additamenta citat in *Clavi* (5). S. Hieronymus ad ea tanquam ad eloquia

(1) Sixtus Senens., *Biblioth. sancta* l. I, 1-2. (ejus sententia expuncta fuit a S. Cong. Indicis) ; Dupin, *Dissert. prélim. sur la Bible* l. I, c. III. § 9 ; Jahn, *Einleit.* t. II, 889.

(2) *Epist. I ad Corinth.* c. 55.

(3) *Strom.*, IV. 19.

(4) *Epist. ad Afric.* 3-5, 13; *De Orat.* 14; *in Joan.* t. II, 7. Cfr. quæ diximus in *Introd. gen.* c. III, art. 2, n 42.

(5) Ap. Migne, *Patrol. gr.* t. V, 1226.

divina provocat (1). His adde Basilium (2), Gregorium Nazianzenum, Didymum, Augustinum, Chrysostomum, alios.

11. *Obj.* Auctor nobis repræsentat Estherem tanquam mulierem castam ac piissimam; attamen, contra præscriptum legis Mosaicæ, Esther nupsit regi gentili et crudelissimam se exhibuit erga decem filios Aman, quos innocentes morti tradidit. Divinus esse nequit liber in quo talis agendi ratio laudatur.

12. *Resp.* Auctor non dicit Estherem fuisse impeccabilem. Igitur etiamsi Esther aliqua in re defecisset, hoc non officeret libri divinitati. In objectis tamen casibus interpretes Estherem omni nævo expertem esse defendunt. Quamvis enim lex Mosaica conjugium cum extraneis prohiberet, tamen, ob gravissimas causas, remoto seductionis periculo, huic legi non semel derogatum fuit. Imo plures interpretes tenent Estherem, instinctu divino ad liberandum suum populum regemque ad cognitionem veri Dei adducendum ad Assuerum accessisse. Quod autem in hostes Judæorum Esther sæviit hoc auctoritate publica ad salutem Judæorum fecit, adeoque in hac re non peccavit (3).

CAPUT X.

DE LIBRO JOB (4).

1. *Argumentum.* Hic liber narrat sermones et virtutes sanctissimi viri Job, qui, Dei permissu, bonis fortunæ spoliatus, liberis orbatus, doloribus corporis oppressus, atque omni affli-

(1) *Epist.* 48 *ad Pammach.*; *Epist.* 130 *ad Demetriad.*; *in Isai.* l. 17; *in Ezech.* I. 8.

(2) S. Basilius, *Contra Eunom.* II, 19; S. Gregorius Naz., *Carm. ad Seleuc.* et *Carm.* 63, v. 291; Didymus, *Catena in Psal.* XI, 13; Augustinus, *Epist.* 199; S. Chrysostomus, *Hom. III, ad popul. Antioch.*

(3) Difficultates solutas vide ap. Veith, *Scriptura S. contra incredulos propugnata*, part. IV, sect. 3.

(4) Cfr. Pineda, *Commentarius in Job.* Matriti, 1597; Welte, *Das Buch Job.* Friburgi, 1849; variæ Dissertationes quæ inveniuntur in t. VI operis vulgo dicti *Bibl. de Vence.* Paris. 1770; et in editione *Commentarior.* Cornelii a Lapide. Paris, Vivès, 1861; Lehire, *Le livre de Job,* Paris, 1873.

ctionum genere probatus, totum se divinæ commisit voluntati atque præstantissimum patientiæ exemplar dedit. Postquam autem Job, divinæ confisus providentiæ, gravissima mala constanti animo sustinuerat, a Deo remuneratus fuit et multo plura ac præstantiora quam antea bona accepit.

2. Liber tribus constat partibus : prologo, colloquiis et conclusione. In prima parte seu prologo (I-II), Job, vir de terra Hus, simplex, rectus ac timens Deum, a Satana ex permissione Dei maximis suis divitiis spoliatur, filiis privatur et ulcere pessimo percutitur. Jobo etiam sua insultat uxor ; tres amici ad eum accedunt. In secunda parte fuse referuntur colloquia Jobi cum ejus amicis de causa malorum quæ ipse patitur. Amici ejus contendunt neminem esse mundum in conspectu Dei ; Deum autem potentem et justum neminem punire nisi propter peccata sua, ideoque Jobum affligi quia peccavit. Job non diffitetur neminem esse mundum coram Deo, nec diffitetur Deum omnipotentem et summe justum creaturas omnes sapienter moderari et omnium peccata punire ; observat autem impios quandoque in hac vita felices obtinere successus, innocentes vero quandoque affligi, sic disponente Deo ob causas quæ nos latent. Tuetur porro suam innocentiam et deflet calamitates quibus premitur (III-XXXI). Alius tunc exsurgit Jobi amicus, Eliu nomine, qui observat Jobum amicis ita respondisse ut ad silentium cogerentur ; deinde docet Deum mercedem homini daturum juxta opera sua, impios puniturum, justos autem liberaturum a tribulationibus quibus eos probat, inscrutabile autem esse ejus judicium (XXXII-XXXVII). Deinde ipse Deus Jobum alloquitur et ex creaturis ostendit quanta sit divinæ providentiæ potentia et sapientia et quam impervia homini ejus consilia (XXXVIII-XLI). Librum claudit epilogus, in quo Job confitetur se temere locutum. Deus eum laudat, tres vero ejus amicos increpat. Denique Job sanatur et ampliora quam antea bona accipit (XLII).

3. *Scopus et dispositio.* In libro igitur Jobi gravis tractatur quæstio : quanam de causa et quemnam ob finem Deus homini mala patienda immittat. Si quis attenderit ad singulas libri partes, ad colloquia simul et ad partes historicas, facile perspiciet scopum libri totum esse in asserenda hac doctrina : humanas afflictiones sequelam esse peccati, impios eas pati in

pœnam suorum peccatorum, justos vero ad eorum probationem et sanctificationem ; definire autem quonam casu in pœnam, quonam vero casu in probationem a Deo immittantur, hoc soli Deo reservatum esse, homini vero temerarium et inutile illud exquirere. Ita autem auctor omnia digessit ut quæ ab una persona minus recte dicta sunt ab alia corrigantur, et quæ historice narrantur colloquiis lucem afferant, et sic perspicua reddatur totius libri doctrina. Sic v. g. minus recta trium amicorum Jobi sententia, afflictiones a Deo immitti in pœnam peccatorum admissorum ab eo qui affligitur, in prologo et fine corrigitur, ubi videmus Jobum innocentem per afflictiones probari (1).

4. *Textus et versiones.* Liber Jobi hebraice conscriptus fuit. In textu hebraico duo priora capita prosa oratione exarata sunt; colloquia autem Jobi cum amicis metrice conscripta sunt (capp. III-XLII, 6); denique liber (XLII, 7-16) iterum prosa oratione absolvitur. Jam tempore suo Origenes (2) animadvertit multam inveniri discrepantiam inter textum hebraicum et versionem græcam. « Innumera quoque alia, inquit, invenimus in Job, quæ in nostris exemplaribus ultra hebraicum textum redundant, modo parum, modo multum... Rursus plurima in medio toto libro Job apud Hebræos reperiuntur, quæ in exemplaribus nostris desiderantur : sæpius quidem versiculi quatuor, vel tres, interdum vero quatuordecim, novemdecim vel sexdecim. » Hinc ipse asteriscis et obelis notavit discrepantias textus hebraici cum græca versione. Vult autem ut Christiani, græca utentes versione, non abjiciant quæ apud se habent, nec spernant quæ in hebraicis reperiuntur.

5. Vetus versio latina, utpote ex LXX derivata, iisdem cum illa defectibus et vitiis laborabat. Quare testatur S. Hieronymus (3) in illa versione librum Job « ita corrosum et decurtatum fuisse ut in eo septingenti aut octingenti versus deessent. » Versus autem isti multo fuisse breviores versiculis, quibus hodie textus Bibliorum distinguitur, patet ex labore S. Hieronymi, ex quo constat versus illos quandoque unam dumtaxat voculam

(1) Cfr. Welte *lib. cit.* p. XIV.
(2) *Epist. ad Afric.* n. 3-5
(3) *Præf. in Job.*

complexos fuisse. Porro S. Hieronymus correxit veterem latinam versionem juxta Hexapla Origenis, asteriscis notans quæ in hebræo erant et in veteri versione deerant, et obelis jugulans quæ in LXX redundabant. Hunc S. Hieronymi laborem quantivis pretii faciebat S. Augustinus (1). Postea Hieronymus ex hebræo novam elaboravit versionem, quæ in Vulgata habetur. De hac versione sic loquitur S. Doctor : « Hæc autem translatio nullum de veteribus sequitur interpretem; sed ex ipso hebraico arabicoque sermone, interdum syro, nunc verba, nunc sensus, nunc simul utrumque resonabit... audiant quapropter canes mei, idcirco me in hoc volumine laborasse, non ut interpretationem antiquam reprehenderem, sed ut ea quæ in illa aut obscura sunt, aut omissa, aut certe scriptorum vitio depravata, manifestiora nostra interpretatione fierent. » Exstant etiam libri Job versiones syriacæ duæ : una in Bibliis syriacis, quæ textum hebraicum presse sequitur, altera a Middeldorpio edita, quæ fideliter exprimit Hexapla Origenis et convenit cum versione S. Hieronymi asteriscis et obelis instructa.

6. *Textus integritas.* Plurimi acatholici et Rationalistæ, ut De Wette, Ewald, Hirzel, Delitzsch, Bleek, Renan, quibus contradicunt Hävernick, Keil, Stähelin, Stickel et Schlottman cum Catholicis, asserunt sermones Eliu (capp. XXXII-XXXVII) ad librum Jobi non pertinere, sed fuisse postea adjecta. His præcipue rationibus nituntur : 1° Eliu nec in prologo nominatur, nec in epilogo a Deo cum tribus Jobi amicis reprehenditur ; 2° verba Eliu ordinem poematis perturbant et Dei orationem supervacaneam reddunt. Sed ad hæc respondetur : 1° Eliu mentio non fit in prologo, quia serius advenerit (XXXII, 1) ; non reprehenditur in epilogo quia rectius quam tres Jobi amici locutus eamdem cum ipsis reprehensionem non meruerat. 2° Verba Eliu apprime cum toto libro connéctuntur. Etenim reprehendit Jobi amicos quod Jobum tanquam impium condemnassent, etsi nihil in eum, quo reum peragerent, afferre potuissent. Deinde ad Jobum conversus, eum quasi nimis doloribus exacerbatum arguit et docet Deum variis calamitatibus plectere non modo improbos, ut tres amici asserebant, sed etiam

(1) *Epist.* 71. *ad S. Hieron.* Hanc versionem cum asteriscis et obelis edidit Martianay in *Bibliotheca divina* (Migne, *Patrol. lat.* t. XXIX).

pios ut eos probet, a peccatis elonget et in virtute solidet. Sic verba Eliu viam parant orationi Jehovæ qui Jobi temeritatem, qua divinæ sapientiæ consilia ausus est scrutari, retundit. Nedum igitur Eliu sermones a libro Jobi tanquam superflua aut contraria resecandi sint, e contra contextui necessaria sunt et totum libri argumentum complent (1).

7. Quæritur autem, quum plura inveniantur in textu hebraico quæ desunt in versione LXX, an omnia et sola quæ habentur in textu hebraico tanquam genuina habenda sint? Respondetur textum hebraicum cum omnibus suis partibus esse recipiendum. Etenim textus hebraicus primigenius est, et nulla ratio adest ut nonnullas ejus partes rejiciamus. Si quæ in versione LXX deficiunt, hoc ex variis causis provenire potest, puta ex vitio interpretis qui non sufficienter linguam hebraicam calluisse videtur et multa de industria omisit. Istæ autem causæ impedire non valent quin textum primigenium admittamus. Additamentum autem, quod ad finem versionis græcæ legitur et in quo Jobi genealogia recitatur, quamvis non sit canonicus, summæ tamen est antiquitatis (2).

8. *Auctor.* De auctore libri Jobi nihil traditur in Scriptura; idcirco alii hunc librum ipsi Jobo, alii Moysi, alii Salomoni, alii denique Isaiæ aut etiam Danieli tribuunt.

9. *De Jobi persona.* Nonnulli, post Thalmudistas, existimarunt Jobum nonnisi fictitiam personam esse. At Jobum revera exstitisse probatur ex Ezechiele XIV, 14: *Si fuerint tres viri in medio ejus, Noe, Daniel et Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum.* Quum hic Job, Noe ac Daniel, conjunctim ad eumdem finem allegentur, oportet omnes tres exstitisse; alioquin si Job persona fictitia esset, falsitas veritati admixta foret, et ita quidem ut secerni haud posset, cum legenti locum allatum nullum suboriatur dubium quin tres illi viri

(1) Vid. Crampon, *Prolegomena in Jobum* in editione *Commentariorum Cornelii a Lapide.* Paris. Vivès, 1861. In *Supplemento* t. III.

(2) Istud additamentum memoratur ab Origene (*Epist. ad Afric.*); eo usi sunt Aristeas et Polyhistor, quos refert et sequitur Eusebius, (*Præp. Evang.* IX, 25). Auctor Synopseos Athanasianæ, S. Chrysostomus, Olympiodorus, Severus, Julianus, illud receperunt. Hieronymus autem in *quæst. hebr.* illud rejecit. Eum secuti sunt Isidorus, Alcuinus, Beda, Rupert, Lyranus, etc. Vide Bickell, *De Indole vers. Alex. in Job.* Marburgi, 1863.

reapse exstiterint. Confirmatur ex *Epist. Jacobi.* V, 11 et ex *Tobia* II, 12 ; de quo tamen Tobiæ textu fit difficultas, quia deest in græco et in versionibus inde derivatis. Exstitit igitur Jobus, dignus cujus patientiam imitandam fidelibus proponeret S. Jacobus. Hinc nomen Jobi reperitur in antiquis martyrologiis. Græci eum colunt 6ª Maii, uti et Christiani Arabiæ, Æthiopiæ, Ægypti et Russiæ. Latini autem eum venerantur die 10ª ejusdem mensis. Denique sancti Patres, ubi de Jobo loquuntur, nullo modo ejus existentiam in quæstionem ponunt. Quamvis autem impossibile sit certo definire quonam tempore Job vixerit, tenent tamen multi auctores Jobum vixisse ad finem ætatis patriarchalis, ut constat ex iis quæ addita leguntur ad finem versionis LXX. Quod etiam suadent plura ex ipso libro petita : longævitas Jobi, ritus sacrificia offerendi juxta morem Patriarcharum, atque divinarum revelationum tum frequentia, tum modus. Sunt qui tenent Jobum ante Moysen vixisse, alii vero tempore Moysi et perseveravisse usque ad tempora Judicum.

10. Hic quæritur an liber Jobi mera sit fictio vel nuda historia ? Herbst (1), etsi teneat Jobum realiter vixisse, librum integrum annumerat artificiosis poetarum fictionibus. Glaire (2) econtra, quamvis non neget adesse ornamenta poetica, contendit facta in libro contenta realiter accidisse et sermones quoad substantiam prolatos fuisse. Uni aut alteri ex his sententiis ceteri auctores catholici plus minusve accedunt. Sunt v. g. qui initium et finem vere historica esse censent, putant vero sermones ab auctore adinventos et dispositos ut gradatim explicaret doctrinam de causa et fine malorum quæ homines patiuntur. Ego magis accederem ad sententiam D. Glaire et dicerem historice narrari Jobum fuisse in terra Hus, multas possessiones, septem filios, tres filias habuisse, deinde ex vexatione diaboli, cui Deus hanc licentiam concessit, variis calamitatibus fuisse oppressum, tres ejus amicos ad eum convenisse atque cum eo collocutos esse, denique Jobum, postquam patienter hæc omnia sustinuisset, pristinis opibus recuperatis, centum quadraginta annis vixisse. Nihil enim in his omnibus invenitur quod pro vera

(1) *Einleit.* t. III, sect. 2, cap. I, § 73.
(2) *Introduct.* t. III, cap. 10, art. 5.

historia admitti nequeat. Nec obstat initio libri depingi concilium angelorum coram Deo cui interest et Satan. Hæc quidem Rationalistis incredibilia videri possunt, quia angelorum et dæmoniorum existentiam negant. Admissa autem spirituum bonorum atque malorum existentia, nihil obest quominus vera habeantur quæ de illo angelorum concilio in libro Job dicuntur; quamvis fatendum sit auctorem sub imaginibus humanis descripsisse ea quæ inter puros spiritus modo non humano gesta sunt. Quamvis autem liber Job sub hoc respectu vere historicus sit, aliquid tamen poetico stylo tribuendum est. Certe Job cum amicis fusiora colloquia miscet, quæ metrice conscripta referuntur. Putandum autem minime est virum doloribus acutissimis punctum carmine amicos allocutum esse; et vicissim eos versibus respondisse et interrogasse. Auctor igitur ornamentis utens versibus reddiderit quod illi in familiari sermone dixerant, et orationum sensum stylo figuris exornato expresserit.

11. *Divinitas.* Librum Jobi divinitus esse inspiratum atque canonicum negarunt olim Theodorus Mopsuestenus, idcirco in concilio generali V, coll. 4. reprehensus, et cum eo Junilius Africanus, recentius autem Spinoza et hodie omnes Rationalistæ. Contrarium autem docet cum Synagoga veteri Ecclesia catholica. Etenim liber Job annumeratus fuit a Judæis, a Patribus et a Conciliis inter libros protocanonicos V. T.

12. Sed quæstio fit an liber Jobi ita inspiratus dici debeat ut quæcumque ab amicis Jobi et ab ipso Jobo dicta referuntur tanquam effata Spiritus sancti sint habenda?

13. Respondeo. Liber Jobi, quatenus historicus est, eadem inspiratione gaudet, qua ceteri libri historici; sufficit autem ad inspirationem librorum historicorum (1) ut eorum auctores fuerint a Deo ad scribendum impulsi et inter scribendum directi, ita ut ab errore immunes scriberent quæ vellet Deus. Minime autem requiritur ut omnia facta omniaque verba sint a Deo aut gesta aut pronuntiata, sed bene possunt scriptores sacri, dirigente Deo, et pravas hominum actiones et impios eorum sermones referre, ut homines hos detestentur et illas vitent. Hinc in Evangeliis, in Pentateucho, in libris Regum plura referuntur impiorum dicta et facta ab omnibus omnino improbanda; hinc

(1) Vid. *Introduct. g. n.* cap. II.

in Psalmis peccatorum sermones narrantur, ut illud : *Dixit insipiens in corde suo : non est Deus.* Quis cogitat effatum impii esse verum, quia in Psalmis inspiratis reperitur ? Verba igitur hominum atque facta in Scripturis relata ut cetera facta atque dicta sunt dijudicanda, nisi aliunde constet Deum ea vel inspirasse vel approbasse.

14. Hinc patet verba amicorum Jobi, quoniam in ipso libro a Deo reprehenduntur, *quod non sint recte locuti* (XLII, 7), non esse in omnibus laudanda, quamvis etiam ideo non sint in omnibus rejicienda, ut manifestum fit ex S. Paulo (*I Cor.* III, 19), qui laudat hoc Eliphæ dictum : *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum.* Hinc Scripturæ interpretes, ut v. g. Estius (1), plures rejiciunt sententias a tribus Jobi amicis prolatas. Beda tamen atque Gregorius Magnus, ut docet Estius (2), omnia Eliu effata probant. Hæc istorum Doctorum sententia firmum videtur habere fundamentum in ipso Jobi libro. Si quis enim attenderit ad intimam totius libri connexionem videbit sermones Eliu agitatæ inter Jobum ejusque amicos quæstionis solutionem rectam proposuisse et eum nullibi a Deo reprehensum fuisse. Glaire tenet principia a Jobo propugnata quoad substantiam esse auctoritate divina munita, non autem quoad singulas dictiones (3).

15. Hanc quæstionem sic solvit S. Augustinus (4) : « Non pro auctoritate divina istam sententiam (Baldadi, *Job.* XXV, 4-6) recipiendam existimo : non enim eam ipse Job enuntiavit, cui singulare quodammodo testimonium divinitus perhibetur, *quod non peccaverit labiis suis ante Dominum* (*Job.* I, 22); sed unus ex amicis ejus qui dicti sunt *consolatores malorum ejus* (*Ibid.* XVI, 2), et divina sententia reprobati sunt. Sicut autem in Evangelio, quamvis verum sit omnino quod dicta sint, non tamen omnia

(1) *In loca difficiliora* ad *Job* IV, 7, 18; VI, 1, XV, 15.

(2) *Ibid.* ad cap. XXXII.

(3) *Introduct.* t. III, ch. 10. art. 5. Non probo omnia quæ ibidem habet de verbis Eliu : « Quoique l'auteur du livre de Job ait été inspiré par l'Esprit saint pour rapporter les discours d'Eliphaz, de Baldad, de Sophar et *d'Eliu*, ces discours ne contiennent pourtant point une doctrine divine, puisqu'il est certain que quand les amis de Job les ont prononcés, ils étaient eux-mêmes privés de ce don surnaturel, comme le prouve suffisamment le reproche que Dieu leur fait de n'avoir point parlé selon la vérité. »

(4) *Ad Orosium adversus Priscillianistas,* 9. *Patrol. lat.* t. XLII, 676-677.

quæ dicta sunt vera esse creduntur ; quoniam multa a Judæis falsa et impia dicta esse verax Evangelii Scriptura testatur : sic in hoc libro, ubi multæ personæ locutæ esse narrantur, non solum quid dicatur, sed a quo etiam dicatur considerandum est; ne passim quæ in sancto quolibet libro scripta sunt recipientes cogamur fateri, quod absit, vera et justa fuisse, quæ marito sancto mulier insipiens suggerebat.... Quod non ideo dixerim; quia illi amici a Domino reprobati, et ab ipso sancto Dei servo merito culpati, nihil veri loqui potuerunt : sed quia non omnia quæ locuti sunt vera putanda sunt. Quamvis enim adversum Job nihil verum dixerunt, potest tamen ex eorum verbis aliquam sanam sententiam in testimonium veritatis assumere, qui novit sapienter dicta discernere (1).

CAPUT XI.

DE SACRA HEBRÆORUM POESI (2).

1. Antequam de scriptis Davidis, Salomonis et Prophetarum agamus, quædam sunt præmittenda de poesi Hebræorum, quæ ex objecto et natura sua prorsus sacra est atque divina. Exprimit

(1) Ill. D. Haneberg (*Hist. de la Révélat. biblique,* t. I, p. 399) habet hanc Augustini sententiam tanquam egregiam quæstionis propositæ solutionem. D. Welte e contra nobis videtur S. Augustinum non intellexisse quando ejus sententiam rejicit tanquam decreto concilii Tridentini *sess. IV.* contrariam. Juxta Welte quæstio de divinitate singulorum effatorum libri Jobi facillime solvitur hoc modo. Auctor libri Job inquit, dialogo utens, Jobum ejusque amicos inducit ita loquentes ut ea quæ minus recte dicta separatim essent, in toto dialogo corrigantur et veritati quam auctor vult stabilire inserviant. Verba igitur adversariorum Jobi nequeunt esse absolute et æque vera ; si quid tamen minus rectum aut falsum præ se ferant, hoc tale esse ex responsionibus aut ex prologo aut ex epilogo evidenter demonstratur. » Hanc sententiam pandit doctissimus auctor in suum *Commentarium in Job* supra laudatum et in opere : *Dictionnaire encyclop. de la religion catholique traduit par Goschler,* ad voc. *Job.* Plura egregia habet de indole libri Jobi cl. auctor, nobis tamen nimium tribuere videtur arti poetico in hoc libro conficiendo et tanquam ficta habere plura quæ historice gesta fuisse putamus.

(2) Cfr. Lowth, *De sacra poesi Hebræorum cum notis Michaelis edidit Rosenmüller.* Lipsiæ, 1815.

enim religiosos conceptus piosque affectus quibus mens in Deum fertur. Libri igitur V. T. poetici, a sacris vatibus compositi, aliis libris sacris nec auctoritate nec dignitate inferiores sunt.

2. In antiquioribus libris sacris nobis servata sunt quædam monumenta poetica quæ Davidis tempora præcesserunt; nempe, verba Lamechi (*Gen.* IV, 23-24), antiquissimum poëseos fragmentum, benedictio Jacobi (*Gen.* XLIX), tria Moysi cantica (*Exod.* XV ; *Deut.* XXXII-XXXIII), prophetia Balaami (*Num.* XXIII-XXIV), cantica Debboræ (*Jud.* V) et Annæ (*I Reg.* II), præter breviora nonnulla fragmenta.

3. Constat autem poesis sacra carminibus lyricis, didacticis et propheticis, quæ diversa poeseos genera hic illic commixta sunt. Sic liber Jobi habet loca lyrica et nonnulli psalmi potius ad poësin didacticam aut propheticam quam lyricam pertinent. Libri autem sacri nec epicum poëma nec dramaticum agnoscunt, nisi velis ad hoc genus referre Job et Canticum canticorum, qui libri in forma dialogi metrice sunt conscripti.

4. Præcipuus autem V. T. poeta lyricus David est. Ejus tamen psalterium psalmos aliorum quorumdam auctorum continet. Ad lyricam etiam poësin pertinent Lamentationes Jeremiæ, quæ, sicut et nonnulli psalmi, versus habent ordine alphabetico dispositos (1). Salomon genus didacticum excoluit in Proverbiis et in Ecclesiaste. Prophetæ vaticinia sua metrice et poetice exararunt. Excipiuntur Jonas, Daniel, et pro parte Ezechiel ac nonnulla aliorum Prophetarum fragmenta historica.

5. Poesis apud Hebræos, sicut apud alias gentes, a prosa variis notis differt. Nam non solum fugit orationem solutam et aliquod metrum et rhythmum usurpat, sed habet proprium quoddam et exquisitum dicendi genus. Amat novas voces, artificiosas verborum structuras, figuratas locutiones, metaphoras, antitheses, similitudines, et alia styli poetici ornamenta. Unde fit, ut difficilius intelligantur libri poetici quam historici. Distinguitur in hebraica poesi certus quidam rhythmus ex numero et dispositione vocum ac syllabarum longarum vel brevium atque ex proportione versuum constans. Quandoque deprehendi potest

(1) *Psal.* CXI, CXII, CXIX, CXLV juxta Hebr.; Proverb. XXXI, 10 seqq. Prima primæ vocis littera singuli versus ordinem alphabeticum sequitur. Inveniuntur tamen quædam inordinationes.

ad finem versuum quædam vocum consonantia. Metrum tamen in sensu recepto et consonantia proprie dicta desunt. « Habet hebræa poesis, verbis utor Lowth (1), peculiarem quamdam sibique accommodatam sententiarum conformationem; cujus ea ratio est, ut plena comprehensio in suas partes fere æqualiter distribuatur, atque integra ejus membra integros versus conficiant. Itaque ut poemata in periodos plerumque æquales quasi sua sponte se dispertiunt, ita periodi ipsæ per se dividuntur in versiculos ; multo frequentius quidem binos, sed sæpe etiam plures. »

6. Iste *parallelismus,* ad quem interpres Scripturæ sedulo attendere debet, præcipuam indolem constituit carminis hebraici. Triplex autem præcipue distinguitur parallelismus.

1° Parallelismus *synonymus,* ubi eadem sententia bis exprimitur hoc modo : una aliqua sententia in priore versiculo proposita in sequenti ita iteratur, ut res rebus, verba verbis respondeant, e. g.

Cum egrederetur Israel de Ægypto,
Domus Jacob de populo barbaro,

Mare vidit et fugit,
Jordanis conversus est retrorsum.

Montes subsilierunt quasi arietes,
Colles quasi filii gregis (2).

Vere languores nostros ipse tulit,
Et dolores nostros ipse portavit.

Vulneratus est propter iniquitates nostras,
Attritus est propter scelera nostra (3).

2° Adsunt parallela *antitheta,* ubi membrum membro opponitur, ut in hoc :

Filius sapiens lætificat patrem,
Filius vero stultus mœstitia est matris.

Memoria justi cum laudibus,
Et nomen impiorum putrescet (4).


(1) Lib. cit. p. 36.
(2) *Psal.* CXIV, I, 3-4 juxta Hebr. ex versione Hieronymi.
(3) *Isai.* LIII, quod vaticinium est de Messia passuro.
(4) *Prov.* X, 1, 7. Istud Parallelismi genus maxime in Proverbiis Salomonis invenitur. Non tamen omnino abhorret a ceteris hebrææ poeseos partibus.

3° Tertia species est parallelorum, parallela scilicet *synthetica*, quæ in sola constructionis forma constant et sententias non iterant aut sibi opponunt sed unius ejusdemque rei diversas proprietates versibus parallelis describunt, ut in hoc :

Lex Domini immaculata,
Convertens animam ;

Testimonium Domini fidele,
Sapientiam præstans parvulis ;

Præcepta Domini recta,
Lætificantia cor.



CAPUT XII.

DE LIBRO PSALMORUM.

1. Psalmus, græce ψαλμός (a ψάλλω fidibus cano), carmen notat voce fidibusque cantatum. Psalmus hebraice מזמור dicitur, quo nomine præsertim veniunt sacra Davidis carmina quæ Judæi in laudem Dei decantabant. Liber Psalmorum ab Hebræis inscribitur ספר תהלים, id est *liber hymnorum* sive laudum, eo quod in Psalmis laudes Dei, ejus majestas, sapientia, potestas, misericordia, bonitas, mansuetudo, providentia, maxime celebrentur, quamvis alii psalmi orationes et prophetias contineant. Cum autem in decantandis Dei laudibus, inter alia musices instrumenta, illud adhiberetur, quod Græci ψαλτήριον vocant, hinc liber Psalmorum a Græcis ψαλτήριον *psalterium* appellatur. Quæ appellatio transivit ad Latinos et ad alios populos. Psalterium igitur collectio est psalmorum seu carminum religiosorum, quæ Judæi ad colendum Deum decantabant in templo Hierosolymitano.

2. *Argumentum atque divisio libri Psalmorum.* Numerantur centum et quinquaginta psalmi, quos Hebræi in quinque partes seu libros dividunt. Prima pars continet psalmos 1-40, secunda psalmos 41-70, tertia psalmos 71-88, quarta psalmos 89-105, quinta denique psalmos 106-150. In numerandis psalmis discre-

pat Vulgata ab hebraico textu. Hebræi dividunt psalmum nonum atque ex eo duos psalmos efformant, ita ut psalmus Hebræorum 11us sit 10us Vulgatæ, et sic deinceps textus hebraicus semper præcedit Vulgatam, donec perveniatur ad psalmum 113, quem Hebræi rursus in duos separant, in unum conjungentes psalmos 114 et 115 Latinorum : sic pergunt usque ad psalmum 147, quem cum psalmo 148 conjungunt, ex quo fit ut tandem in numerando sint pares.

3. Unusquisque psalmus argumentum proprium habet. Illud tamen omnibus commune est ut animam ad pietatem excitent, sive Dei perfectiones celebrando, sive ad peccatorum pœnitentiam movendo, sive adventum Christi Salvatoris ejusque passionem ac resurrectionem prophetando. Psalmi igitur, alii *deprecatorii* sunt, qui scilicet orationes et preces ad Deum fundunt (v. g. Ps. 42 et 118); alii *pœnitentiales*, in quibus anima de peccatis admissis dolet veniamque precatur, ut sunt præsertim septem psalmi, vulgo dicti *pœnitentiales*. Distinguuntur etiam psalmi *prophetici*, qui, si speciatim de Christo agant, *Messiani* vocantur. Aliqui autem psalmi de Christo vaticinantur in sensu typico, id est, talia continent quæ ad litteram ad Davidem aut alium quempiam referuntur, et mediate ad Christum diriguntur, quatenus nempe David Christi typum seu figuram gerit (v. g. *Ps*. 68, 108) : alii vero psalmi ad Christum referuntur in sensu obvio verborum seu in sensu litterali (v. g. *Ps*. 2 et 15). Plures denique psalmi, quos merito *laudatorios* dixeris, Deum ejusque potentiam, bonitatem, curam peculiarem in populum suum, magnificentiam, misericordiam, celebrant (ut sunt v. g. *Ps*. 92, 95, 102-103, 148-150).

4. Exinde patet merito dixisse S. Nicetium (1) : « Quidquid Prophetæ, quidquid Evangelia ipsa præcipiunt, in his carminibus suavi meditantium dulcedine continetur. Deus ostenditur ut timeatur, simulacra ridentur, justitia ingeritur, iniquitas prohibetur, misericordia laudatur, incredulitas abdicatur, veritas requiritur, mendacia damnantur, dolus accusatur, innocentia collaudatur, superbia dejicitur, humilitas sublimatur, pœnitentia prædicatur, pax sequenda depromitur, contra inimicos protectio postulatur, vindicta promittitur, spes certa nutritur, et quod

(1) *De psalmodiæ bono* ap. D'Achery, *Spicileg*. I, 223.

his omnibus excellentius, in psalmis Christi Sacramenta cantantur : nam et generatio ejus exprimitur, et rejecta plebis impiæ et gentium hæreditas nominatur : virtutes Domini cantantur, passio veneranda depingitur, resurrectio gloriosa demonstratur, sedes quoque ad dexteram Dei mirabiliter depingitur. Deinde igneus Domini adventus manifestatur, terribile de vivis et mortuis judicium panditur. Quid plura ?

5. *Psalmorum textus et versiones.* Collectio Psalmorum integra, prout illam possidemus, hebraice, stylo metrico, ut carmina decet, conscripta fuit. Textum primigenium habemus in Bibliis hebraicis. Ex illo textu derivatur versio græca LXX Interpretum, in qua quidem psalmi eodem ordine recensentur ac in textu hebraico; in numerandis autem Psalmis eædem differentiæ observantur inter versionem græcam et textum hebraicum, quas supra enumeravimus conferendo textum hebraicum cum Vulgata. Plane enim in enumeratione versio græca convenit cum Vulgata, quæ cæteroquin ex græca translatione profluit.

6. Psalmi statim ab incunabulis Ecclesiæ in linguam latinam translati fuere. Hanc versionem plurimis mendis scatentem S. Hieronymus, Romæ positus, anno 383, cursim et magna tantum ex parte correxit juxta versionem LXX Interpretum. Prior ista S. Hieronymi correctio Romæ recepta fuit atque etiam hodie in basilica Vaticana usurpatur, unde nomen *psalterii Romani*. Deinde Bethleemi degens, circa annum 389, novam emendationem obelis asteriscisque instructam suscepit, quæ emendatio in officiis liturgicis admissa fuit apud Gallos, unde appellatio *psalterii Gallicani*. Posterior hæc S. Hieronymi emendatio, sublatis asteriscis et obelis, habetur in Vulgata authenticaque declarata fuit a concilio Tridentino. Denique rogatus a Sophronio Hieronymus novam ex hebraica veritate ante annum 392 confecit versionem, ut vir ille in controversia cum Judæis versionem haberet quam illi calumniari non possent. Quanquam autem ista Hieronymi Psalmorum versio ceteris præstaret, in usu tamen non fuit recepta, quia fideles in recitandis psalmis nimium præcedenti versioni assueti erant, nimiumque turbasset ordinem divinorum officiorum adhibitio novæ versionis.

7. *De titulis psalmorum.* Tituli seu inscriptiones psalmorum plerumque nomen indicant auctoris qui psalmum composuerit ; nonnulli, præter nomen auctoris, aliud quidpiam annexum

habent, quo indicatur occasio, vel argumentum psalmi, aut dies, modus, instrumenta quibus psalmus esset decantandus. Sic psalmus 3us inscribitur : *Psalmus David, cum fugeret a facie Absalom ;* psalmus 6us : *In finem in carminibus, psalmus David, pro octava ;* psalmus 43us *In finem, filiis Core ad intellectum.* Alii tituli solummodo distinguendis psalmis inserviunt. Sic habemus *cantica graduum* et *psalmos alleluia.*

8. Gravis autem intricataque fit quæstio, an psalmorum tituli divinitus inspirati sint nec ne ? Si quæramus quænam in hac parte fuerit SS. Patrum mens, illud statim advertimus SS. Patres qui specialiter de psalmis tractaverunt, Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Hippolytum, Eusebium, Athanasium, Gregorium Nyssenum, Chrysostomum, nihil prorsus discrevisse, ad auctoritatem quod attinet, inter psalmos eorumque titulos, sed multum desudasse ut titulorum intelligentiam aperirent. Hinc S. Hilarius (1) docet « auctoritatem sibi invicem præstare psalmum et titulum. » Auctor *Breviarii in psalmos,* S. Hieronymo adscripti, ait : « Uniuscujusque psalmi intellectus per clavem, hoc est, per titulum intelligitur. » Sicut igitur psalmos ut divinitus inspiratos habent, ita divinam titulorum auctoritatem agnoscere dicendi sunt, idque eo magis quod identidem titulos vel ipsis psalmorum auctoribus vel saltem Esdræ tribuant (2). Hinc Bossuetius (3) diserte affirmat titulos psalmorum esse divinitus inspiratos.

9. Observandum autem hic est : 1° in plurimis psalmorum titulis, præter nomen auctoris, verba nonnulla inveniri adeo obscura, ut SS. Patres et recentiores exegetæ in diversissimos sensus illa trahant. Qualia sunt : *in finem,* hebraice לַמְנַצֵּחַ, quæ locutio in 55 psalmis occurrit ; et *ne disperdas ;* aut *pro his qui immutabuntur, pro torcularibus, pro octava, pro occultis filii ;* etc.

10. Observandum est, 2° nonnullos psalmos titulo insigniri in Vulgata et in versione græca unde Vulgata derivatur, illo autem titulo carere in textu hebræo. Sic psalmi 32, 42, 70, 90, 92, 94-98, 106, 113-118, 137, absque titulo sunt apud Hebræos;

(1) *Prol. in psal.* CXIX, n. 1 ; cfr. *Prol. in psal.* n. 17-23.

(2) Cfr. Theodoretus, *Præf. in psal.;* S. Augustinus, *De civit. Dei* XVII, 14; S. Chrysostomus, *De compunctione* II, 4, alii.

(3) *Dissert. in psalm.* VI.

titulum autem habent in versione LXX et in Vulgata. Præterea in Vulgata quandoque brevia additamenta adjiciuntur titulis hebraici textus. Sic ad psal. 64 (hebr. 65) hebræus habet : *psalmus David*; Vulgata addit : *canticum Jeremiæ et Ezechielis populo transmigrationis cum inciperent exire*. Hæc autem additio nec in hebræo, nec in græca versione, nec apud Eusebium et Hilarium habetur. Theodoretus (1) autem diserte eam rejicit; et merito ut videtur; nam Jeremias non fuit cum Ezechiele ut simul cum eo hunc psalmum populo transmigrationis recitaret, siquidem Jeremias in Judæa remansit, Ezechiel autem, antequam munus propheticum iniret, in Babyloniam translatus fuerat. Psalmus 136 (Hebr. 137) caret titulo apud Hebræos, in Vulgata autem et apud LXX inscribitur : *Davidi per Jeremiam*. Psalmus 145 (Hebr. 146) inscriptionem habet : *alleluia* : Vulgata addit : *Aggæi et Zachariæ*. Quod additamentum his verbis rejicit S. Hilarius (2) : « Visum est aliquibus Jeremiæ et Aggæi et Zachariæ, quorumdam psalmorum superscriptionibus nomina prænotare; cum horum nihil in authenticis septuaginta Translatorum libris ita editum reperiatur : adeo ut etiam in plurimis latinis et græcis codicibus sine horum nominibus simplices tantum psalmorum tituli præferantur (3). »

11. His præmissis, ad quæstionem propositam respondemus : tituli, qui simul in hebræo et in versionibus græca et latina exstant, authentici habendi sunt adeoque divinitus inspirati. Fieri etiam potest ut aliqui inveniantur in Vulgata tituli ab Esdra aut aliis auctoribus sacris olim psalmis appositi qui ab hebraico textu exciderunt. De qua re ex regulis criticis judicandum est. Additamenta autem quæ jam Patres rejecerunt, eadem auctoritate qua tituli nequaquam gaudent, quamvis nemini liceat privata auctoritate ea a Vulgata expungere (4).

12. *De psalmorum auctoribus.* Certum est Davidem esse præ-

(1) Theodoret. *in psalm.* LXIV.

(2) *Prol. in psalm.* n. 2.

(3) In versione syriaca singulus psalmus peculiarem habet titulum quo auctor, occasio, argumentum vel etiam sensus mysticus psalmi, indicatur. In nomine auctoris fere convenit cum hebræo et aliis versionibus, in ceteris prorsus differt.

(4) Cfr. Welte in *Dictionnaire encycl. de la theol. cath.* ad vocem : *psaumes*; Glaire, *Introd.*; Calmet, *Dissert. de psal. titulis*; Veith, *Script. sacra adv. incredulos propugnata*, part. V, Sect. I, 9, 10.

cipuum Psalmorum auctorem. Etenim non solum in Scriptura vocatur egregius psaltes Israel (1), sed plures psalmi diserte ei adscribuntur (2). In dedicatione templi secundi levitæ recitabant psalmos quos composuerat David (3). Nehemias autem illos in bibliothecam suam intulit (*II Mach.* II. 13). Auctor *Ecclesiastici* narrat, Davidem instituisse cantores laudesque ad celebrandum Deum in festivitatibus (4). Ipsi psalmorum tituli quorum auctoritatem supra vindicavimus, Davidi auctori 73 psalmos adscribunt; ex Novo autem Testamento constat plures psalmos, qui absque titulo sunt, Davidis esse. Merito igitur psalterium Davidi auctori refertur.

13. S. Augustinus, S. Philastrius, S. Chrysostomus, S. Cyrillus Alexandrinus, Cassiodorus et Theodoretus, putant Davidem omnium psalmorum esse auctorem, psalmos autem nomine Asaph, vel filiorum Core inscriptos, a Davide fuisse institutos ut ab Asaph vel filiis Core decantarentur (5). Cui sententiæ adhærent Bellarminus, Goldhagen, alii. Altera sententia, quam tenent S. Hippolytus, S. Athanasius, S. Hilarius, Eusebius, S. Hieronymus et alii, docet psalmos eorum esse auctorum quorum nomina in titulis leguntur. Hæc sententia firmissimum habet in titulis fundamentum. Præterea in *II Paral.* XXIX, 30 narratur præcepisse regem Ezechiam levitis, ut *laudarent Dominum sermonibus David et Asaph Videntis.* Ideo autem, juxta Patres mox allegatos, Psalterium Davidi inscribitur, quia ipse majorem partem collectionis conscripsit et aliis auctor fuit ut ipsi psalmos conscriberent.

14. Nullo Ecclesiæ decreto constat quot psalmos David composuerit. Ex titulis autem Davidi adscribuntur 73 psalmi. Constat tamen Davidem alios psalmos composuisse qui nunc absque titulo in hebræo leguntur. Ex Scriptura (6) constat psalmos 2, 94, 95, 104, Davidi referendos esse, quamvis titulo apud

(1) *II Reg.* XXIII, 1.

(2) Davidi nominatim adscribuntur psalmi 2us (*Act.* IV, 25), 15us (*Act.* II, 25), 17us (*II Reg.* XXII), 31us (*Rom.* IV, 7), 68us (*Rom.* XI, 9), 94us (*Hebr.* IV, 7), 95us (*I Paral.* XVI, 7-8 juxta Hebr.), 104us (*ibid.*) 109us (*Act.* II, 34).

(3) *I Esdr.* III, 10.

(4) *Eccli.* XLVII, 12.

(5) S. Augustinus, *De civ. Dei* l. XVII, 14; S. Philastrius, *Hær.* 130; S. Chrysostomus, *In ps.* L; S. Cyrillus Al. *In ps.* XLI; Theodoretus, *Præf. in psal.*

(6) Vid. *Act.* IV, 25; *Hebr.* IV, 7; *Paral.* XVI, 7-8.

Hebræos destituantur. Quia autem psalmus primus olim cum secundo in unum conjungebantur, sequitur psalmum primum etiam Davidi adscribendum esse (1). Psalmus nonus in duos ab Hebræis dividitur, unde fit ut psalmus Hebræorum decimus careat titulo; sed dubium non est Davidi hunc psalmum esse adscribendum.

15. Asapho, quem David principem constituit laudantium Deum, quique Propheta vocatur in *Paralipomenis* (2), adscribuntur psalmi duodecim, scilicet : ps. 49, 72-82. Filiis Core adscribuntur ps. 41, 43-48, 83-84, 86 et forte 87, quem, quia anceps est titulus, alii filiis Core, Emani alii tribuunt. Salomoni adscribuntur duo psalmi : scilicet : 71 et 126; Æthani Ezrahitæ ps. 88; denique Moysi ps. 89 (Hebr. 90). Et revera huic psalmo nihil quidquam inest quod tanto viro adscribi nequeat aut titulum falsum esse probet. In textu hebraico decem psalmi sequentes nulli auctori adscribuntur. Tradunt autem Hebræi, quos sequuntur Origenes, Athanasius, Eusebius, Hilarius et Hieronymus (3), eos psalmos, qui apud Hebræos inscriptione carent vel inscriptionem quidem habent sed non scriptoris nomen, ad eum scriptorem pertinere cujus nomen fertur in psalmo præcedenti. Huic autem traditioni plura obstant. Illud primum obstat quod in psalmo 98, 6 dicitur : *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus*. Quæ verba, historice et non prophetice prolata, indicant hunc psalmum post tempora Samuelis fuisse compositum. Obstat autem præsertim illud quod psalmus 94[us] Davidi adscribitur in *Epist. ad Hebr*. IV, 7, et psalmus 95[us] eidem tribuitur in *I Paral*. XVI, 7, 33-36 juxta Hebr. (4).

16. *Collectio psalmorum*. Psalmi olim in textu hebraico nulla apposita numerorum nota distinguebantur (5). Numeri igitur

(1) Vid. Act. XIII, 33 et notationes Tischendorfii in h. l.; Euseb., *In ps*. LXII; Athanas., *Argum. in ps*.

(2) Vid. *I Par*. XVI, 7; *II Par*. XXIX, 30.

(3) Origen., *Selecta in psal*. (*Patrol gr*. XII, 1055); Euseb., *In psal*. 27; Athanas.; *Præf. in psal.*; Hilarius, *Prol. in ps.*, Hieron., *Epist*. 140 (*Patrol. lat*. XXII, 1167.)

(4) De auctoribus psalmorum docte disputat Bonfrerius, *Præloquia* c. VII, sect. 4.

(5) Euseb. *in psal*. LXII; Athanas.. *Argum. in psal.*; Hilarius, *Prol. in psalm*. n. 8.

qui nunc in textu hebraico leguntur recentioris sunt inventionis. Illud etiam probe tenendum est psalmos non ordine temporis quo conscripti fuerunt esse dispositos, sed potius ratione temporis quo inventi fuerunt. Cum enim, durante captivitate Babylonica libri sacri dispersi fuissent, Esdras cum aliis libris sacris etiam psalmos collegit atque primo loco posuit quos primo invenit, deinde successive alios prout reperiebat, apposuit. Hinc intelligitur quomodo psalmi Davidis non continua serie dispositi sint, sed psalmis Asaphi, Salomonis, Moysi et filiorum Core, immixti reperiantur. Quod autem ratione temporis quo scripti fuerint psalmi non sint dispositi, patet consideranti varias circumstantias ad quas nonnulli psalmi referuntur. Sic psalmus tertius refertur ad Davidem persecutionem Absalomis fugientem, psalmus autem quinquagesimus ante hunc eventum conscriptus fuit, nimirum quando David reprehensus fuit a Nathan propheta (1). Quidam recentiores asserunt nonnullos psalmos ad Machabæorum ætatem pertinere, sed ista assertio omnino gratuita nullo argumento fulciri potest.

17. *Divinitas.* Librum Psalmorum canonicum esse atque divinitus inspiratum unanimiter docent omnes auctores qui Scripturam inspiratam esse fatentur. Neque id mirum, quia hunc librum canonicum esse non solum docent Concilia, Patres et omnes librorum sacrorum catalogi, sed et ipse Christus ejusque Apostoli (2).

18. Huic psalmorum divinitati non adversantur diræ et imprecationes, quibus David hostes Dei suosque diris devovere infaustaque omnia eis imprecari videtur. Nam istæ imprecationes, vel non sunt execrationes proprie tales, sed sub execrationis specie veræ prædicationes et vaticinia, ut Patres et Interpretes communiter exponunt, vel si sunt execrationes proprie dictæ, proficiscuntur non ex libidine vindictæ, sed ex amore justitiæ, suntque intelligendæ tamquam conditionales, hoc est, ut mali male pereant, nisi resipiscant; vel denique significant desiderium

(1) Hanc sententiam fuse probat S. Hippolytus, *Proleg. in psal.* ap. Lagarde, *Analecta Syriaca* p. 83. Concinunt S. Ambrosius, *Apolog. 2. pro Davide;* Eusebius, *In psal.* LXII. et passim; S. Athanasius, *Argum. in psal.;* alii. Observat tamen Eusebius: « pro sententiæ ratione et similitudine psalmos, ut plurimum esse digestos. »

(2) *Matth.* XXII, 43; *Act.* I, 16; IV, 25; *Hebr.* III, 7; etc.

non pœnæ, sed destructionis culpæ. Etenim David mansuetissimus malorum hominum interitu non delectabatur, comminatus est potius quam imprecatus, homines dilexit, scelera odio habuit. Ita Veith post S. Thomam (1) qui ait : « Hujusmodi imprecationes, quæ in S. Scriptura inveniuntur, tripliciter possunt intelligi. Uno modo per modum prænuntiationis, non per modum operationis, ut sit sensus Ps. 9, 18 : *Convertantur peccatores in infernum*, id est, simpliciter convertuntur. Alio modo per modum operationis, ut tamen desiderium optantis non referatur ad pœnam hominum sed ad justitiam punientis, secundum illud ps. 57, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam*, quia nec ipse Deus puniens lætatur in perditione impiorum, sed in sua justitia : quia *Justus Dominus et justitiam dilexit*, Ps. 10, 8. Tertio, ut desiderium referatur ad *remotionem* culpæ non ad ipsam pœnam, ut scilicet peccata destruantur. »

CAPUT XIII.

DE LIBRO PROVERBIORUM (2).

1. *Inscriptio*. Liber hic hebraice inscribitur מִשְׁלֵי (a מָשָׁל), græce παροίμιαι (3), latine *Proverbia*. Late autem patet vox hebraica מָשָׁל et usurpatur de similitudine, parabola, adagio, proverbio, sententia, ænigmate, acute dicto. Liber igitur Proverbiorum non tantum proverbia proprie dicta, sed etiam parabolas, morales sententias, acute aut ænigmatice dicta, et alia his similia, continet. Initium autem ducit quinque librorum quos, recepto vocabulo, *sapientiales* dicimus. Porro quinque libri sapientiales sunt : *Proverbia, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia et Ecclesiasticus*.

2. *Argumentum*. Liber Proverbiorum in tres partes distingui

(1) *Summa theol.* 2ª 2æ q. 25, art.6.

(2) Cfr. Cornelius a Lapide, *Comment. in Prov.* cum præf. Crampon. Ed. Vivès, Paris. 1863; Herbst et Welte, *Einleit.* t. III, sect. II, c. 3; et aliæ Introdd.

(3) Alio vocabulo a Græcis interdum vocatur πανάρετος, quasi *omnium virtutum thesaurus*.

potest. Prima pars (I-IX) veluti introductio est et continet monita et exhortationes ad fugienda vitia atque excolendam sapientiam, cujus initium : *Timor Domini*. A sapientia creata auctor ascendit ad divinam increatamque sapientiam, quam præclaro exornat encomio. Secunda pars (X-XXIV) incipit cum inscriptione : *Parabolæ Salomonis*. Continet autem multa et distincta varii generis proverbia seu morales sententias de sapiente et stulto, de justo et impio, de labore et pigritia, de divite et paupere, de castitate et concupiscentia, de virtutibus et vitiis. Istæ autem sententiæ ita dispositæ sunt ut per frequentes antitheses vicissim illustrentur. Tertia pars incipit a cap. XXV et complectitur novam proverbiorum collectionem cum hac inscriptione : *Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt* (*hebr. transcripserunt*) *viri Ezechiæ regis Juda*. Capita XXX-XXXI huic collectioni tanquam appendicem addunt Proverbia Agur (Vulg. Congregantis), exhortationem quam regi Lamueli dedit mater ejus, denique XXXI, 10-31 carmen alphabeticum continens encomium mulieris fortis.

3. *Auctor*. Salomon, Davidis filius ejusque in throno successor, *locutus est tria millia parabolas : et fuerunt carmina ejus quinque et mille. Et disputavit super lignis, a cedro quæ est in Libano usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete : et disseruit de jumentis, et volucribus, et reptilibus et piscibus* (1). Harum parabolarum illustrem quamdam partem in hoc Proverbiorum libro absque dubio possidemus. Nam initio totius operis præmissum est : *Parabolæ Salomonis, filii David, regis Israel*. Ad finem cap. IX eadem redit inscriptio ; et cap. XXV, 1 rursus dicitur : *Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ regis Juda*. Quæ autem capp. XXX-XXXI leguntur proverbia ad alios auctores pertinere ex textu hebraico colligitur. Etenim inscriptio cap. XXX habet : *Verba Agur , filii Jakeh*. Quæ verba tanquam appellativa assumens auctor Vulgatæ transtulit : *Verba Congregantis, filii Vomentis*. Hinc nonnulli putant hisce verbis designari Salomonem , qui alibi *Ecclesiastes* dicitur. Verba cap. XXXI Lamueli regi tribuuntur. Quia vero ista vox hebraice sonat : *Qui Deo est, ad Deum pertinet ; Deo consecratus;* hinc rursus nonnulli ea Salomoni tribuunt, idque eo magis quod

(1) *III Reg.* IV, 32-34.

nullus noscitur Israelitarum rex qui Lamuel vocatus fuerit, et improbabile prorsus est ista verba regi gentili esse tribuenda. Encomium autem mulieris fortis nomen non prodit auctoris. Quisquis autem horum capitum auctor dicendus sit, nihilominus certum remanet libri Proverbiorum Salomonem auctorem esse. Quamvis autem omnia proverbia in libro contenta , exceptis fortasse ultimis duobus capitibus, Salomoni tribuenda sint, non fuerunt ab ipso in unum compacta. Nam ex inscriptione cap. XXV discimus viros Ezechiæ præcedenti collectioni addidisse alia Salomonis proverbia, quæ fortasse antea separatim scripta servabantur.

4. Nonnulli Rationalistæ, ut Bertholdt et De Wette (1), priora novem capita Salomonis esse negant. Ista enim introductio ipsis videtur ita prolixa et hortatoria ac tam severa de castitate monita continere, ut potius cuidam Prophetæ aut sacerdoti quam regi Salomoni adscribenda sit. Sed istæ rationes debitam authenticæ inscriptioni fidem infirmare non valent. Imo nihil ponderis habent. Quis enim aptior fuit quam rex omnium sapientissimus ut homines gravibus ac suasoriis verbis ad sapientiam incitaret? Quis melius quam Salomo, tristi lapsu patris sui et fortasse propria experientia edoctus, potuit cognoscere quam commendanda esset morum castitas? Nimis prolixa videtur adversariis nostris introductio, sed nimis prolixa etiam videri posset præfatio sermoni Eliu præmissa in libro Jobi et tamen omnes admittunt præfationem et sermonem ejusdem esse auctoris. Rursus De Wette negat authentiam collectionis factæ a viris Ezechiæ, quæ capp. XXV-XXIX invenitur. Etenim, inquit, quum a Salomone ad Ezechiam tria sæcula effluxerint, fieri potuit ut intra hoc temporis spatium plura proverbia ipsi falso attribuerentur. Quid hoc ratiocinio infirmius? Viri Ezechiæ testati sunt ista proverbia Salomonis esse. Facilius autem ipsis erat post tria sæcula scire ea Salomonis esse quam nobis post viginti quinque sæcula scire eadem ipsius non esse. Sed instat De Wette et contendit istam collectionem a præcedenti ita discrepare et talem vitæ privatæ et rusticæ notionem in auctore ostendere, ut improbabile prorsus sit ista proverbia a Salomone esse conscripta. Sed hæc prævalere nequeunt contra disertum libri testimo-

(1) Cfr. De Wette, *Einleit.* 7a ed. part. III, sect. III, c. 4, § 281.

nium. E contra prorsus futilia sunt. Quis enim negabit virum, qualis erat Salomo, diluendis privatorum litibus sæpe occupatum et omnes suos redditus ab agris trahentem, sufficienter vitam rusticam et privatam cognovisse ut de hac re proverbia componeret ?

5. *Textus, versiones atque divinitas.* Proverbia metrice conscripta fuerunt in lingua hebraica, unde in græcum sermonem translata fuerunt. Græca autem versio multum differt a textu primigenio. Vulgata autem versio a S. Hieronymo ad normam textus hebraici elaborata fuit. Divinam porro auctoritatem huic libro constanter tribuerunt Synagoga et Ecclesia, unde merito damnatus fuit in concilio generali V Theodorus Mopsuestenus affirmans librum Proverbiorum merum esse sapientiæ humanæ opus.

CAPUT XIV.

DE LIBRO ECCLESIASTIS (1).

ad 127. 97

1. *Titulus.* Proverbia proxime sequitur liber hebraice inscriptus קֹהֶלֶת, græce Εκκλησιαστής, quæ est recta nominis hebraici translatio, latine *Ecclesiastes,* id est, concionator. Ideo autem hoc nomine designatur, quia Salomo, tanquam Sapientiæ concionator, ecclesiam seu congregationem alloquitur et sermonem suum non ad unum, sed ad omnes generaliter dirigit (2).

98 2. *Argumentum.* Quia lingua hebraica pauciores habet particulas et sententiæ libri Ecclesiastis concisæ sunt, idcirco difficile est interpreti assequi nexum sententiarum et totius ratiocinii tramitem. Hinc factum est ut Rationalistæ, non satis attendentes

(1) Cfr. Cornelius a Lapide, *Commentar. in Eccl. cum præfat. D. Crampon.* Ed. Vivès, Parisiis 1863; *Bible de Vence* t. VIII. Ed. Avenion. 1771 ; A. Motais, *Salomon et l'Ecclésiaste,* 2 vol. Paris, 1876.

(2) Ita S. Hieronymus in *Eccl.* I, 1 : « Salomon... dicitur *Coheleth,* id est, *Ecclesiastes.* Ecclesiastes autem græco sermone appellatur, quod cœtum, id est, ecclesiam congreget, quem nos nuncupare possumus *concionatorem,* eo quod loquatur ad populum, et sermo ejus non specialiter ad unum, sed ad universos generaliter dirigatur. »

ad nexum ratiocinii atque ad generalem ejus conclusionem, male opinati sunt auctorem Ecclesiastis tales emisisse sententias quæ in fatalismum, epicureismum et scepticismum ducant (1).

3. Statim autem ab initio Ecclesiastes thema tractandum proponit : *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.* Ad quod probandum observat omnia quæ in cœlo, terra et aquis, geruntur fluxa esse citoque transire, hominum actiones, cogitationes et studia non parere nisi illusionem et mentis afflictionem, voluptates et divitias non permanere, sapientiam, etsi stultitiæ multum sit præstantior, hominem a morte non servare, interitum communem esse justis et impiis, hominibus et jumentis. Unde concludit hæc omnia vanitatem esse et veram homini felicitatem non afferre (I-III). Transit ad alia consideranda, videt innocentes oppressos, homines industriosos invidia laceratos, avarum suis divitiis non fruentem, divitem continuis curis agitatum. Unde iterum concludit in hisce rebus vanitatem esse. Interim autem dum hæc considerat Ecclesiastes varia præcepta vitæ recte instituendæ moralesque sententias profert, ut est illud : « væ soli! » « Melior est obedientia quam victimæ. » « Ne sis velox ad irascendum. » Hæc axiomata continuat in capitibus sequentibus ex quibus recitare possumus istud : « Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa ; » et illud : « Non est justus qui non peccet. » Videns autem Ecclesiastes impios quandoque felices in hac vita habere successus, dum justi afflictione premuntur, concludit alia bona reservari timentibus Deum et sapientem non posse intelligere rationem agendi Dei in his quæ fiunt sub sole (VII-VIII). Considerat denuo bona et mala æqualiter evenire justo et impio et his tantum pro momento attendens, ut mundani faciunt, eos ad deliciis fruendum et voluptatibus indulgendum provocat (IX). Statim autem reassumit morales sententias, quas ad finem libri continuat, attendens interdum ad rerum vanitatem (X-XII, 12). Denique generalem hanc totius libri emittit conclusionem : *Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo : et*

(1) Jam S. Hieronymus (*Comment. in Eccl.* I.) reprehendit eos, « qui male opinantur, nos ex hoc libro ad voluptatem et luxuriam provocari : cum e contrario, omnia quæ in mundo cernimus, vana doceantur : nec debere ea nos studiose appetere, quæ, dum tenentur, intereant. »

cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum illud sit (XII, 13-14) (1).

4. *Auctor et ætas.* Salomonem hujus libri auctorem esse constans est Judæorum ac SS. Patrum traditio. Et Judæorum quidem judicium est Salomonem adolescentem Canticum, virum Proverbia, senem Ecclesiasten composuisse, in quo et vitæ anteactæ pœnitentem se ostendit. Huic universali traditioni consonant quæ in ipso libro leguntur. Etenim in titulo (I, 1) dicitur : *Verba Ecclesiastæ, filii David, regis Jerusalem.* Et infra (I, 12) auctor ipse ait : *Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Jerusalem.* Quod, quia statim post Salomonem scissum fuit regnum, et reges Israel non amplius in Jerusalem regnarunt, in qua soli reges Juda habitabant, soli Salomoni et nulli alteri competere potest, sicut nulli alteri nisi sapientissimo Salomoni congruunt ea quæ dicuntur I, 16 : *Ecce magnus effectus sum et præcessi omnes sapientia qui fuerunt ante me in Jerusalem* (2). Et XII, 9 : *Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes docuit populum, et enarravit quæ fecerat : et investigans composuit parabolas multas.* Quæ verba apprime conveniunt cum iis quæ de sapientia Salomonis narrantur in libris Regum (3). Nec obstat in Ecclesiaste occurrere verba chaldaica et exotica quæ ætatem exilii Babylonici aut tempora recentiora sapere videntur. Nam fieri bene potuit ut ævo Salomonis illæ locutiones, ceteroquin paucæ, in usu jam essent, cum tunc Judæi haberent cum Syris et aliis nationibus commercium quam frequens, nec tot possidemus ævi Salomonici monumenta hebraica ut possimus pronuntiare hanc vel illam vocem sermoni hebraico tunc defuisse. Ceterum istæ locutiones, etiamsi tempus recentius necessario innuerent, amanuensibus qui libri sermonem recepto sermoni accommodare vellent, potius tribuendæ forent, quam a Salomone liber abjudicandus contra testimonium universæ traditio-

(1) Cfr. Bible de Vence, *Préface et dissertation sur l'Ecclés.* t. VIII, p. 209-220 et 280-332. Ed. Avenion. 1771; paulo aliter argumentum exprimit Crampon lib. sup. cit. et Motais qui nexum sententiarum dilucide exponit.

(2) Ex eo quod dicit se sapientia præcessisse *omnes* qui fuerunt ante se in Jerusalem, nequaquam sequitur Salomonem auctorem non esse Ecclesiastis. Potuit enim Salomon respicere non solum ad Davidem, sed ad reges et principes ethnicos, ad sacerdotes et judices qui fuerunt ante eum in Jerusalem.

(3) Cfr. *III Reg.* III, 12; IV, 30-34; X, 4-9.

nis et ipsius libri. Non magis obstat differentia styli qua hic liber a Proverbiis et Cantico differt. Hæc enim differentia ex diversitate materiæ et ætatis qua Salomon scripserit repetenda videtur. Quod denique opponunt adversarii, in Ecclesiaste sermonem esse de judicibus innocentes opprimentibus et de aliis miseriis quæ in tempora Salomonis minus quadrent, ad hoc respondetur, argumentum libri esse generale, et ad certum tempus non restringi. Quis autem nescit vexationes, calumnias, aliasque miserias singulis ætatibus esse communes? Nonne circa tempora Salomonis videmus Semeium Davidi maledicere, Absalomem rebellare, Jeroboam contra Salomonem ipsum manum levare, et alia hujusmodi? Hinc errare patet Grotium et post eum Rosenmüller, Ewald, De Wette, aliosque Rationalistas, qui hoc opus seriore ætate, circa finem scilicet imperii Persici et initium monarchiæ Græcæ, confectum falso sub nomine Salomonis opinantur. Argumenta enim quæ afferunt ex indole sermonis aut ex libri argumento tanti ponderis non sunt ut valeant constantem et perpetuam traditionem ipso libro firmatam evertere (1).

5. *Scopus et methodus*. Ex argumento supra exposito patet totum libri scopum ad hanc propositionem reduci : omnia vana sunt tum in mundo tum in homine, adeoque nihil verum, nihil constans, nihil grande et præstans homini inesse potest, prætcrquam timere Deum ac mandatis ejus obtemperare, ut coram judice futuro stare possit. Hanc autem propositionem non continuo ratiocinio evolvit, sed per inquisitionem circa res quæ geruntur. Observationibus autem immiscet varia morum præcepta quibus quodammodo ratiocinium interrumpitur. Illud autem cum S. Gregorio Magno (2) notandum : « Quot sententias *per inquisitionem* movet, *quasi* tot in se personas diversorum

(1) Ecclesiasten Salomonis esse negant, inquit Reusch (*Einleit.* § 24, n. 4), non tantum Rationalistæ, sed alii etiam Protestantes, Hengstenberg, Hävernick, Keil, Kurtz, Delitzsch, alii ; recentius eum Salomoni tribuerunt : Böhl, *De aramaismis libri Koheleth*, Erlang. 1860 : Hahn, *Comment.* 6, et Hölemann, *Bibelstudien.* Lips. 1860, II, 26. Ex recentioribus catholicis doctoribus Jahn, Herbst et Movers, Salomonem auctorem negant ; Welte, Scholz, Haneberg, Danko et Von Essen, contrarium defendunt. » De auctore Ecclesiastis fuse agit Motais in opere supra indicato.

(2) *Dial.* IV, 4.

suscipit. Alia sunt, quæ per inquisitionem moventur, atque alia quæ per rationem satisfaciunt; alia quæ ex tentati profert animo atque hujus mundi delectationibus dediti, alia vero in quibus, quæ rationis sunt disserit, ut animum a delectationibus compescat.... Illud ex tentatione carnali intulit, hoc postmodum ex spirituali veritate definivit. »

6. *Divinitas.* Fama fuit, quam nobis servavit S. Hieronymus, deliberasse priscos Hebræos ut Ecclesiasten oblivioni traderent, eo quod vanas Dei assereret creaturas et totum putaret esse pro nihilo, et cibum et potum et delicias transeuntes præferret omnibus, sed, melius perspecto totius libri scopo, Ecclesiasten inter libros divinos retinuisse, quia auctor totum opus absolutissima illa sententia concludit : *Deum time et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.* Ex hac totius operis conclusione patet quam immerito scepticismi aut epicureismi auctorem insimularint olim nonnulli quos reprehendit S. Philastrius (1). Recte porro ut divinus Ecclesiastes suscipitur, quum a Synagoga vetere, ab Ecclesiæ Patribus et Conciliis, inter libros protocanonicos constanter repositus fuerit.

CAPUT XV.

DE CANTICO CANTICORUM (2).

1. *Inscriptio.* Hoc carmen hebraice inscribitur שִׁיר הַשִּׁירִים אֲשֶׁר לִשְׁלֹמֹה, quod Vulgata recte vertit : *Canticum canticorum Salomonis*, id est, optimum seu præstantissimum Salomonis canticum (3). Ex quibus verbis sequitur præstantissimum hoc carmen a Salomone esse compositum.

(1) *Hær.* 134.

(2) Cfr. Bosuetius, *Præf. in Cantic.* Opp. t. I. Ed. Vivès, Paris. 1862 ; Cornelius a Lapide, *Comment. in Cantic.* cum præfat. Crampon. Ed. Vivès, Paris. 1863.

(3) Quum lingua hebraica superlativo careat, Hebræi superlativum exprimunt variis modis, et sæpe quidem repetitione ejusdem vocabuli, ut in *Eccl.* I, 1 : הֲבֵל הֲבָלִים *vanitas vanitatum,* hoc est, summa vanitas. Alia exempla præbet

2. *Argumentum et scopus.* Exhibet hoc carmen, sub forma dramatica, ad modum Bucolicarum Virgilii, quamvis non constituat drama proprie dictum (1), exhibet, inquam, continua colloquia inter dilectum et dilectam qui tenerrimum amorem sibi invicem significant. Porro dilectus repræsentatur ut pastor et sponsus, dilecta autem nunc vinearum custos vocatur, nunc soror et sponsa pulcherrima, nunc principis filia, nunc Sulamitis. Rationalistæ isto carmine celebrari amorem mere profanum seu carnalem autumant; iis olim præiverunt Theodorus Mopsuestenus et nonnulli hæretici, quos reprehendit S. Philastrius (2). Judæi autem et Christiani carmen interpretantur de amore spirituali, quo Deus prosequitur populum suum. Tenent igitur christiani doctores, sub allegorica imagine tenerrimi amoris inter sponsum et sponsam, describi unionem Dei cum Synagoga veteri, id est, cum populo Israelitico, et unionem Dei cum Synagoga novi Testamenti, id est cum Ecclesia, quæ non est nisi continuatio et complementum veteris Synagogæ, a Deo propter Christi abnegationem reprobatæ. In Cantico igitur canticorum describitur unio Christi cum Ecclesia, ac consequenter Christi cum animabus justis, quæ sunt Ecclesiæ membra. Cum autem omnium animarum justissima fuerit Beata Virgo Maria, hinc Ecclesia in officiis liturgicis suavissima sponsæ verba ipsi accommodavit.

3. Bossuetius (3) cum aliis tenet in Cantico sensu litterali describi matrimonium Salomonis cum filia regis Ægypti, sensu autem typico seu mystico conjunctionem Christi et Ecclesiæ. Sed ante Bossuetium, Cornelius a Lapide jam observaverat plura in Cantico inveniri quæ non quadrant in filiam regis Ægypti, ut quod sponsa dicitur vineam non custodivisse, greges pascere, per plateas perambulavisse atque a custodibus verberatam

Glassius in *Philologia sacra* l. III, tr. I, p. 386. Postrema inscriptionis verba אֲשֶׁר לִשְׁלֹמֹה aliqui ita interpretantur ut significent : *quod carmen respicit ad Salomonem*, de eo, de ejus amoribus agit. Sed ista interpretatio admitti nequit. Nam vocula ל ex indole linguæ hebraicæ auctorem carminis designat, ut constat ex plurimis Psalmorum inscriptionibus.

(1) Hebræis ignotum fuisse drama proprie dictum contra Renan docte probat Franck, cujus dissertatio in nonnullis reprehendenda exstat in editione supra laudata Cornelii a Lapide.

(2) *Hær.* 135.

(3) *Opus cit.* p. 371.

fuisse, quæ de regina accipi nequeunt. Ipse tamen putat hoc carmen a Salomone compositum occasione ipsius matrimonii cum filia Pharaonis. Alii putant sensum litteralem referri ad matrimonium in genere. Theodoretus (1) autem, adductis multis Scripturarum testimoniis, fuse probat Canticum meram esse allegoriam quæ spiritualiter de unione Christi cum Ecclesia intelligenda est ; porro in eamdem sententiam esse docet Origenem, Eusebium, Cyprianum aliosque Patres. Talis etiam est sententia auctoris Paraphraseos chaldaicæ et aliorum Judæorum. Neque mirum videri debet talem in Scriptura inveniri allegoriam, siquidem is fuit mos scriptorum sacrorum ut Deum tanquam sponsum, ejus populum tanquam sponsam, utriusque vero unionem tanquam verum matrimonium repræsentarent. Sic Isaias LIV, 6 dicit : *Ut mulierem derelictam et mœrentem spiritu vocavit te Dominus, et uxorem ab adolescentia abjectam.* Et cap. LXII, 5 : *Gaudebit sponsus super sponsam et gaudebit super te Deus tuus.* Hinc ubi Israel a fide veri Dei ad idola deficiebat, idololatria ejus tanquam fornicatio et adulterium ipsi exprobrabatur (2). Hinc etiam Christus in Evangelio se sponsum vocat ap. *Matth.* IX, 15 : *Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?* Et S. Paulus *II Cor.* XI, 2 : *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Canticum igitur sensu allegorico conscriptum fuisse, etiam confirmatur ex eo quod improbabile videtur Spiritum sanctum dictavisse librum, in quo amor describeretur mere profanus, qui, quantumvis castus supponatur, natus tamen est pravam inflammare concupiscentiam atque animabus periculum afferre, ut fuse observat Theodoretus (3).

4. *Auctor et ætas.* Rosenmullerus opinatur Canticum compositum fuisse post captivitatem Babylonicam , et hoc ob duas rationes. Prima quod carmen tantæ magnitudinis dramatico-allegoricum ipsi videatur ætatem arguere seriorem; secunda quod duæ voces peregrinæ apud Nehemiam et Ecclesiasten tantum exstantes in eo inveniantur (4). Sed istæ ratiunculæ

(1) *Præf. in Cantic.*

(2) Vid. *Exod.* XXXIV, 16 ; XX, 5-6 ; *Jud.* II, 17; VIII, 33 ; *Jer.* III, 6-14; *Ezech.* VI, 9; XVI, 1, sqq.

(3) Cfr. Theodoretus, *Præf in Cant.*

(4) Istæ voces sunt פַּרְדֵּס *paradisus* (IV, 13, cfr. *II Esdr.* II, 8; *Eccl.* II, 5), et

Ewaldo infirmiores videntur. Ipse autem Canticum confectum putat octoginta circiter annis post Salomonem. Cur non ipsa Salomonis ætate? Silet Ewaldus. Sed alius Rationalista, De Wette nempe, anceps hæret et fatetur imagines atque vitæ relationes ita vivide depingi ut ætatem Salomonis prodant. Et revera Canticum fuisse ab ipso Salomone, qui multa carmina fecit, compositum, constans est Judæorum et Christianorum traditio, quæ firmum habet in ipso titulo fundamentum. Contra gravem traditionis et ipsius carminis auctoritatem prævalere nequeunt leviores quædam ratiunculæ excogitatæ a viris qui se invicem confutant.

5. *Divinitas.* Canticum canticorum esse divinum et canonicum unanimis est Judæorum et Christianorum traditio. Olim tamen quidam apud Judæos videntur dubitasse. Contra quos Rabbi Akiba et Rabbi Simeon illud sanctissimum declararunt (1). S. Philastrius reprehendit etiam quosdam, quos secutus est Theodorus Mopsuestenus, qui æstimabant in Cantico cani amorem mere profanum. Hodie multi Rationalistarum quibus præivit Voltaire, Canticum non solum amore profano plenum sed et obscœnum identidem prædicant. Sed hi nimis hærent in cortice litteræ, ubi enim Canticum allegorice, uti oportet, intelligitur, nihil non castum, nihil non sanctum et divinum exprimit; siquidem nihil aliud significat quam castissimos sponsi cœlestis et sponsæ terrenæ amores, divinam scilicet Christi cum Ecclesia unionem. Si quæ autem voces nude in linguam nostram translatæ minus bene sonant, exinde non sequitur illas in textu primigenio aures offendisse.

שֶׁלִּשְׁלֹמֹה (III, 7) *quæ Salomoni,* quæ constructio seriorem hebraismum innuit. Sed prima vox jam occurrit in Ecclesiaste quem Salomoni vindicavimus. Quod si non admittat auctoritatem Ecclesiastis, nihil tamen probat istas voces nondum fuisse usitatas ætate Salomonis. Et etiamsi hoc constaret nondum sequeretur ætate Salomonis Canticum esse recentiorem. Novimus enim Esdram recognovisse et a mendis expurgasse libros sacros. Quid igitur impedit ipsum duas illas voces vocibus obscurioribus aut obsoletis substituisse?

(1) Eorum testimonia ex Thalmude referuntur in Herbst et Welte, *Einleit.* t. III, cap. IV, p. 239.

CAPUT XVI.

DE LIBRO SAPIENTIÆ (1).

1. *Argumentum.* Liber Sapientiæ in duas partes distingui potest. In prima parte auctor commendat sapientiam tum hominibus ceteris, tum peculiariter regibus et principibus. Improbi frustra sapientiam sapientesque spernunt, autumantes omnia cum hac vita finiri. Interim ipsi in hac vita miseri degunt et in altera miseriores adhuc erunt, dum e contra justi in perpetuum vivent (I-V). Pergit auctor sapientiam regibus et judicibus commendare, et, assumpta Salomonis persona, eam summis laudibus extollit simulque a Deo postulat (VI-IX). In secunda autem parte (X-XIX), exemplis ex historia populi Dei atque Patriarcharum a creatione usque ad Moysen petitis ostendit justos constanter a sapientia remuneratos, improbos vero præsertim idololatriæ, cujus originem refert, deditos, variis afflictionibus punitos fuisse.

2. Sapientia autem de qua agitur in hoc libro intelligenda est tum increata tum creata ; et increata quidem nunc sumitur ut attributum Dei essentiale, nunc ut persona divina seu Verbum Dei æternum. Sapientia autem creata intelligitur tum speculativa, tum practica : speculativa, qua res divinas atque humanas perscrutamur, practica, qua ad omnes virtutes impellimur (2).

3. *Textus et versiones.* Huetius, Grotius, et post eos quidam recentiores, docuerunt librum Sapientiæ hebraice fuisse conscriptum. Suam sententiam probare conati sunt ex eo quod Salomon illius auctor dicatur in titulo libri apud Græcos, et quod textus græcus hebraismis scateat. Sed communis et vera sententia est Sapientiam græce primitus fuisse exaratam. Nam hebraicum aliquem illius textum nemo unquam vidit. Præterea stylus græcam eloquentiam redolet. Abundat enim textus græ-

(1) Cfr. Cornelius a Lapide, *Comment. in Sap.; Bible de Vence* t. VIII, p. 437 et seqq. ed. Avenion. 1772; Herbst et Welte, *Einleit.* part. 2, 3, cap. 6; Vincenzi, *Sessio IV concil. Trid. vind:* part. III. prop. 4.

(2) Cfr. Cornelius a Lapide, *Præf. in lib. Sap.;* Estius, *In loca difficiliora* ad *Sap.* I. 4; Danko, *Historia revel. bibl.* p. 550.

cus magna copia phrasium, dictionum et locutionum pure græcarum, quibus utendi textus aliquis hebraicus ansam dare non potuisset, nec ab interprete tam copiose, ut hic fit, adhibitæ fuissent (1). Addantur quamplurima vocabula composita quorum in hebraica lingua frustra quæsieris locutionem analogicam, ut φιλανθρωπία, ἀδελφοκτόνος, νηπιοκτόνος, ὁμοιοπαθής, etc. Accedunt frequentes paronomasiæ, assonantiæ et lusus verborum, quales ab interprete hebraici alicujus textus tanta copia adhibitas fuisse haud verisimile est. Quod autem in textu græco multi hebraismi reperiantur hoc solum probat auctorem libri esse Judæum quemdam Hellenistam. Sic in Evangeliis, et in Epistolis S. Pauli frequentes occurrunt hebraismi, quamvis omnia ista documenta græce exarata fuerint. Difficultas petita ex eo quod Salomon auctor sit, nulla est; probabimus enim Salomonem Sapientiæ auctorem non esse.

4. Versio latina quæ in Vulgata habetur S. Hieronymo multo antiquior est et in re critica apud omnes maximam obtinet auctoritatem, quiá et antiquissima est et presse de verbo ad verbum facta est. Versio armeniaca etiam plurimi fit. Versio autem syriaca, in fine præsertim, non ita presse sequitur textum græcum.

5. *Auctor et ætas*. Liber Sapientiæ græce inscribitur σοφια Σαλωμῶντος, *Sapientia Salomonis*, atque auctor in persona Salomonis loquitur (capp. VIII-IX). Quod considerantes plerique Patrum librum Salomoni tribuerunt. Sixtus Senensis, Salmeron, Rugerius, Tirinus, Huetius, Schmidt, hanc sententiam recentiori ætate amplexi sunt. Houbigantius novem priora capita Salomoni, reliquam libri partem alteri auctori vindicare studuit. Plures Rationalistæ, inter quos Bretschneider et Engelbreth, librum Sapientiæ ex variis fragmentis diversorum auctorum constare defenderunt. Denique, teste Hieronymo, nonnulli veterum, quos secutus est Lyranus, Philonem Sapientiæ auctorem fecerunt. Sed neutra ex his sententiis admittenda videtur. Et primo quidem auctorem non esse Salomonem jam agnoverunt S. Hieronymus et S. Augustinus. Prior enim librum declaravit ψευδεπίγραφον, seu falso Salomoni adscriptum, posterior au-

(1) V. g. ἀγῶνα νικᾶν (IV, 2), ἀγῶνα βραβεύειν (X, 12), ἀδελφοκτόνοις συναπώλετο θυμοῖς (X, 3), συνθήκην τίθεσθαι πρὸς τινα (I, 16), ἀπολαύειν τῶν ὄντων ἀγαθῶν (II, 6).

tem (1) ait : « Alii vero duo, quorum unus Sapientia, alter Ecclesiasticus dicitur, propter eloquii nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicantur obtinuit consuetudo; non autem ipsius esse non dubitant doctiores. » Et revera, si hic liber Salomonis esset, utique, inquit Cornelius a Lapide (2), Hebræis fuisset cognitus, et in canone S. Scripturæ positus; jam autem nec in canone hebræo est, nec hebraice ulli visus fuit. Imo indoles sermonis indicat librum græce scriptum fuisse. Ideo autem, juxta Vincenzi (3), Salomonis dictus fuerit iste liber, quia ex libris sapientia Salomonis refertis, nunc autem partim deperditis, auctor doctrinam suam hauserit. Falso pariter Philoni Judæo, qui sub Caio Caligula paulo post Christum vivebat, liber Sapientiæ tributus fuit. Nam cum iste Philo infidelis et pertinax in Judaismo post mortem Christi permanserit, canonicum librum scribere nequiverit. Patres qui recensent opera Philonis, ut Hieronymus et Eusebius, iis nunquam annumerarunt Sapientiam. Præterea Ecclesia alios Philonis libros non recepit, cur ergo Sapientiam recepisset? Nec difficultas oriri potest ex eo quod reperiatur quædam similitudo inter doctrinam Philonis et doctrinam libri Sapientiæ. Nam, cum Philo Judæus esset et in Scripturis apprime versatus, mirum videri non debet ipsum plura doctrinæ capita ex libro Sapientiæ hausisse adeoque quamdam reperiri similitudinem inter doctrinam Philonis et doctrinam libri Sapientiæ. Adversarii tamen fateri debent multam etiam inter utrumque inveniri discrepantiam. Sententia autem quæ fingit plures Sapientiæ auctores omni fundamento caret et contra connexionem singularum libri partium peccat. Recte igitur concludimus cum Cornelio a Lapide et aliis incertum esse auctorem libri Sapientiæ ; probabile tamen est librum conscriptum esse a Judæo Hellenista circa tempora Alexandri Magni, postquam librorum sacrorum canon absolutus erat.

6. *Divinitas.* Sapientia non numeratur inter libros protocanonicos, divina tamen est et canonica. Nam annumeratur ceteris libris sacris in versione LXX et, quamvis diserte non nominetur

(1) *De Civit. Dei* l. XVII, c. 20. Cfr. *De doctr. christ.* l. II, c. 8; *Retract.* l. II. c. 4.

(2) *Præf. in Sap.*

(3) *Sessio IV Concilii Trident. vindicata* p. 3, prop. 4 § 8.

in novo Testamento, ejus tamen verba non semel allegantur a S. Paulo (1). Sancti Patres frequenter allegarunt librum Sapientiæ tanquam divinum. Inter eos nominandi sunt S. Clemens Romanus, S. Barnabas, S. Justinus, qui ex Sapientia argumentatur contra Judæos, S. Hippolytus, S. Melito, Clemens Alexandrinus, Tertullianus et S. Cyprianus qui verba *Sap.* III, 14 referens ait : « Per Salomonem Spiritus Sanctus ostendit et præcinit dicens : etc. » Concinunt Eusebius, S. Athanasius et S. Hilarius, qui duo posteriores ad Sapientiam provocant contra Arianos (2). Hieronymus quidem testatur Sapientiam inter Scripturas canonicas non recenseri, attamen in commentariis in *Is.*, *Os.*, *Ezech.* et alibi sæpius allegat librum Sapientiæ velut alios Scripturæ libros ipsique eamdem ac ceteris auctoritatem tribuit. Imo *in Jerem.* auctorem Sapientiæ prophetam vocat : « Alio Propheta loquente : *cani sunt,* etc. (3) »

7. Merito igitur S. Augustinus cum variis Conciliis Sapientiam in canone recepit, et adversus Pelagianos dixit : « Non debuit repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi tam longa annositate recitari et ab omnibus christianis, ab episcopis usque ad extremos laicos fideles, pœnitentes, catechumenos cum veneratione divinæ auctoritatis audiri... Qui sententiis tractatorum instrui volunt, oportet, ut istum Sapientiæ librum, ubi legitur *raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus,* omnibus tractatoribus anteponant, quoniam eum sibi anteposuerunt etiam temporibus proximis Apostolorum egregii tractatores, qui eum testem adhibentes, *nihil se adhibere nisi divinum* testimonium crediderunt (4). »

(1) Cfr. *Sap.* XIII cum *Rom.* I, 17-31 ; *Sap.* VII, 26 cum *Hebr.* I, 3.

(2) S. Clemens, *I ad Cor.* 27; S. Barnabas, *Epist.* 6; S. Justinus, *Dial. cum Triph.* versus fin.; S. Hippolytus, *Adv. Judæos,* 9; S. Melito. *Clavis. Patrol. gr.* V, 1226; Clemens Alex. *Pædag.* I, 8; II, 1; *Strom.* II, 2; Tertullianus, *Adv. Valent.* 2; S. Cyprianus, *Epist. ad Fortun.* 12.; Eusebius, *in Psalm.* 9 et passim; S. Athanasius, *Orat. contra gent.* 11 et passim; S. Hilarius, *in Psal.* 127; etc.

(3) Vid. *Patrol. lat.* a Migne editam t. XXIV, 59, 354, 533, 541, 545, 615, 683; XXV, 440, 579, 878, 899, 951; XXVI, 347, 450 et passim.

(4) *De Prædest. Sanct.* 14. Difficultates quæ ex Patribus fieri possent solvimus in *Introd, gen.* cap. III.

30. IV. 86.

CAPUT XVII.

DE LIBRO ECCLESIASTICI (1).

1. *Inscriptio*. In textu hebraico, quem adhuc vidit S. Hieronymus, hic liber *Parabolas* prænotabatur. In versione græca inscribitur σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σειράχ, vel brevius σοφία Σειράχ, quæ inscriptio notat libri argumentum et auctorem. Apud Latinos, jam a tempore S. Cypriani, *Ecclesiastici* nomen obtinuit, fortasse quia ad catechumenos instruendos in Ecclesia usurpabatur, vel, ut alii volunt, quia cum Ecclesiaste magnam similitudinem habebat (2).

2. *Argumentum*. Sicut Ecclesiastes et Sapientia, Ecclesiasticus totus versatur in re morali; veram commendat sapientiam, cujus initium et plenitudo est timor Domini; simul autem axiomata moralia ponit variaque tradit præcepta vitæ recte agendæ in quocumque statu. Docet quomodo parentes et liberi, juvenes et senes, viri et uxores, servi et domini, mores suos instituere debeant in quibusvis circumstantiis. Agendam præcipit virtutem, vitium autem fugiendum, præbendam parentibus et dominis obedientiam et reverentiam, pauperibus eleemosynam, refrænandum divitiarum atque vindictæ appetitum, adimplenda officia erga Deum et proximum, superbiam, vinum luxuriamque vitanda (I-XXIV). Inducit deinde ipsam sapientiam ad se omnes advocantem et morales sententias ad modum proverbiorum Salomonis pandentem (XXV-XLII, 14). Deinde auctor Deum exaltat ex magnificentia creaturarum, laudatque Patriarchas aliosque viros apud Judæos celebres usque ad Simonem, Oniæ

(1) Cfr. Auctores cap. præced. citati.

(2) Vocatur etiam simpliciter ἡ σοφία (Clemens Al. *Pæd.* I, 8, 69; Origen. *In Matth.* t. XIII, 4), *liber sapientiæ* (S. Hieron. *Contra Pelag.* I, 33). Alibi apud eosdem auctores vocatur σοφία Σειρὰχ *sapientia Sirach* (Clem. Al. *Strom.* I, 4, 27); Orig. *Contra Cels.* VI, 7; S. Hieron. *In Eccl.* III, 16. Citatur sub nomine Salomonis a S. Cypriano (*Contra Jud.* III, 35, 95) : « Apud Salomonem in Ecclesiastico. » Item ap. Hieron., Zenon., Optat., Milev. etc. Item in Conciliis Hippon. an. 393, Carthag. an. 397 : « Salomonis libri quinque. » Cfr. S. August., *De Civ. Dei* XVII, 20.

filium. Ultimo loco sistitur oratio auctoris (XLII, 15-LI). Hisce auctor aliqua prophetica effata immiscet de conversione gentium et Judæorum in fine temporum, de adventu Eliæ et Enochi ad prædicandam pœnitentiam gentibus.

3. *Auctor et ætas.* Jesus, filius Sirach, cives Jerosolymitanus, vir eximiæ pietatis ac profundissimæ scientiæ, auctor est libri Ecclesiastici, ut constat ex titulo et ex cap. L. 29 : *Doctrinam sapientiæ et disciplinæ scripsit in codice isto Jesus filius Sirach Jerosolymita, qui renovavit sapientiam de corde suo.* Cfr. LI, 1. Scribebat autem quo tempore Simon, cognomine *Justus,* Oniæ filius, summum sacerdotium exercebat, ut constat ex cap. L, 1-22. Ecclesiasticus igitur compositus fuerit ineunte sæculo tertio ante Christum. Græce translatus fuit in Ægypto a nepote auctoris, regnante Ptolemæo Evergete (247-221 a Ch.), quod asseritur in Prologo translationis græcæ (1).

4. *Textus et versiones.* Ecclesiasticum hebraica lingua exaratum fuisse discimus ex Prologo. Sed textus primigenius, quem S. Hieronymus adhuc superstitem vidit, jamdiu deperditus est. Versio græca a nepote Siracidis in Ægypto elaborata fuit sub regno Ptolemæi Evergetis. Istius versionis duæ habentur recensiones : Romana scilicet et Complutensis, quæ sæpius ab invicem discrepant. Ex versione græca derivantur ceteræ versiones, inter quas Vulgata, Hieronymo multo antiquior, præcipuum locum occupat. Porro quæ occurrunt capp. XXX-XXXVI alio ordine disposita sunt in latina editione ac in græca.

5. *Divinitas.* Quæ de canonicitate libri Sapientiæ diximus, eadem fere de Ecclesiastico asserenda sunt. Sicut Sapientia, Ecclesiasticus a plerisque Patribus in canone Scripturarum omissus fuit, sed in versione LXX inter libros sacros annumeratus est. Scriptores etiam novi Testamenti allegant plures sententias quæ cum libro Ecclesiastici prorsus conveniunt; et quamvis hæc verba referendo nullius libri sacri auctoritatem invocent, non est tamen improbabile illos ea ex Ecclesiastico desumpsisse, præsertim cum constet ipsos usos esse versione Septuagintavi-

(1) Quia occurrunt duo Pontifices sub nomine Simonis, Oniæ filii, nonnulli putant Ecclesiasticum confectum sub Simone II (219-199 a Chr.) et græce translatum sub Ptolemæo VII, cognomento Phiscone (170-116 a Chr.), qui, juxta eos, dictus etiam fuerit Evergetes.

rali (1). Patres autem in versionibus Scripturarum, quibus utebantur, Ecclesiasticum aliis libris sacris permixtum invenerunt, et, data occasione, ut divinum allegarunt etiam contra hæreticos (2).

CAPUT XVIII.

DE PROPHETIS GENERATIM (3).

1. *Prophetæ nomen, ejusque significatio ac usus.* Propheta, hebraice נָבִיא (4), vario sensu in Scriptura quis dicitur. Latiori significatione in V. T. Propheta dicitur *ille quem Deus immediate et supernaturaliter suscitavit ut Dei revelationes voluntatemque hominibus manifestaret.* Erant igitur Prophetæ viri divinitus edocti atque missi ut, nomine Dei, mores populorum et regum castigarent, eos in verum Dei cultum continerent aut reducerent, ac Dei revelationes de rebus abditis aut futuris, præsertim de adventu Messiæ, annuntiarent. Verbo, Dei nuntii atque interpretes erant. « Prophetæ, inquit Bonfrerius (5), in Scriptura dicuntur non tantum ii qui futura vel abdita prænuntiant, sed etiam qui divinas laudes concinunt vel Scripturam inter-

(1) Cfr. *Eccli.* IX, 10 cum *I Tim.* VI, 9; *Eccli.* XII, 4 cum *Gal.* VI, 10; *Eccli.* XXX, 11 cum *II Cor.* IX, 7, etc.

(2) Vid. S. Clemens Rom., *Patrol. gr.* I, 228; S. Barnabas, *Patrol. gr.* II, 780; S. Irenæus, *Contra Hær.* IV, 36; Clemens Alex., *Patrol. gr.* VIII, 330, 333, 334, 335, 343, 347, 354, 374, etc.; Origenes, *Patrol. gr.* XIII, 80, 191, 214, 215, etc.; S. Dionysius Alex., *Patrol. gr.* X, 1260; S. Methodius, *Patrol. gr.* XVIII, 43; Eusebius, *Patrol. gr.* XXI, 983, 1014, etc.; S. Athanas., *Patrol gr.* XXVII, 983, 1375, 1376, etc.; S. Hier., *Patrol. lat.* XXII, 642, 670, etc. Mitto alios. Vid. *Introd. Gen.* c. III.

(3) Cfr. S. Thomas, *Summa theol.* 2 2ae q. 171-174; Cornelius a Lapide, *Proœmium in Prophetas*; Calmet, *Dissert. sur les Prophéties;* De la Luzerne, *Dissert. sur les Prophéties in cursu S. Script.* a Migne edito; Reinke, *Einleit. in die Weissagungen; Beiträge.* t. II, 1. Monast. 1855; etc.

(4) Propheta alio nomine, rarius tamen usitato, in V. T. vocatur *Videns* רֹאֶה, חֹזֶה. De hoc nomine dicitur *I Reg.* IX, 9 : *Qui enim Propheta vocatur hodie vocabatur olim Videns.* « Prophetæ, inquit S. Basilius (*Præf. in Is.*) dicti sunt *Videntes*, quia futura tanquam præsentia conspiciunt.

(5) *Comment. in Num.* XI, 25.

pretantur. » Latior hæc nominis Prophetæ significatio ex ministerio Prophetarum infra describendo colligitur et comprobatur variis Scripturæ locis (1). In malam partem vox Propheta usurpatur de falsis prophetis qui ex dæmonis suggestione conjecturaliter futura prænuntiabant et hoc modo divinam missionem mentiebantur.

2. Strictiori sensu Propheta ille est *qui ex inspiratione divina res humano ingenio impervias* annuntiat. « Quid est prophetia, inquit Junilius Africanus (2), rerum latentium, præteritarum aut præsentium aut futurarum, ex divina inspiratione manifestatio. » « Sed ut monet S. Gregorius (3), in duobus temporibus prophetia etymologiam perdit; quia cum ideo prophetia dicta sit, quod futura prædicat, quando de præterito aut præsenti loquitur rationem sui nominis amittit. Quare Propheta (a προφημι præfor, prædico) proprio et strictissimo sensu ille est *qui ex divina inspiratione res futuras homini impervias certo prænoscit et prænuntiat.*

3. *Prophetiæ essentia, auctor, objectum.* Quum igitur pophetia sit « divina inspiratio seu revelatio res futuras, quæ ex causis naturalibus cognosci nequeunt, certo prævidens ac prænuntians, » sequitur prophetiam, ut docet S. Thomas (4), primo et principaliter consistere in cognitione intellectui Prophetæ impressa ex revelatione divina; secundario autem in elocutione, quia Prophetæ ea quæ divinitus edocti sunt, in utilitatem aliorum annuntiant. Quum autem Prophetæ cognoscant res homini naturaliter impervias, ad prophetiam requiritur lumen quoddam intellectuale excedens lumen naturalis rationis. Lumen autem propheticum non inest intellectui Prophetæ per modum formæ permanentis, seu habitus; sed per modum cujusdam impressionis transeuntis; alias oporteret Prophetæ semper adesse facul-

(1) *Exod.* VII, 1 Aaron, Moysi interpres et orator, Propheta vocatur : *Ecce,* inquit Deus, *constitui te Deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* In *I Par.* XXV. 1 legimus Davidem segregavisse filios Asaph, Heman et Idithum *qui prophetarent in citharis et psalteriis et cymbalis,* id est, laudes Dei decantarent in hisce instrumentis. Cfr. etiam *Num.* XI, 25; XII, 16; *Deut.* XVIII, 15; *Jud.* VI, 8; *I Reg.* III, 20; X, 5-10; XIX, 20; *III Reg.* XIV, 2-17; *Eccli.* XLVIII, 14; *Luc.* XXII, 64; etc.

(2) *De partitionibus divinæ Legis,* I, 4.

(3) *Homil. I in Ezech.* init.

(4) *Summa theol.* 2 2æ q. 171, art. 1-2.

tatem prophetandi; quod esse falsum manifestum est. Unde Elisæus dixit de muliere Sunamite (1) : *Anima ejus in amaritudine est; et Dominus celavit a me.* Etenim sicut aer semper indiget nova illuminatione, ita mens Prophetæ semper indiget nova revelatione. Hoc etiam innuitur ex ratione loquendi Prophetarum, qui frequenter dicunt : *Locutus est Dominus ad me;* vel alia hujusmodi (2).

4. Porro, quamvis inordinati affectus maximum afferant dono prophetiæ impedimentum, unde videmus Prophetas bonis moribus vitæque sanctitati continuo studuisse et orationi institisse ut futurorum revelationem a Deo acciperent; potest tamen prophetia esse sine charitate et gratia sanctificante, ut constat ex Balaamo, qui etsi falsos deos coleret, tamen vere prophetavit; et ex *Matth.* VII, 22, ubi his qui dixerant : *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* respondetur : *Nunquam novi vos.* Novit autem Dominus qui sunt ejus, ut dicitur *II Tim.* II, (3).

5. Objectum prophetiæ sunt omnes eventus futuri qui naturaliter excedunt humanam cognitionem, ut sunt : 1° Ea quæ Deus extra ordinarium naturæ cursum facere decrevit, v. g. ascensio Christi, siccitas extraordinaria ab Elia (*III Reg.* XVII) prædicta. Hæc enim solus Deus cognoscit. 2° Eventus pendentes ab actibus liberis quos homo in futurum emittet, quum se in hanc vel illam partem libere determinabit. Hos enim actus nec angelus, nec dæmon certo præscire potest, sed solus Deus qui infinita sua intelligendi vi penetrat et comprehendit libertatem omnium creaturarum videtque clare et distincte quid unusquis-

(1) *IV Reg.* IV.

(2) « Si semper esset in Prophetis sermo Dei et juge in pectore eorum haberet hospitium, nunquam tam crebro Ezechiel poneret : *Et factus est sermo Domini ad me dicens*, etc. S. Hieron. *in Ezech.* XXXV, 1.

(3) Hoc fusé probant S. Augustinus, *Quæst. ad Simplician.* l. II. q. I, 8, et S. Thomas, *Summa theol.* 2ª 2ª q. 172 art. 3, qui sic ratiocinatur : « Prophetia potest esse sine charitate : primo quia prophetia pertinet ad intellectum, cujus actus præcedit actum voluntatis quam perficit charitas; secundo quia datur ad utilitatem Ecclesiæ sicut aliæ gratiæ gratis datæ, non autem ad hoc ut affectus ipsius Prophetæ conjungatur Deo. Et ideo prophetia potest esse sine bonitate morum quantum ad propriam radicem hujus bonitatis. Potest tamen aliquis aliunde a prophetia impediri propter morum malitiam ; nam ad prophetiam requiritur maxima mentis elevatio ad spiritualium contemplationem : quæ quidem impeditur per vehementiam passionum et per inordinatam occupationem rerum externarum. »



que quolibet tempore, loco et circumstantiis, libere sit facturus.

6. Hinc sequitur revelationem propheticam a solo Deo esse repetendam. « Præcognoscere enim futura secundum quod sunt in seipsis est proprium divini intellectus, cujus æternitati omnia sunt præsentia (1). » Astronomi quidem prædicunt solis vel lunæ eclipses, medici vicissitudines morborum, physici naturalia phænomena, alii alios eventus quos experientia ostendit plus minusve probabiliter futuros ; sed hæc veram non constituunt prophetiam, quia non semper certo et infallibiliter præsentiuntur et quia non excedunt limites causarum naturalium, ad quæ experientia hominis se extendere potest (2). Ex dictis recte infertur : 1° Prophetiæ non posse subesse falsum, quia fundamentum habet in præscientia divina, quæ falli nequit; 2° Dæmonem, etsi quædam cognoscat quæ homo non cognoscit, adeoque quædam præsentire possit quæ hominem latent, non posse ad veram prophetiam attingere, quia non cognoscit futura contingentia ut sunt in seipsis (3) ; 3° Prophetiam genus quoddam esse miraculi quod veritatem demonstrat religionis in cujus favorem editum est.

7. Porro Dominus, ut etiam notat S. Thomas (4), omnia quæ sunt necessaria ad instructionem fidelis populi revelat Prophetis. Non tamen omnia omnibus, sed quædam uni et quædam alteri.

8. *Obj*. Prophetia est impossibilis. Nam cognosci nequeunt, nisi ea quæ sunt ; jam autem futura contingentia nondum sunt. Ergo, etc. Ita increduli. *Resp*. Futura contingentia jam existunt in præscientia Dei, ergo a Deo præsciri et prædici possunt. Quia vero ab homine non cognoscuntur, ab ipso nec præsentiri nec prædici possunt. Ceterum retorqueri potest argumentum.

(1) S. Thomas, *Summa theol.* 2 2æ q. 172, art. 1.

(2) Jam inter paganos Cicero hoc agnovit. « Quæ præsentiri, inquit, arte, aut ratione, aut usu, aut conjectura possunt, ea non divinis tribuenda, sed peritis. » *De Divinat.* l. II, c. 5.

(3) S. Thomas, *Summa theol.* 2 2æ q. 172, art. 5. « Prophetæ igitur dæmonum si quid verum dicant illud conjecturaliter dicunt, nisi fortasse iis Deus extraordinarie utatur, ut fecit de Balaamo. Nam quandoque malis Deus utitur ad utilitatem bonorum. » Cfr. S. Thom. *Ibid.* art. 6.

(4) S. Thomas, *Summa theol.* 2 2æ q. 171, art. 4, ad 1m.

Si futura a Deo prædici non possunt quia nondum exstant, nec ab astronomo eclipses prædici poterunt, quia ipsæ etiam nondum exstant.

9. *Propheticæ revelationis modus, Multifariam multisque modis olim Deus locutus est patribus in Prophetis* (1). Et nunc quidem locutus est per visiones, quod Isaiæ, Ezechieli, Danieli et Zachariæ non semel contigit (2), nunc per somnia, ut Jacobo ejusque filio Josepho (3), nunc angelorum ministerio, ut Danieli et Beatæ Virgini (4), nunc externa voce, quomodo Deus locutus est Moysi de medio rubi ardentis et Jobo de medio nubis et Samueli dum dormiebat (5); sæpius vero interna illuminatione Deus suas revelationes Prophetis communicabat. Peculiari modo Deus Moysi suas voluntates manifestavit : *Ore enim ad os*, inquit, *loquor ei ; et palam et non per ænigmata et figuras Dominum videt* (6). De aliis autem Prophetis Deus dicit (7) : *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Prophetica porro revelatio largiebatur Prophetis quandoque in somno, quandoque vero ipsis vigilantibus atque constitutis in extasi, sive alienatione mentis a sensibus, quod Petro (8) contigit, vel non inhibito exteriorum sensuum usu. Porro quocumque modo fieret prophetica revelatio, semper Prophetas Deus certiores reddebat de inspiratione (9). Prophetiæ autem donum Prophetas libertate seu libero arbitrio non privabat. Ideo, ait S. Chrysostomus (10), Jonas fugit, ideo Ezechiel distulit, ideo Jeremias recusabat.

10. *Quibus signis veri Prophetæ a falsis distinguebantur.* Si multi fuerunt apud Hebræos Prophetæ, multi etiam fuerunt pseudo-prophetæ. Deus autem Israelitis in ipsa Lege Moysi duo signa dederat quibus falsi prophetæ erant detegendi. 1° Si quod prædixerant non evenisset, juxta *Deut.* XVIII, 22 :

(1) *Hebr.* I, 1.
(2) *Isai.* VI, 1; *Ezech.* II, 1; *Dan.* VIII, 1; *Zach.* I, 8.
(3) *Gen.* XXVII, 12; XXXVII, 5.
(4) *Dan.* IX, 21; *Luc.* I, 26.
(5) *Exod.* III, 4; *I Rg.* III, 4; *Job* XXXVIII, 1.
(6) *Num.* XII, 7.
(7) *Num.* XII, 5.
(8) *Act.* X, 10.
(9) Cfr. S. Thomas, *Summa theol*, 2 2ᵃ q. 171, art. 6.
(10) *Homil.* 29 *in Epist. ad Cor*,

Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit et non evenerit : hoc Dominus non est locutus. 2° Si ad idololatriam provocabant, juxta *Deut.* XIII, 1-3 : *Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : eamus et sequamur deos alienos quos ignoras et serviamus eis ; non audies verba Prophetæ illius.* Talis autem Propheta interficiendus erat ex *Deut.* XIII, 5 et XVIII, 20 : *Propheta autem qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret aut ex nomine alienorum deorum, interficietur.* Ex quo præcepto patet Israelitas media sufficientia habuisse ad discernendum an quis verus esset Propheta vel falsus. Etenim si veros Prophetas a falsis absque periculo erroris discernere nequivissent, absurdum et illicitum fuisset præceptum illis impositum falsos Prophetas occidendi.

11. Positiva etiam signa Deus instituerat quibus verus Propheta esset tuto agnoscendus. Et primo quidem Prophetarum vita sancta, pietas in Deum, aversio a cultu idolorum, indicabant eum qui nomine Dei vaticinabatur verum esse Prophetam. Quia tamen falsi Prophetæ per hypocrisin etiam vitam piissimam et mores bonos simulare possunt, istud signum per se solum non sufficiebat. Sicut nec sufficiebat quod in nomine Dei Propheta loqueretur, quia falsi prophetæ divinam missionem mentiri poterant. Sed sunt alia signa quibus qui a Deo mittebantur pro veris Prophetis certo et infallibiliter agnoscebantur. 1° Si Deus miraculis externe manifestabat missionem Prophetarum, quod in Elia et Elisæo sæpius factum videmus. 2° Si unus Propheta, qui verus agnitus erat, testabatur alterum verum esse Prophetam, aut ejus vaticinium confirmabat (1). 3° Si Deus Prophetæ rem mox futuram revelabat, ubi res illa evenerat, donum prophetiæ certissimum erat (2).

12. Sed audio incredulos adimpletioni prophetiæ suam vim auferre conantes hac cavillatione : Homo naturaliter aliqua prævidere potest ; insuper casu etiam nonnullæ res eveniunt ;

(1) Sic Michæas repetit et confirmat cap. IV, 1-3 verba Isaiæ cap. II, 4 ; Jeremias cap. XLVI, sqq. repetit vaticinia Isaiæ de Babylone, Ægypto, Moab, Idumæa, etc. quæ leguntur *Is.* XIII, sqq.

(2) *Jerem.* XXVIII, 9 : *Propheta qui vaticinatus est pacem; cum venerit verbum ejus, scietur Propheta quem misit Dominus in veritate.*

ubi igitur res aliqua evenit et per eam prophetia impletur, hoc fortasse casu accidit vel naturaliter fuit prævisum; adimpletio igitur nos de prophetia certos reddere nequit, siquidem incertum semper est annon casu res evenerit, aut naturaliter fuerit prævisa. Hoc ratiocinium huic æquipollet : fieri potest ut aspersa temere pigmenta in tabula oris lineamenta depingant; ergo, quando conspicimus egregiam Raphaelis picturam, incerti sumus annon fortasse ista pictura a coloribus casu in tabulam decidentibus efformata sit. Quod quam absurdum sit nemo non videt (1). Pariter, etsi ratio humana aliqua prævidere possit, absurdum foret exinde deducere omnia quæ eveniunt naturaliter fuisse prævisa. Etenim si prædictio sit de miraculo, vel de re valde remota, vel de re etiam proxima ad quam producendam plures causæ liberæ et valde disjunctæ concurrunt, manifestum est adimpletionem prophetiæ non fuisse naturaliter prævisam. Sic patet omnia quæ spectant Messiam non fuisse naturaliter a Prophetis prævisa. Manifestum pariter est Danieli futuram successionem regnorum non fuisse naturaliter cognitam. Imo fieri potest ut res sit omnino proxima et verisimilis, sed cum talibus depingatur circumstantiis, ut impossibile sit eam naturaliter præscire. Sic, quum rex Syriæ Samariam obsessam teneret, et civitas fame premeretur, Elisæus prædixit obsessionem ab urbe removendam. Si hoc tantum dixisset, potuisset quis hanc prædictionem mere naturalem habere; sed addit Propheta : *in tempore hoc cras modius similæ uno statere erit, et duo modii hordei statere, in porta Samariæ.* Dubitante uno ex ducibus, subjicit : *videbis oculis tuis et inde non comedes* (2). Quæ prophetia adamussim impleta fuit. Quis autem asserere auderet hæc naturaliter cum minutis et inexpectatis illis circumstantiis præsciri potuisse? Adimpletio igitur prophetiæ certissime demonstrabat Judæis an quis esset verus Propheta.

13. Sed, inquies, finis prophetiarum Christus est, quem omnes Prophetæ, diu antequam adveniret, annuntiarunt. Qui autem Prophetis coævi fuerunt harum prophetiarum adimple-

(1) Adspersa temere pigmenta in tabula oris lineamenta effingere possunt. Num etiam Veneris Coæ pulchritudinem effingi posse adspersione fortuita putas? Sus rostro si humi litteram A impresserit, num propterea suspicari poteris Andromacham Ennii ab eo posse describi? » Cicero, *De Divinat.* I, 14.

(2) *IV Reg.* VI-VIII.

tionem cernere nequiverunt; ipsi ergo videntur præcipuo veræ prophetiæ signo, quod est ejus adimpletio, caruisse. Difficultatem præscidit ipse Deus. Etenim, dum Prophetis revelabat quæ Messiam venturum spectabant, simul alia statim eventura manifestabat. Harum igitur prædictionum adimpletio certam reddebat adimpletionem futuram vaticiniorum Messiam spectantium.

14. *An Prophetæ Hebræorum assimilandi sint vatibus gentium?* Rationalistæ, ut quod supernaturale inest Prophetis Hebræis auferant, eos assimilant vatibus, auguribus, divinatoribus, pythonissis et oraculis ethnicorum. Quanta injuria vix demonstrandum est. Tanta e contra inter hos et illos observabatur discrepantia, ut ea ipsos ethnicos non fugeret. *Non est augurium in Jacob,* inquiebat Balaam (1), *nec divinatio in Israel.* Differebant Prophetæ Hebræorum a vatibus ethnicorum non solum vivendi ratione, sed et doctrina. Hi falsos deos, illi verum colebant; hi idololatriam, illi verum Jehovæ cultum suadebant. Veri Prophetæ publice et sine ambagibus coram regibus et populo vaticinabantur, vaticinia sua litteris mandabant etiam quandoque assumptis testibus et indicatis anno et die, ut, postquam eventus prædicti evenissent, nemo vaticinium negare posset (2). Falsi Prophetæ non ausi sunt ullum vaticinium scriptis exarare. Sybillæ autem et Pythonissæ in antris et locis obscuris ænigmatice aut ambigue oracula edebant (3). Hebræi Vates sui compotes erant, ethnici non sic. « Hoc enim, inquit Chrysostomus (4), divinatori proprium est, ut mente excedat, vim patiatur, pellatur, trahatur quasi furens. Propheta vero non sic, sed cum vigili mente, cum temperanti constitutione, illa sciens quæ dicit, omnia loquitur... Penes Prophetas erat loqui : neque enim necessitate tenebantur, sed potestatis honore

(1) *Num.* XXIII, 23.

(2) Cfr. *Isa.* VIII, 2; XXX, 8; *Ezech.*I, 1; VIII. 1.

(3) Cicero (*De Divinat.* l. II) oraculum Delphicum compellat hisce verbis : « Tuis oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione sæpissime, partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete, et sors ipsa ad sortes referenda sit, partim ambiguis et quæ ad dialecticam deferenda sint. Citat deinde ambiguum illud de Pyrrho oraculum : Aio te, Æacida, Romanos vincere posse. »

(4) S. Chrysost. *Homil.* 29 in *I Cor.* ap. Migne *Patrol. gr.* t. LXI, 241.

donati erant. Ideo Jonas fugit, ideo Ezechiel distulit, ideo Jeremias recusabat. Deus vero non cum necessitate impellit ipsos, sed consiliis, hortationibus et comminationibus utitur, mentem tenebris non obfundens. Dæmonis enim proprium est et tumultum et furorem et multam immittere caliginem. Dei vero est illuminare, et quæ opus est cum intelligentia docere (1). »

15. *Prophetarum ministerium.* Quia prophetia evidens constituit veræ religionis signum, voluit Deus ut, inde ab initio per totum temporis decursum, præsto adessent vaticinia. Messias mittendus Adamo promittitur ; promissio Abrahamo et Isaaco renovatur. A Jacobo Messias ex tribu Judæ oriundus prædicitur, a Moyse fore legislator prænuntiatur. Omnes Prophetæ a Samuele et deinceps dies Messiæ annuntiaverunt (2). Sed usque ad Samuelis tempora Prophetæ rarius suscitabantur. A Samuele vero ad finem captivitatis Babylonicæ frequentiores fuerunt. In libris Regum legimus cuneum Prophetarum occurrisse Sauli, qui et ipse inter eos prophetavit. Prophetæ Nathan et Gad Davidem suis consiliis dirigunt eumque ad pœnitentiam adducunt. Ahias Silonites Jeroboamo prædicit scissionem regni Salomonis et ejus idololatriam carpit; Semeias jussu Dei Roboam a bello retrahit, eodem fere tempore alius Vates futurum Josiæ regnum annuntiat (3). Elias et Elisæus contra idololatriam regum Israel et Juda invehuntur, miracula patrant, futura annuntiant. Ad eos confluunt plures discipuli qui in Scriptura vocantur filii Prophetarum (4). Isti peculiare vitæ genus habuisse videntur et efformavisse sic dictas Prophetarum scholas, quæ in quanam re proprie constarent in Scripturis non definitur.

16. Antiquiores isti Prophetæ, dum res futuras aperiebant, simul moribus corrigendis allaborabant et dictis suis auctoritatem miracula patrando præbebant. Interim curæ etiam ipsis erat ut litteris mandarent gesta regum Juda et Israel ; quod

(1) De differentia inter Prophetas et oracula ethnicorum vid. Janssens, *Hermen. sacr.* t. I, c. II. § 12-13. Leodii 1818; Glaire, *Introduct.* t. III, sect. III, c. 1. Append. *des oracles.*

(2) *Act.* III, 24.

(3) *I Reg.* X, 5-13; *II Reg.* VII; XII; XXIV; *III Reg.* I; X, 29-39; XII, 2-24; XIII, 1-9; XIV, 5-16.

(4) *IV Reg.* II, 3, 5, 7; VI, 2.

fecisse Nathan, Gad et Ahiam Silonitem ex Paralipomenis discimus (1). Hi autem de suis vaticiniis nihil scripto posteris reservarunt. Inde autem a sæc. VIII ante Chr. usque ad finem exilii Babylonici, septemdecim exstiterunt Prophetæ qui sua vaticinia scriptis exararunt.

17. Prophetæ munus non erat hæreditarium ac permanens, ut sacerdotium ac regalis dignitas, sed extraordinarium ac temporaneum. Sic jussu Dei Elias in Prophetam unxit Elisæum cum araret in agro. Amos electus fuit ex pastoribus Thecue; Jeremias ex ordine sacerdotali inde a nativitate in vatem sanctificatus fuit (2). Prophetæ peculiarem a Deo accipiebant missionem ad certum ac determinatum finem. Hinc videmus Nathanem pluries ad Davidem, Eliam et Elisæum ad Achab, Jehu, aliosque reges, Ezechielem ad captivos in Babylonia, Jonan ad Ninivitas, missos.

18. Præcipuum quidem sacrorum Vatum officium erat res futuras, specialiter adventum Messiæ, annuntiandi. Attamen aliud simul munus in republica Hebræorum gerebant. Divinæ voluntatis interpretes et nuntii mittebantur ad reges et populos ut corruptos corriperent mores et Legem Moysi omnibus servandam juberent. Hinc maxime invehebantur in idololatriam, ad quam Israelitæ propensiores erant, severissimasque pœnas in transgressores minitabantur. Interim ut populum in spem erigerent et vero Dei cultui addictum servarent Messiam venturum promittebant. Quia vero regibus et populo peccantibus infausta identidem prædicebant, hinc Prophetæ dure tractati non semel fuerunt.

19. *Scripta Prophetarum.* Prophetæ ordinarie sua vaticinia viva voce, instar præconum, populo nuntiabant (3). Deinde concionem ipsam aut ejus summam litteris mandabant. Nequaquam autem habemus omnia omnium Prophetarum vaticinia. Nihil Elias, nihil Elisæus eorumque discipuli, scripserunt. Prophetæ quorum vaticinia servata sunt, hi numerantur : quatuor *majores* : Isaias, Jeremias cui adjungitur Baruch, Ezechiel et

(1) *I Paral.* IX, 29.

(2) *III Reg.* XIX, 19; *Amos.* I, 1; *Jerem.* I, 1.

(3) *Isa.* VII, 3; XXXVII, 6; XXXIX, 5; *Jerem.* II, 2; VII, 2; XI, 3; etc. Quæ tamen habentur *Is.* XL-LXVI et *Ezech.* XL-XLVIII statim scripta, non ore prius prolata, videntur.

Daniel; et duodecim *minores* : Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias et Malachias. *Minores* autem ideo vocantur quod eorum scripta breviora sunt, non quod minor sit eorum auctoritas (1). Septemdecim hi Prophetæ floruerunt trecentorum annorum spatio, quod ab Osea, rege Juda, usque ad reædificationem templi et urbis Jerosolymæ effluxit.

20. Vaticinia Prophetarum, præsertim Jeremiæ et Ezechielis, non sunt disposita juxta seriem temporum. Hoc provenire potest, vel ex eo quod eorum auctores in scribendo unice intenderent utilitatem legentium, vel quod oracula distinctis schedis scripserint, quas unus aliquis, nulla temporis ratione habita, in unum congesserit. Ista autem vaticinia hebraice, stylo figurato, scripta sunt, maximam partem versibus; quædam tamen oracula prosa oratione.

21. *Prophetiarum interpretatio difficilis.* Vaticinia Prophetarum sæpius obscura sunt et plurimas involvunt difficultates, in quibus enodandis interpretes multum desudant. Idcirco S. Petrus (2) sermonem propheticum assimilat *lucernæ lucenti in caliginoso loco donec dies elucescat.* Quod vaticinia sint difficilioris interpretationis hoc ex duplici causa repetendum est : ex ipsa scilicet prophetiæ natura et ex Prophetarum eloquio.

22. Quia Prophetæ in præscientia divina, seu in tabula egregie depicta (3) res futuras videbant, et eventus, non vero

(1) Apud Græcos Prophetæ Minores præcedunt Majores; contrarius est ordo apud Latinos et Hebræos. Hebræi autem Danielem inter Hagiographa reponunt et Baruch non recipiunt.

(2) *II Petr.* I, 19.

(3) « Les visions prophétiques ont la plus grande analogie avec les tableaux en perspective. Car de même que dans ces sortes de tableaux les objets ne sont pas tous aussi clairement représentés; que les plus proches sont dépeints sous des couleurs plus vives et plus distinctes, tandis que les plus éloignés ne le sont que d'une manière obscure et se perdent dans le lointain; de même aussi dans les perspectives prophétiques, les événements prochains sunt ordinairement décrits plus clairement et plus distinctement, tandis que les autres, représentés plus obscurément, se perdent, pour ainsi dire, dans la nuit des temps. Et comme dans les perspectives des peintres, les objets proches et éloignés se touchent réellement sur la toile et ne paraissent séparés que par une nuée obscure que l'art du peintre a su ménager, dans celle des prophètes, où il n'y a point de nuée artificielle qui puisse nous faire discerner la distance des objets,

spatium temporis quo separabantur, cernebant, hinc in eodem vaticinio descriptæ et conjunctæ inveniuntur res, quæ temporibus plurimum dissitis evenire debebant. Hinc Prophetæ sæpe de una re statim saliunt ad aliam moxque ad primam redeunt. Hoc tamen non importune et absque motivo faciunt. Probe enim tenendum est Legem veterem fuisse typum Legis novæ et ea quæ in populo Judæo gerebantur figurasse Messiam ejusque Ecclesiam. Jam autem Prophetæ continuo in suis vaticiniis Christum et Ecclesiam intendebant. Ubi igitur res mox futuras prædicebant, quæ typus erant Christi, facile a typo ad antitypum, a figura ad figuratum transibant, eo magis quod hæc omnia simul in lumine prophetico quasi in tabula cernerent. Sic, dum loquuntur de solutione captivitatis Babylonicæ per Cyrum, nulla transitione saliunt ad liberationem hominum a captivitate dæmonis per Christum. Ex ista igitur Prophetiæ natura exurgit quædam obscuritas, quam interpres depellere nequit nisi ad duo quæ notavimus sedulo attendat.

23. Observandum etiam est vaticinia, antequam adimpleantur, sæpius esse obscura, lucem autem et claritatem accipere ab adimpletione eventus prædicti (1). Hoc autem præcipue locum habuit pro vaticiniis de Messia. His enim vaticiniis plura de Christo prædicebantur specie contraria, ut quod esset mira quæque patraturus, regnum æternum possessurus, gentes omnes subacturus, ab omnibus ut Deus adorandus, et simul quod foret pauper, humilis, despectus, novissimus virorum, sciens infirmitatem, vir dolorum, subsannationes, derisiones, tormenta passurus, morte turpissima condemnandus. Hæc et alia hujusmodi, antequam Christus adveniret, contraria videbantur et Judæi non intelligebant quomodo in Messia adimplenda forent. Postquam autem Christus advenit, crucem subiit et resurrexit, clara omnia facta sunt.

les événements prochains et éloignés sont à nos yeux comme s'ils se touchaient. » Glaire, *Introduct. partic. aux Prophètes* in *Introd.* t. III, p. 311.

(1) « De ce qu'une prophétie n'est point claire avant qu'elle ait reçu son accomplissement, on n'a aucun droit légitime d'en conclure qu'elle ne saurait le devenir après. Car une prédiction de cette nature ressemble au signalement d'un homme : ceux qui ont ce signalement entre les mains ne peuvent connaître cet homme avant de l'avoir vu ; mais dès que cet homme paraît, le signalement le fait connaître, et l'homme à son tour fait connaître le signalement. » Glaire *Ibid.* p. 312.

24. Alter caliginis fons est ipsum Prophetarum eloquium. Amant enim frequentes metaphoras, allegorias, parabolas, symbola et ænigmata. Hæc autem desumpta sunt ex rerum natura, ex usu et consuetudinibus Israelitarum et populorum vicinorum, quæ sæpius nos latent. Unde plurimæ interpreti exoriuntur difficultates. Quantum Isaias metaphoricum sermonem excoluerit patet, ubi, v. g. continuo de Synagoga loquitur sub allegoria vineæ, aut ubi volens prædicere conversionem barbararum nationum quæ, deposita pristina sævitia, conspiraturæ erant in unitatem fidei cum miti populo Christi, ait (cap. XI, 6): *Habitabit lupus cum agno : et pardus cum hædo accubabit : vitulus et leo et ovis simul morabuntur.* Inter metaphoras quibus Prophetæ sæpius utuntur ad eam attendere oportet qua idololatriam vocant « fornicationem » vel « adulterium ; » quia scilicet, per eam anima vel urbs, relicto Deo sponso suo, adhæret idolo, quasi adultero. Pari modo Synagoga a Deo aversa sub figura meretricis repræsentatur. Daniel autem, Ezechiel et Zacharias visionibus et symbolis abundant (1).

CAPUT XIX.

DE PROPHETIIS ISAIÆ (2).

1. *Argumentum.* Isaias (יְשַׁעְיָהוּ *salus Jehovæ*) natus est patre Amoso, qui diversus est a Propheta Amos, uti ex ipsa utriusque nominis scriptura hebraica liquet. Iste Amos, Isaiæ pater, regis Joas filius fuisse fertur, juxta traditionem hebraicam. Vaticinatus est Isaias sub regibus Ozia, Joathan, Achaz et Ezechia, ut constat ex *Is.* I, 1 : *Visio Isaiæ, filii Amos, quam vidit super Judam et Jerusalem in diebus Oziæ, Joathan, Achaz et Ezechiæ regum Juda.* Quod et multis vaticiniorum ejus

(1) Quomodo præcipuæ vaticiniorum difficultates sint solvendæ indicat Cornelius a Lapide, *Canones Prophetis facem præferentes* ante *Commentar. in Isaiam.*

(2) Cfr. Cornelius a Lapide, *In Isaiam.* Ed. Vivès 1863; Reinke, *Die messian. Weissagung.* t. II, p. 483-536. Geissen. 1860 ; Danko, *Historia revel. bibl.* p. 386-409; Glaire, *Introd.* etc.

locis confirmatur. Isaias matrimonio junctus fuit duosque ex uxore sua filios habuit (1). Anno, quo mortuus est rex Ozias (754 a. Chr.), Isaias in cœlesti visione contemplatus est Deum in sublimi throno sedentem, Seraphimque trisagium decantantes. Unus autem ex Seraphim ad ipsum advolans carbone ardenti ex altari desumpto labia Prophetæ purificavit ipsumque id expetentem ad munus propheticum deputavit. Mortuo Ozia vaticinatus est Isaias sub ejus successoribus Joathamo et Achazo quanto tempore duravit horum regum imperium, id est, annis triginta uno. Continuavit sub Ezechia ipsique adstitit quando, anno regni decimo quarto, a morbo liberatus fuit. Vixisse creditur usque ad tempora Manassis, cujus regis jussu, juxta traditionem Hebræorum, serra lignea dissectus fuit.

2. Isaiæ vaticinia in duas partes distingui possunt. In prima parte Isaias Judæorum scelera arguit eisque minatur cladem, tum Assyriacam per Sennacherib, tum Babylonicam per Nabuchodonosor, tum Romanam per Titum ac denique eorum excæcationem et reprobationem tempore Christi, cujus nativitatem ex virgine gloriosumque sepulcrum prædicit (I-XII). Deinde vaticinatur contra Assyrios, Philistæos, Syros, Damascenos, Æthiopes, Idumæos, Arabes et contra ipsam Jerosolymam, simulque alia ad novissima tempora spectantia prædicit (XIII-XXVIII). Adjicitur annuntiatio excidii Judæorum per Babylonios; infaustæ tamen huic annuntiationi solatia miscet (XXIX-XXXV). Tum narrantur quædam historica simul et prophetica quæ sub Ezechia contigerunt (XXXVI-XXXIX). In secunda parte (cap. XL-LXVI), Isaias prædicit populi Israelitici liberationem ab exilio per Cyrum quem proprio nomine designat. Judæorum autem a captivitate liberatio typus est liberationis spiritualis atque redemptionis per Christum efficiendæ; idcirco Propheta ab hac liberatione statim transit ad ipsum Christum, cujus infantiam, vitam privatam publicamque, virtutes, cruciatus, mortemque pro redemptione nostra ac triumphum ita vividis depingit coloribus, ut non putes eum de futuris vaticinari, sed potius de præteritis historias texere, vereque dixerit Hieronymus Isaiam potius Evangelistam agere quam Prophetam.

(1) *Is.* VII, 3; VIII, 3.

3. *De authentia et integritate vaticiniorum Isaiæ.* Quum in vaticiniis Isaiæ, præsertim in posteriore parte, res prædicentur quæ ab humano ingenio quamtumvis acuto præsentiri, tempore Isaiæ, non poterant, quumque Rationalistæ prophetiam proprie dictam non agnoscant; idcirco multi eorum rejiciunt omnia vaticinia quæ inde a cap. XL-LXVI leguntur, eaque ignoto vel ignotis auctoribus sub finem exilii viventibus tribuunt. Quædam insuper fragmenta prioris partis ut spuria habent. Hanc opinionem primus invexit Koppe (1779-81). Secuti sunt Döderlein, Eichorn, Justi, Paulus, Bauer, Bertholdt, De Wette, Augusti, Rosenmüller, Gesenius, Hitzig, Maurer, Ewald, Umbreit, Knobel, Bleek, aliique Rationalistæ (1). Eos confutarunt ex Protestantibus Piper, Beckhaus, Moeller, Keuper, Kleinert, Hengstenberg, Haevernick, Keil, Delitzsch; ex Catholicis Jahn, Haneberg, Herbst, Welte, Scholz, Glaire, Reinke, Reusch, Danko, alii (2).

4. Authentia porro atque integritas vaticiniorum Isaiæ probatur argumentis externis et internis. Et primo quidem ipsa inscriptio initio libri apposita : *visio Isaiæ, filii Amos, quam vidit super Judam et Jerusalem in diebus Oziæ, Joatham, Achaz, et Ezechiæ regum Juda,* Isaiæ auctori tribuit omnia vaticinia in libro contenta. Ista autem inscriptio authentica habenda est; nam reperitur et in textu hebræo et in omnibus antiquis versionibus. Restringenda vero non est ad aliquam libri partem, alioquin non diceretur quod facta fuit sub pluribus regibus. Quod si capita XL-LXVI recentiori manu adjecta fuissent, adfuisset aliquis peculiaris titulus hoc indicans; Judæi vero nequaquam passi fuissent ut veris Isaiæ prophetiis aliæ absque ullo alterius originis indicio conjungerentur.

5. Secundo constans tum Judæorum tum Christianorum traditio, quæ in hujusmodi rebus summæ auctoritatis est, Isaiæ

(1) Ap. Reinke, *lib. cit.* p. 484-485; Danko, *loc. cit.* p. 399-400.

(2) Vid. Piper, *Integritas Isaiæ a recentiorum conatibus vindicata.* Gryphisw. 1793; Beckhaus, *De integritate prophet. V. T.* Halis 1796; Moeller, *De authentia oraculorum Isaiæ,* Havniæ 1825; Hengstenberg, *Christolog.* II, 18; Kleinert, *Ueber die Echtheit Sämmtl. in B. Jesaiæ enthalten Weissag.;* Delitzch, *Comment.* Hävernick, *Symbolæ ad defendend. authentiam vaticin. Isaiæ,* Regiomonti, 1842; Jahn, Haneberg, Herbst, Welte, Scholz, Glaire, Reusch, in suis *Introductt,;* Reinke et Danko, *libb. citt.*

pariter omnia vaticinia vindicat. Auctor secundi libri *Paralip.* XXXII, 32 provocat ad vaticinia Isaiæ. *Reliqua autem sermonum Ezechiæ... scripta sunt in visione Isaiæ Prophetæ.* Ecclesiasticus XLVIII, 25-28 ait : *Isaias propheta magnus, et fidelis in conspectu Dei... Spiritu magno vidit ultima τα εσχατα*, res Messianas, *et consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum ostendit futura et abscondita antequam evenirent.* Quæ verba utique non priorem tantum sed et posteriorem vaticiniorum Isaiæ partem clare designant. Eodem fere tempore Isaiæ vaticinia sub ejus nomine in linguam græcam transferebantur. Imo diu antea, tempore scilicet captivitatis, ut refert Josephus (1), liber Isaiæ Cyro regi ostensus fuit et quidem ille locus in quo Cyrus proprio nomine compellatur futurusque multarum nationum rex et populum Dei a captivitate liberaturus prædicitur. Hoc autem vaticinium reperitur in *Is.* XLV, adeoque in ea parte quam maxime impugnant adversarii. Ad hoc vaticinium alludit ipse Cyrus in edicto solutionis captivitatis Babylonicæ, quod refertur *I Esdr.* I, 2 et in quo Cyrus dicit : *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli et ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem.* Nullum autem noscitur oraculum, quo tale præceptum Cyro imponatur, nisi illud quod *Is.* XLIV-XLV legitur.

6. Præterea alii Prophetæ non semel provocant ad ea etiam Isaiæ vaticinia quæ in posteriore parte habentur. Sic Zacharias VII, 4-7 reprehendens Judæorum jejunia asserit idem a Prophetis factum antequam Jerosolyma subverteretur, quod nullibi nisi in *Is.* LVIII, 5 legimus. Jahn et Reinke multa ex Jeremia, ex Nahum et ex Michæa, testimonia indicant, ex quibus colligi potest Isaiæ vaticinia quæ impugnantur jam extitisse (2).

7. In novo autem Testamento vaticinia Isaiæ ita frequenter sub ipso Isaiæ nomine allegantur ut fastidiosum sit loca indicare. Ipse Christus divina sua auctoritate lites futuras diremit apud Luc. IV, 16-21. Cum enim, inquit Evangelista, Jesus, juxta consuetudinem suam in synagogam intrasset, traditus est ei liber Isaiæ Prophetæ, quem cum revolvisset, legit aliquos versiculos quæ habentur in cap. LXI, et dixit : *Impleta est hodie*

(1) *Antiquit.* XI, 1. Cfr. etiam *Antiquit.* X, 2.
(2) Vid. Reinke, l. c. p. 488-489.

hæc scriptura in auribus vestris. Quia igitur tot et tanta suppeditantur ex traditione argumenta mirum non est neminem ante Rationalistas ausum fuisse vaticinia Isaiæ alteri auctori tribuere.

8. Externa hæc argumenta internis fulciuntur. Conveniunt Rationalistæ Isaim stylo compto, eleganti, sublimi, præ ceteris eminere, ac rariores apud ipsum reperiri voces chaldaicas. Hæ autem dotes nullibi magis observantur quam in iis vaticiniis quæ ipsi denegantur. Quid præclarius vaticiniis illis adversus Babylonem, quæ capp. XIII-XIV referuntur? quæ tamen capita Isaiæ denegant Maurer, Ewald, De Wette, Knobel et Umbreit. Hinc ipse Gesenius assentiri cogitur judicio Lowth qui isto Isaiæ carmine nihil sublimius in universa Hebræorum poesi inveniri affirmat. Confitentur etiam Rationalistæ clarum, purum, imo et fluidiorem esse stylum ultimæ partis inde a cap. XL. Jam autem sermo ita purus, facilis, elegans, alia tempora minus turbulenta quam illa captivitatis Babylonicæ expetit. Erronee igitur Rationalistæ hanc partem auctori ignoto circa tempora captivitatis viventi tribuunt. Præterea in ipsis illis capitibus, quæ adversarii rejiciunt, inveniuntur locutiones Isaiæ omnino propriæ, quæ apud reliquos V. T. scriptores fere nusquam reperiuntur. Ut cetera taceamus, sufficiat duas illas locutiones adducere, quibus Isaias frequentissime utitur tum in oraculis ipsi ab omnibus concessis tum in aliis ipsi denegatis. Prima est locutio illa qua Deus ab Isaia vocatur *Sanctus Israel* קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל quæ in triginta novem prioribus capitibus decies septies invenitur et duodecies in viginti septem posterioribus. In ceteris autem V.T. libris nonnisi quinquies occurrit, scilicet in *Psal.* LXXI, 22; LXXVII, 41; LXXXVIII, 19 et apud Jeremiam capp. L, 29 et LI, 5, qui forte ab Isaia has voces mutuatus est. Et ita quidem Isaiæ propria est ista locutio, ut occurrat in ejus sermone in *IV Reg.* XIX, 22 relato. Auctor autem librorum Regum nuspiam alibi hac locutione utitur. Altera locutio Isaiæ propria, ea est qua pro : *et erit,* ipse scribit : *et vocabitur*. Hæc locutio vix occurrit apud alium Prophetam.

9. Adversariorum conamina etiam ex alia consideratione retunduntur. Talia enim in postrema parte oraculorum Isaiæ dicuntur quæ ab auctore captivitati coævo dici nequiverunt. Auctor quippe Cyrum nomine proprio compellans ex hac

compellatione probat Deum omnia etiam futura cognoscere (*Is.* XLIV-XLVI); quod prorsus insipienter fecisset auctor, si tempore captivitatis scripsisset. Præterea in capitibus impugnatis auctor totus fere est in exprobranda idololatria et in arguendo populo quod deos extraneos coleret. Hæc porro temporibus Isaiæ apprime congruunt, nequaquam vero captivitati Babylonicæ, in qua Judæos idola coluisse nullibi legimus. Pariter auctor in exilio positus scribere nequivit quod scripsit Isaias cap. XLVIII, 4-8, ruinam scilicet Babylonis nondum fuisse prædictam, siquidem Jeremias cap. L-LI illam diserte prædixerat. Auctor porro vult ut verus Propheta haberi, illudque suis vaticiniis probare studet; quis autem non rideret talem affirmationem in auctore rerum narratarum coævo? Denique nulla in stylo observatur metaphora aut imago quæ vel ex aspectu regionis Babylonicæ, vel ex incolarum moribus et vita quotidiana desumpta sit.

10. Adversarii nullum argumentum externum in contrariam partem adducunt, interna autem quæ afferunt, admissa prophetiæ possibilitate, fere omnia evanescunt. Juvat tamen breviter hic præcipua a Gesenio, De Wette, Knobel et aliis, allata diluere.

11. *Obj.* 1° Viginti septem posteriora capita authentica non sunt, quia stylo differunt a reliquis Isaiæ vaticiniis, ut constat ex plurimis locutionibus, quales sunt » עֶבֶד *servus Jehovæ*, sensu peculiari de Israele, vel de Prophetis, צֶדֶק *justitia* de salute, etc. 2° Auctor ita describit res policitas suæ gentis ut manifestum sit ipsum in captivitate vixisse. Ponit enim urbem vastatam, templum eversum, populum captivum, sacrificia intermissa videtque liberationem a captivitate mox futuram. 3° Si ante captivitatem illæ Isaiæ prophetiæ exstitissent, Judæi non ita vexavissent Jeremiam quod captivitatem prædiceret, nec Jeremias Isaiæ oracula in sui defensionem allegare omisisset.

12. *Resp. ad* 1^m. Quod Isaias peculiari sensu nonnullas voces usurpaverit, hoc nihil probat. Ceterum voces : *servus Domini*, alio sensu quam qui Rationalistis placet, de Messia nempe, seu Filio Dei, adhibentur. Etenim quæ ab Isaia cap. LII-LIII de *Servo Dei* dicta sunt ea ad Messiam referri evincitur ex pluribus

locis N. T., ex testimoniis Patrum et antiquiorum Judæorum, atque ex doctissimis Scripturæ interpretibus. Et revera soli Messiæ convenire quæ de Servo Dei, voluntarie patiente etsi innocente omnimoda opprobria mortemque ipsam ad delenda aliorum peccata, et per mortem et sepulcrum vitam longam acquirente, ita ut a populis extraneis adoretur, invicte probavit Reinke (1).

13. *Resp. ad* 2m. Propheta luce divina illustratus futura tanquam præsentia videbat; idcirco ea, antequam fierent, clare et nitide quasi gesta forent depinxit. Quid inde exurgit adversus Isaiam? Negandum Rationalistis foret aut Isaiam fuisse Prophetam aut prophetiam esse possibilem. Quid enim? Ex traditione certum est Isaiam omnia illa vaticinia conscripsisse, ipse igitur ea conscripsit, nisi contrarium probetur; contrarium porro minime probant Rationalistæ; nam quemadmodum Isaias, luce divina futura prospiciens, potuerat cap. XXXIX, 6-8, prædicere captivitatem Babylonicam et cap. XIII-XV ruinam Babylonis, eodem modo potuit, stante adhuc urbe, regressum a captivitate depingere et res Judæorum ita describere qualiter se habuerunt quando, templo incenso, civitate diruta, sacrificiis abolitis, populus ad reædificandam Jerusalem ex permissu Cyri rediit in Judæam. Non me latet nonnullos Rationalistas cum De Wette, contradicentibus aliis, capita Isaiæ XIII-XV ut spuria habere, sed absque fundamento et contra ipsam litteram textus in quo hoc vaticinium Isaiæ adscribitur hisce verbis : *Onus Babylonis, quod vidit Isaias, filius Amos.*

14. *Resp. ad* 3m. Jeremias male habitus fuit a Judæis, quia eos vehementer increpabat captivitatemque imminentem prædicabat. Jeremias, juxta adversariorum assertum, male habitus fuit a Judæis, quia *primus* ipse eos captivos futuros annuntiaverit. Sed in ipso Jeremiæ libro asseritur Judæos jam alia habuisse de futura captivitate vaticinia. Jeremias nominatim citat Michæam Prophetam (2). Quod si Jeremias nuspiam Isaiam proprio nomine citat, ex ejus silentio adversariorum sententia firmari nequit; is quippe mos est Jeremiæ et aliorum Prophe-

(1) Reinke, *Exegesis critica in Is.* cap. LII, 13—LIII. 12. Monast. 1838.
(2) *Jerem.* XXVI, 18. sqq.

tarum, ut, omissis nominibus, aliorum vaticinia vel verbotenus recitent vel quoad sensum rursus enuntient (1).

15. *Divina libri auctoritas.* Vaticinia Isaiæ divinæ esse auctoritatis ex pluribus colligitur. Etenim Isaias se a Deo missum atque illuminatum affirmat, nomine Dei continuo loquitur et futura se annuntiare dicit; ipsius testimonio fides est adhibenda, quia testimonium illud miraculis firmavit. Ezechiam quippe regem non tantum a morbo liberavit, sed, ut rex certior fieret se adhuc quindecim annos in vita permansurum, fecit umbram reverti decem lineis, per gradus quos ascenderat in horologio Achaz ; quod miraculum divinæ Litteræ pluribus in locis confirmant (2). Merito igitur Judæi, merito Ecclesia librum Isaiæ inter protocanonicos reposuerunt.

CAPUT XX.

DE PROPHETIIS JEREMIÆ (3).

1. Jeremias hebraice (יִרְמְיָה vel יִרְמְיָהוּ), filius Helciæ sacerdotis, qui habitabat in Anathoth prope Jerusalem, in utero matris a Deo sanctificatus fuit, atque ad prophetandum inter gentes destinatus (4). Vaticinari cœpit adhuc adolescens anno decimo tertio regni regis Josiæ (629 a Chr.) perrexitque munus propheticum obire sub Josiæ successoribus, Joachazo, Joakimo, Jechonia et Sedecia, usque ad captivitatem Babylonicam. Cum autem non desineret Jeremias populum increpare, dira ipsi minitari ob crimen præsertim idololatriæ, atque adstantem prædicare captivitatem ruinamque populi, idcirco plurima mala a regibus et populi principibus passus est, pluries in vincula atque

(1) Alias difficultates solutas vide apud Reinke, Welte et Glaire.

(2) Vid. *Is.* XXXVIII; *IV Reg.* XX, 9-11 ; *II Paral.* XXXII, 24; *Eccli.* XLVIII, 26.

(3) Cfr. *Commentaria* Ghisleri, Cornelii a Lapide, Calmet et *Introductiones* Herbst, Welte, Scholz, Glaire, etc.

(4) *Jerem.* I, 1-10.

in cisternam lutosam conjectus fuit (1). Hierosolyma capta, dux Nabuchodonosoris Jeremiam a vinculis liberavit eique potestatem fecit se recipere quo vellet. Hac licentia utens Propheta in Judæa remansit cum ruricolis spoliationem urbis et terræ flebili carmine lugens. Denique in Ægyptum transire coactus ibi per aliquot annos prophetavit suos de criminibus admissis arguens et Ægyptiis futura mala denuntians. Fertur ipsum, postquam quinquaginta circiter annos vaticinatus esset, quia suis idololatriæ crimen vehementer exprobraret, lapidibus obrutum interiisse. S. Ignatius et S. Hieronymus (2) tradunt Jeremiam virginem permansisse, quæ sententia ex *Jer.* XVI, 2 deducitur. Jeremias non solum Propheta fuit, sed ob probra, verbera, carcerem, omnisque generis vexationes, quas continuo passus est, Christum crucifixum typice repræsentavit.

2. *Argumentum.* Vaticinia Jeremiæ auctores commode distinguunt in duas partes, quarum prima Judæos spectat, secunda extraneos populos. Prima pars (capp. I-XLV) complectitur adhortationes, narrationes historicas et vaticinia a Propheta ad Judæos directa, quæ omnia turbato temporum ordine referuntur. In hac autem parte totus est Propheta in increpanda Judæorum ingratitudine, impietate et idololatria ob quæ crimina prædicit Judæorum populum et principes a Deo, non obstante illius cum ipsis fœdere, mox derelinquendos, templumque ac urbem et regnum per Babylonios evertenda, Judæos denique in Babyloniam deportandos. Ut tamen tristia hæc leniat Propheta prædicit exilium nonnisi septuaginta annos duraturum (XXV, 11), quo temporis spatio exacto, populus in Judæam est rediturus. His autem prophetiis nonnulla miscet oracula de venturo Messia, cujus ætate Deus cum populo suo novum fœdus inibit. Quædam oracula speciatim respiciunt Joakimum, quem Jeremias prædicit sepultura cariturum, Jechoniam, quem Chaldæis tradendum annuntiat (XXII), et Sedeciam, quo regnante, Jerosolyma capta fuit et populus in exilium abductus. Hisce autem vaticiniis nonnulla facta historica ad Jeremiam et Judæos spectantia immixta sunt.

3. In secunda parte (capp. XLVI-LII) referuntur vaticinia

(1) *Jerem.* XXVI-XXIX; XXXVIII.
(2) S. Ignatius, *Epist. ad. Philad.;* S. Hieronymus, *Prol. in Jerem.*

Jeremiæ adversus exteras nationes, nimirum adversus Ægyptios, Philisthæos, Tyrios et Sidonios, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Ælamitas atque Chaldæos et Babylonem, cujus ruinam non tam prædicit quam potius exactissime describit.

4. *Vaticiniorum dispositio.* Vaticinia non sunt disposita juxta ordinem temporum, sed turbata hic illic serie chronologica. Quænam autem sit illius perturbationis causa non constat inter auctores. Quædam oracula absque annotatione temporis, quo edita fuerunt, referuntur; multa tamen vaticinia annum annotatum habent. Sic quæ referuntur capp. XXV-XXVII, XXXV-XXXVI, ad tempora Joakim, quæ cap. XXXVII-XXXVIII, ad tempora Sedeciæ pertinent. Quæ autem capp. XXXIX-XLIV habentur post eversam urbem edita sunt.

5. *Authentia.* Jeremiam auctorem esse omnium vaticiniorum in ejus libro contentorum singulis fere libri capitibus demonstratur, cap. I, 1 : *Verba Jeremiæ, filii Helciæ, de sacerdotibus qui fuerunt in Anathoth.* Et ad finem cap. LI dicitur : *Hucusque verba Jeremiæ* (1). Unde satis apparet caput LII, quod ultimum est et in quo historice ruina templi depingitur, alterius esse auctoris (2). Nequaquam tamen propria manu Jeremias sua vaticinia exarabat; sed ea dictabat Barucho suo amanuensi, qui et ipse prophetavit. Jam plus quam viginti annos prophetaverat antequam ullum vaticinium scripto traderet; anno autem quarto Joakim præcepit ipsi Dominus : *Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia verba quæ locutus sum tibi adversum Israel et Judam, et adversum omnes gentes : a die qua locutus sum ad te ex diebus Josiæ usque in diem hanc.... Vocavit ergo Jeremias Baruch filium Neriæ, et scripsit Baruch ex ore Jeremiæ omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum in volumine libri* (3). Cum autem Baruch, jussu Jeremiæ, legisset volumen in templo in die jejunii volumenque ad regem delatum fuisset, rex illud combussit. Tunc præcepit Dominus Jeremiæ ut eadem

(1) His testimoniis adde *Jer.* II, 1; VII, 1; XI, 1; XIV, 1; XVIII, 1; XXI, 1; XXV, 1; XXVII, 1; XXIX, 1; XXX, 1; XXXII, 1; XXXIII, 1; XXXV, 1; XXXVI, 1; XL, 1; XLIV, 1; XLVII, 1; L, 1.

(2) Caput LII, desumptum ex *IV Reg.* XXIV, 18-XXV, 30, exceptis versiculis 28-30, eo fine additum fuerit ut prophetiis Jeremiæ historia, earum adimpletionem ostendens, conjungeretur.

(3) *Jer.* XXXVI, 2-4.

vaticinia rursus conscriberet. Jeremias itaque *tulit volumen aliud, et dedit illud Baruch filio Neriæ scribæ : qui scripsit in eo ex ore Jeremiæ omnes sermones libri, quem combusserat Joakim rex Juda igni : et insuper additi sunt sermones multo plures quam antea* (1). In eo igitur volumine comprehendebantur omnia effata quæ Deus Jeremiæ revelarat usque ad annum quintum Joakimi; diversum igitur erat istud volumen a libro Jeremiæ quem nunc habemus. Quæ enim recitavimus ex cap. XXXVI desumpta sunt. Porro plura leguntur vaticinia in capitibus præcedentibus quæ nonnisi postea, confecto jam volumine, sub Sedecia edita sunt, ut v. g. vaticinia capp. XX-XXIV; XXVII-XXIX; XXXII-XXXIV. Hæc igitur non pertinuerunt ad volumen quod a Baruch confectum legimus, sed serius in eo inserta fuerunt ab ipso Baruch, qui, sicut priora Jeremiæ vaticinia, ita et posteriora digesserit.

6. Alia plurima suppetunt testimonia ex aliis libris sacris petita ad stabiliendum Jeremiam auctorem esse prophetiarum ipsi inscriptarum. Sic *II Par.* XXXVI, 20-21; *Dan.* IX, 2; *I Esdr.* I, 1, Jeremiæ tribuitur prophetia de captivitate 70 annorum. Auctor autem Ecclesiastici (cap. XLIX, 8) ita de Jeremia loquitur, ut appareat ipsum præ oculis habuisse totum illud volumen quod nunc possidemus. In novo Testamento plura testimonia ex libro Jeremiæ recitantur (2).

7. Externis hisce testimoniis interna jungenda sunt. Indoles prophetiarum perfecte in Jeremiam quadrat; circumstantiæ et res narratæ vaticiniisque continuo immixtæ optime personæ Prophetæ et temporibus accommodantur. Lingua etiam vocibus chaldaicis ditata ætati captivitatis convenit. Quæcumque autem de regibus Judæ et invasione Chaldæorum narrantur historiæ horum temporum prorsus consonant. Ex his omnibus patet nonnisi absurdissime libri Jeremiæ confectionem in aliud tempus remitti posse. Si quis enim pertinaciter vult contendere, ipse nobis dicat quonam tempore falsarius Jeremiæ vaticinia fabricaverit? An tempore captivitatis vel immediate post ipsam? Sed quis non videt, Jeremia adhuc vivente, vel vix defuncto, impossibile prorsus fuisse Judæis persuadere hæc vaticinia auctoris

(1) *Jer.* XXXVI, 28-32.
(2) Vid. *Matth.* II, 18; *I Cor.* I, 31, etc.

esse Jeremiæ, cum ipsi apprime scirent contrarium, et illa vaticinia contra illos facerent? An Judæi unquam permisissent librum confingere eumque ut authenticum publicare, in quo ipsi gravissimorum criminum rei dicebantur, in quo affirmabatur eos Jeremiam ut verum Prophetam agnovisse et tamen male tractavisse et in vincula injuste prorsus tradidisse? Sed fortasse liber confectus fuerit diu post captivitatem? Quis autem non videt hoc prorsus esse impossibile? Si enim hic liber tempore captivitatis non exstitit, quomodo vaticiniorum Jeremiæ mentionem invenimus in libris Esdræ, Danielis et Ecclesiastici? Ex his omnibus certo certius probatur librum Jeremiæ authenticum esse. Hoc autem non omnino negant Rationalistæ, sed negant solum ejus integritatem. De qua nunc pauca dicenda.

8. *Integritas libri Jeremiæ.* Plerique Rationalistarum integritatem libri Jeremiæ negant et plura vel pauciora fragmenta ignotis auctoribus tribuunt. Sic De Wette addita habet quæcumque fere in textu hebraico inveniuntur et in versione LXX desunt. Insuper capp. X; XXX-XXXI; XXXIII tribuit fictitio cuidam auctori, quem Pseudo-Isaiam vocat; cap. XXVII-XXIX auctori adhuc recentiori assignat. Alios Rationalistas partim consentientes partim contradicentes habet. Ex quo jam patet ista asserta non esse adeo firma. Timidius quidem progreditur De Wette; non negat absolute aliquid in supradictis capitibus Jeremiæ tribuendum, sed excogitat successivas ejus vaticiniorum recensiones et immutationes. Hæc autem prorsus gratuito asseruntur et contra disertum textus assertum, quo Jeremiæ capita impugnata vindicantur. Etenim legimus cap. XXX, 1: *Hoc verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino dicens,* etc. et cap. XXXIII, 1: *Et factum est verbum Domini ad Jeremiam secundo, cum adhuc esset in atrio carceris, dicens,* etc. (1).

9. *Textus et versiones.* Jeremias omnia sua vaticinia in linguam hebraicam edidit. Attamen ob frequens gentis judaicæ cum Chaldæis commercium, ejus stylus vocibus et dictionibus chaldaicis redolet; imo versiculus 2us cap. X, totus chaldaicus est. « Jeremias Propheta, inquit S. Hieronymus (2), sermone

(1) Difficultates fusius solvit Welte, *Einleit.* t. III, p. 55-62.
(2) *Prolog. in Jer.*

quidem apud Hebræos Isaia et Osea et quibusdam aliis Prophetis videtur esse rusticior, sed sensibus par est. »

10. Textum hebraicum presse sequuntur versio syriaca et versio latina S. Hieronymi quæ in Vulgata habetur. At magna inest differentia inter textum hebraicum et versionem græcam, quam secuta est vetus Itala cum aliis versionibus ex græco efformatis. Differentia illa consistit tum in dispositione vaticiniorum, tum in omissionibus et additamentis. Usque ad caput XXV idem conspicitur ordo in textu hebraico et in versione græca, sed post caput XXV versio græca refert varia adversus gentes oracula quæ in hebræo capp. XLV–LI referuntur. Insuper ista oracula alio ordine in editione græca, alio in textu hebræo describuntur, ut ex subjecta tabella patet.

Textus hebraicus.	*Versio LXX.*
XXV, 1-13	XXV, 1-13.
XXV, 15-38	XXXII.
XXVI-XLV	XXXIII-LI.
XLVI	XXVI.
XLVII	XXIX, 1-7.
XLVIII, 1-44	XXXI.
XLIX 1-5, 28-38, 23-27	XXX.
XLIX, 7-22	XXIX 7-22.
XLIX, 34-39	XXV, 34-39.
L-LI	XXVII-XXVIII.
LII	LII.

Desunt in versione græca quæ habentur in Hebr. et Vulg. capp. VIII, 10-12· XVII, 1-4 ; XXVII, 13-14, 19-22 ; XXXIII, 14-26 ; XXXIX, 3-14 ; XLVIII, 44-47, alia fragmenta breviora. Adduntur vero quædam II, 28, 30, 31 ; III, 7, 17, 18 . IV, 2, 26, 29; V, 1, 17-18; VII, 4-10; XXVI, 15, etc.

11. Has differentias inter textum hebraicum græcamque versionem jam observarunt Origenes (1) et Hieronymus (2). A quibusnam causis repetendæ sint istæ differentiæ varie varii auctores explicant. Perturbatio vaticiniorum fortasse provenerit ex accidentali perturbatione membranarum, in quibus oracula prophetica descripta erant. Quæ desunt in versione græca par-

(1) Orig. *Epist. ad Afric.* 4.
(2) Hieronym. *Prol. in Jer.*

tim errore aut oscitantia interpretis græci omissa fuerint, partim ex proposito, quia alibi jam habebantur (1).

12. *De Lamentationibus Jeremiæ.* Præter vaticinia, Jeremias scripsit *Lamentationes* seu *Threnos*, quibus ruinam urbis et templi ac deportationem populi tristissimo planxit carmine. Nonnulli antiqui ac recentiores exegetæ existimarunt hisce threnis mortem cani regis Josiæ ac mala quæ illam secuta sunt. Fundamentum hujus sententiæ desumitur ex *II Par.* XXXV, 25, ubi refertur Jeremiam lamentationes composuisse de morte Josiæ : *Universus Juda et Jerusalem luxerunt eum* (Josiam). *Jeremias maxime : cujus omnes cantores atque cantatrices, usque in præsentem diem lamentationes super Josiam replicant.* Favere videntur Josephus (*Antiqq.* X, 1) dicens carmen funebre a Jeremia compositum in mortem Josiæ adhuc exstare, et Hieronymus, qui (*in Zachar.* XII, 11) hæc ait : « Super quo (Josia) Lamentationes scripsit Jeremias, quæ leguntur in Ecclesia. »

13. Sed contrarium eruitur : 1° Ex argumento libri, in quo non mortem Josiæ plangit Jeremias, sed urbis et templi excidium et eversionem factam a Chaldæis atque regis Sedeciæ totiusque populi captivitatem. 2° Ex inscriptione quæ legitur in versione græca et in Vulgata : *Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel et Jerusalem deserta est, sedit Jeremias propheta flens et planxit lamentatione hac in Jerusalem et amaro animo suspirans, et ejulans dixit,* etc. (2). 3° Ad auctoritatem Josephi respondetur eum loqui de carmine funebri in mortem Josiæ quod tunc fortasse adhuc exstabat, hodie vero deperditum est. Hieronymus autem se ipsum correxit in *Is.* LXIII, 3, et aliis locis, ubi asserit Jeremiam in suis Lamentationibus plangere eversionem Jerusalem.

14. *Authentia* porro Lamentationum firmatur tum ex inscriptione supra relata, tum ex constanti Judæorum et Christianorum traditione, tum ex argumento et stylo quæ in Jeremiam omnino quadrant. Nullius autem sunt valoris, judicibus ipsis Rationalistis, argumenta quæ Thenius in contrarium protulit.

(1) Cfr. Glaire, *Introduct.* t. III p. 395-404; Herbst-Welte, *Einl.* t. III p. 53-62.

(2) Deest præfatiuncula ista in text. hebr., chald., vers. syr. etc. Unde concludit Cornelius a Lapide eam non pertinere ad Scripturam canonicam. Habet tamen auctoritatem testimonii antiquissimi.

15. *Divinitas librorum Jeremiæ.* Vaticinia Jeremiæ, quibus annectuntur ejus Threni, divinæ esse auctoritatis ex eo constat quod semper tum Judæi tum Christiani ea inter libros protocanonicos reposuerunt. Præterea sæpius in Libris sacris vaticinia Jeremiæ ut Scriptura sacra allegantur. Lamentationes autem ab Ecclesia in officiis liturgicis, tanquam prorsus divinæ, Christi passioni accomodantur. Facillime autem Judæi divinitatem oraculorum Jeremiæ perspexerunt. Nam ipse non tantum ruinam Jerusalem et Babylonis ac durationem captivitatis prædixit, sed insuper plurima ad Joakim et Sedeciam spectantia prænuntiavit quæ, quamvis naturaliter præsentiri non poterant, tamen statim, juxta prædictionem, evenerunt, ita ut Judæi coævi hæc videntes Jeremiæ fidem negare non potuerint. Initio regni Sedeciæ falsus Propheta, nomine Hananiæ, Jeremiæ se opposuit ac prædixit Judæos a captivitate post biennium redituros. Jeremias autem Hananiæ dixit : *Propheta... cum venerit verbum ejus, scietur Propheta, quem misit Dominus in veritate : audi Hanania : non misit te Dominus, et tu confidere fecisti populum istum in mendacio. Idcirco hæc dicit Dominus : hoc anno morieris.* Hæc gesta sunt in templo coram sacerdotibus et populo. Post duos autem menses Hananias mortuus est, et sic impletum est Jeremiæ oraculum, quo Judæis cito demonstratum fuit Jeremiam esse verum Prophetam (1).

CAPUT XXI.

DE LIBRO BARUCH (2).

1. *Argumentum.* Baruch legit librum suum coram Jechonia et Judæis captivis, qui jejunantes et orantes colligunt pecuniam, quam mittunt Jerosolymam pro sacrificiis offerendis, simulque Judæis in Judæa relictis piam tradunt orationem ad placandam Dei iram, impetrandam peccatorum remissionem misericor-

(1) Vid. *Jerem.* XXVIII.

(2) Cfr. Reusch, *Erklärung des Buch. Baruch.* Frib. 1853, et auctores supra citt.

diamque Domini implorandam. Monentur deinde captivi ut ad Deum redeant, prædiciturque fore ut in terra appareat Deus et cum hominibus conversctur. Inducitur Jerosolyma ut vidua loquens et filiis liberationem mox futuram promittens. Capite denique ultimo recitatur Epistola Jeremiæ ad captivos directa qua eos ab idololatria avertere conatur. Hæc sunt quæ in libro Baruch continentur.

2. Ex his patet responsio ad quæstionem an Baruch inter Prophetas numerandus sit. Etsi enim Baruch neque inter Prophetas majores neque inter Prophetas minores numeretur, tamen inter Prophetas vere recensendus est; nam in ipsius libro veræ continentur prophetiæ.

3. *Auctor et ætas.* Nonnulli Rationalistæ, ut Eichhorn, Bertholdt et de Wette, post Grotium authentiam libri Baruch impugnarunt. Sed ex *Baruch.* I, 1, certum fit auctorem esse Baruch, filium Neriæ... Is autem Baruch unus idemque fuit cum Jeremiæ amanuensi, ut constat ex collatione *Jer.* XXXVI, 4 cum *Bar.* I, 1. Baruch continuo Jeremiæ assiduus fuit, in Judæa cum ipso post desolationem Jerosolymæ remansit et cum ipso in Ægyptum profectus est (Jer. XLIII). Autumant plurimi auctores Baruchum post mortem Jeremiæ ab Ægypto discessisse et perrexisse in Babyloniam, ubi librum suum exaraverit anno quinto post ruinam Jerosolymæ, juxta quod initio libri Baruch dicitur : *Et hæc verba libri, quæ scripsit Baruch, filius Neriæ, filii Maasiæ, filii Sedeciæ, filii Sedei, filii Helciæ, in Babylonia, in anno quinto, in septimo die mensis, in tempore quo ceperunt Chaldæi Jerusalem et succenderunt eam igni.*

4. Difficultas tamen fit quid per *annum quintum* intelligendum sit? Calmet, Maldonat, Haneberg, intelligunt annum quintum Jechoniæ. Putant scilicet Baruch simul cum Saraia fratre a Jeremia missum fuisse Babylonem, paucis annis ante ruinam urbis. Cum autem ibi aliquo tempore commoratus fuisset et epistolam Jeremiæ Judæis exulibus legisset librumque suum exaravisset, Jerosolymam redierit cum pecunia, quam Judæi captivi ad fratres in Judæa habitantes pro sacrificiis offerendis mittebant. Sententiam suam exinde firmant quod liber dicatur confectus in tempore, quo urbs destructa fuit, et quod *Bar.* I, 10 et 14 sermo fiat de templo et altari tanquam adhuc exstantibus, quod utique post captam urbem templumque incensum

non recte dictum fuisset. At vero Cornelius a Lapide, Marchini, Janssens, Glaire, Danko, Reusch, alii, intelligunt *annum quintum in tempore,* id est, *a tempore, quo ceperunt Chaldæi Jerusalem et succenderunt eam igni.* Nam in libro Baruch ponitur ultima desolatio Hierosolymæ tanquam jam præterita, et asseritur Deum adduxisse super Judæos *mala quæ non sunt facta sub cælo, ut manducaret homo carnes filii sui et carnes filiæ suæ* (*Bar.* II, 2), quod in ultima urbis obsidione factum fuisse colligitur ex *Lament.* II, 2; IV, 10. Illud vero nequaquam locum habuit in obsidione sub Jechonia facta, in qua etiam urbs non fuit igne succensa. Præterea (*Bar.* II, 26) ponitur templum eversum. Quæ autem *Bar.* I, 10, 14 asseruntur de altari et templo intelligi possunt de parvo altari in ruina templi erecto ad colendum Deum. Hinc *Jer.* XLI, 5 legimus octoginta viros de Sichem, de Silo et de Samaria venisse ut offerrent munera in domo Domini, quamvis non amplius exstaret domus Domini, siquidem hæc post ruinam templi (1) contigerunt.

5. *Textus et versiones.* Librum Baruch hebraice primitus conscriptum fuisse colligitur tum ex locutionibus hebraicis quibus scatet versio græca, tum ex versione syriaca hexaplari a Ceriani edita, in qua habentur lectiones variæ ex hebræo desumptæ (2). Textus autem hebræus jam a tempore S. Hieronymi non amplius exstabat. Versio latina editionis Vulgatæ, Hieronymo multo antiquior, ex græco fonte deducta est (3). In Bibliis Waltonis exstant versiones duæ, syriaca una, arabica altera, textui græco satis conformes.

6. *Auctoritas canonica.* Magna fit controversia inter Catholicos et Protestantes de auctoritate libri Baruch. Baruch inter deuterocanonica scripta ab Ecclesia reponitur; a Protestantibus vero inter apocrypha.

7. Judæi quidem illum in suo canone non numerant. Illius tamen mentio occurrit apud Thalmudistas (4), et quod præcipuum est, ceteris libris sacris annumeratur in versione LXX,

(1) Cfr. Bible de Vence ed. Avenion. t. X, 430, sqq.

(2) Vid. Reusch., *Einleit* §. 41, 3.

(3) Hujus versionis duæ exstant recensiones : una quæ habetur in editione Vulgata, altera in Bibliis latinis Sabatieri. Aliam antiquam latinam versionem edidit Tommasi, Romæ 1688.

(4) Cfr. Jos. Duvoisin, *Observat. in prœm. Pugionis fidei.* Lips, 1607.

qua utebantur Judæi hellenistæ. Asserit auctor *Constit. Apostol.* lib. I. cap. 6 Judæos in solemni Expiationis festo librum Baruch perlegisse.

8. A Judæis hellenistis librum Baruch acceperunt Apostoli et antiqui Patres, qui sæpius Baruch tanquam verum Prophetam allegaverunt. Quum autem firmiter tenerent Baruch notarium fuisse Jeremiæ, ejus librum sæpius sub nomine Jeremiæ citarunt. Hoc autem ideo facilius fiebat, quod liber Baruch prophetiis Jeremiæ in Bibliis conjunctus haberetur. S. Irenæus sub nomine Jeremiæ et tanquam Scripturam divinam recitat capp. IV-V libri Baruch. Præiverat Athenagoras, quamvis pauca ipse ex Scripturis recitet, et locum *Bar.* III, 36 inter oracula a Spiritu sancto dictata allegaverat. Tertullianus pariter sub nomine Jeremiæ librum Baruch allegat, quod et facit S. Cyprianus locum *Bar.* III, 35 adversus Judæos afferens ad probandam Christi divinitatem. Clemens Alexandrinus in *Pædagogo* pluries librum Baruch sub nomine Jeremiæ vel divinæ Scripturæ adducit. S. Hippolytus adversus hæresim Noeti invocat *Bar.* III, 36–38, et ex ejus dictis constat Noetianos hunc librum tanquam Scripturam suscepisse (1). His consentiunt S. Melito, Origenes, S. Athanasius, S. Ambrosius, etc.

9. *Obj.* Librum Baruch auctoritate destitui patet : 1° Ex historia. Nam liber Baruch secum ipse pugnat ; supponit urbem incendio deletam (I, 2.) et templum adhuc stans (I, 14) ; pugnat cum aliis libris sacris : nam *Bar.* I, 3 liber Baruch legitur coram Jechonia et Judæis, Jechonias autem tunc in carcere erat, juxta *IV Reg.* XXV. 27 ; *Bar.* I, 7 Joakim summus sacerdos dicitur contra *I Par.* VI, 13 ; *Bar.* I, 11 Balthassar filius Nabuchodonosoris falso asseritur. Præterea in eo allegantur plura loca librorum V. T. qui exilio sunt recentiores, ut libri Daniel, Isaiæ, Nehemiæ. 2° Synagoga librum Baruch a canone rejecit, quod et fecit vetus Ecclesia. Ait quippe S. Hieronymus : « Librum Baruch qui apud Hebræos nec legitur nec habetur prætermisimus (2). » Ita De Wette (3) cum aliis Rationalistis.

(1) S. Iren., *Contra hær.* V, 35 (vid. *Diss. III in opp. Iren.* 248); Athenag. *Legat. pro christ.* 69; Tertulian., *Patrol. lat.* II, 137; S. Cyprianus, *Patrol. lat.* IV, 701 ; Clemens Alex., *Patrol. gr.* VIII, 358, 359, 435; etc. Vid. *Introd. gen.* c. III.

(2) *Præf. in Jer.* Cfr. *Præf. exposit. in Jer.*

(3) *Einleit.* §. 323. 7ª ed.

10. *Resp.* ad 1^m. Liber Baruch neque secum pugnat neque aliis libris sacris contradicit. Jam ostendimus quonam sensu mentio templi ingeratur. Baruch bene potuit librum suum coram Jechonia captivo legere; neque enim ita dure detentus fuisse putandus est Jechonias, ut non potuerint Judæi ad ipsum convenire. Videmus enim quod sub Evilmerodach summos honores adeptus fuit (1). Joakim, de quo Baruch (I, 7) agit, præcipuus et fortasse princeps fuit sacerdotum, qui remanserant in Judæa, et patrem habuit Helciam; frater igitur fuit Azariæ, de quo *I Par.* VI, 13. Balthassar, de quo fit sermo, vel fuerit filius primogenitus Nabuchodonosoris, cui regnum destinaretur, sed præpropere defunctus, vel idem fuerit cum Evilmerodach; nam reges Babylonis plura gerebant nomina. Absque jure contendit De Wette in libro Baruch allegari loca ex libris recentioribus desumpta, quod prælegenti loca ab ipso indicata patebit. Quæ autem vult ex Pseudo-Isaia desumpta esse, cum iste auctor alibi non existat nisi in phantasia Rationalistarum, ut supra ostendimus, minime sunt ad rem.

11. *Resp. ad* 2^m. Antiqui Patres, ut supra ostensum est, allegarunt librum Baruch tanquam Scripturam divinam. Omittitur autem in pluribus Scripturæ canonibus, vel quia deficiebat in canone Judæorum, quem Patres exscribebant, vel quia libro Jeremiæ conjungebatur et sub ejus nomine veniebat tanquam unum cum eo volumen efformans. Hinc S. Melito Baruch quidem in suo canone omittit, eum vero ut Scripturam allegat in *Clavi*. Pariter Origenes in canone suo nihil de Baruch habet sed eum Prophetam appellat ejusque librum ut Scripturam citat (2). S. Athanasius librum Baruch in canone recensuit et pluries in suis scriptis allegavit (3). S. Hilarius in canone recenset Epistolam Jeremiæ (*Bar.* VI) et *in Psal.* 68 librum Baruch sub nomine Jeremiæ adducit. Recensetur etiam liber Baruch in canone concilii Laodiceni. Divus quidem Hieronymus illum in recensione sua omisit, sed, ut ipse addit, pro hac omissione *maledicta ab omnibus præstolatus est.* Ecclesia igitur, ipso etiam Hieronymo teste, Baruch inter Scripturas numerabat.

(1) *Jerem.* LII, 31.
(2) *Patrol. gr.* XI, 195; XII, 1641.
(3) *Patrol. gr.* XXVI; 1438, 49, 252, 548; XXVII, 983.

CAPUT XXII.

DE PROPOHETIIS EZECHIEL (1).

1. Jeremiæ coævus ipsoque parum junior Ezechiel (יְחֶזְקֵאל), Buzi sacerdotis filius, captivus in Babyloniam cum rege Jechonia et decem Judæorum millibus abductus fuit, anno ante eversionem urbis undecimo. Matrimonio junctus domicilium habuit juxta flumen Chobar, quod, irrigata Mesopotamia, in Euphraten dilabitur (I, 3; VIII, 1; XXIV, 18). Anno suæ captivitatis quinto, sexto ante eversam urbem, Ezechiel, quum ad ripas fluvii Chobar degeret, cœlitus vocatus fuit ad munus propheticum, quo munere functus est usque ad annum 27 suæ captivitatis, seu annum 16 post ruinam urbis et templi (XXIX, 17). Quid postea fecerit Ezechiel, et quonam anno obierit, nullo monumento proditum est. Antiqua fert traditio occisum fuisse a quodam Judæo cujus idololatriam reprehenderat. Ezechielis memoria colitur in Martyrologio Romano, ad quartum Iduum Aprilis.

2. *Argumentum.* Prophetiæ Ezechielis sæpius visionibus et actionibus symbolicis exprimuntur; quare densa sæpius laborant obscuritate. Recte autem in tres partes distingui possunt. Prima pars (I-XXIV) continet vaticinia ad Judæos directa ante desolationem urbis. Statim autem in limine vocatur Ezechiel et Propheta mittitur ad Judæos in illa gloriæ Dei visione, qua vidit quatuor animalia quadruplicis faciei, quorum capitibus imminebat thronus coruscans, et in medio throni similitudo hominis luce perfusi. Propheta a Deo missus Judæis suas exprobrat prævaricationes, præsertim vero idololatriam, in cujus pœnam Jerosolymam mox desolandam, et Judæos inter gentes dispergendos esse prædicit. Nec tantum prædicit Propheta variis sub figuris Jerosolymæ habitatores in Babyloniam esse deportandos, sed addit regem, perrupto urbis muro, nocte fugam capessurum, in hac fuga a Chaldæis capiendum abducendumque in

(1) Cfr. Hieronymus, *Comment. in Ezech.*; Vilalpandus, *Comment. in Ezech.*; et generatim *Introductiones in S. Script.*

10. *Resp.* ad 1m. Liber Baruch neque secum pugnat neque aliis libris sacris contradicit. Jam ostendimus quonam sensu mentio templi ingeratur. Baruch bene potuit librum suum coram Jechonia captivo legere; neque enim ita dure detentus fuisse putandus est Jechonias, ut non potuerint Judæi ad ipsum convenire. Videmus enim quod sub Evilmerodach summos honores adeptus fuit (1). Joakim, de quo Baruch (I, 7) agit, præcipuus et fortasse princeps fuit sacerdotum, qui remanserant in Judæa, et patrem habuit Helciam; frater igitur fuit Azariæ, de quo *I Par.* VI, 13. Balthassar, de quo fit sermo, vel fuerit filius primogenitus Nabuchodonosoris, cui regnum destinaretur, sed præpropere defunctus, vel idem fuerit cum Evilmerodach; nam reges Babylonis plura gerebant nomina. Absque jure contendit De Wette in libro Baruch allegari loca ex libris recentioribus desumpta, quod prælegenti loca ab ipso indicata patebit. Quæ autem vult ex Pseudo-Isaia desumpta esse, cum iste auctor alibi non existat nisi in phantasia Rationalistarum, ut supra ostendimus, minime sunt ad rem.

11. *Resp. ad* 2m. Antiqui Patres, ut supra ostensum est, allegarunt librum Baruch tanquam Scripturam divinam. Omittitur autem in pluribus Scripturæ canonibus, vel quia deficiebat in canone Judæorum, quem Patres exscribebant, vel quia libro Jeremiæ conjungebatur et sub ejus nomine veniebat tanquam unum cum eo volumen efformans. Hinc S. Melito Baruch quidem in suo canone omittit, eum vero ut Scripturam allegat in *Clavi*. Pariter Origenes in canone suo nihil de Baruch habet sed eum Prophetam appellat ejusque librum ut Scripturam citat (2). S. Athanasius librum Baruch in canone recensuit et pluries in suis scriptis allegavit (3). S. Hilarius in canone recenset Epistolam Jeremiæ (*Bar.* VI) et *in Psal.* 68 librum Baruch sub nomine Jeremiæ adducit. Recensetur etiam liber Baruch in canone concilii Laodiceni. Divus quidem Hieronymus illum in recensione sua omisit, sed, ut ipse addit, pro hac omissione *maledicta ab omnibus præstolatus est*. Ecclesia igitur, ipso etiam Hieronymo teste, Baruch inter Scripturas numerabat.

(1) *Jerem.* LII, 31.
(2) *Patrol. gr.* XI, 193; XII, 1641.
(3) *Patrol. gr.* XXVI; 1438, 49, 232, 548; XXVII, 983.

CAPUT XXII.

DE PROPOHETIIS EZECHIEL (1).

1. Jeremiæ coævus ipsoque parum junior Ezechiel (יְחֶזְקֵאל), Buzi sacerdotis filius, captivus in Babyloniam cum rege Jechonia et decem Judæorum millibus abductus fuit, anno ante eversionem urbis undecimo. Matrimonio junctus domicilium habuit juxta flumen Chobar, quod, irrigata Mesopotamia, in Euphraten dilabitur (I, 3; VIII, 1; XXIV, 18). Anno suæ captivitatis quinto, sexto ante eversam urbem, Ezechiel, quum ad ripas fluvii Chobar degeret, cœlitus vocatus fuit ad munus propheticum, quo munere functus est usque ad annum 27 suæ captivitatis, seu annum 16 post ruinam urbis et templi (XXIX, 17). Quid postea fecerit Ezechiel, et quonam anno obierit, nullo monumento proditum est. Antiqua fert traditio occisum fuisse a quodam Judæo cujus idololatriam reprehenderat. Ezechielis memoria colitur in Martyrologio Romano, ad quartum Iduum Aprilis.

2. *Argumentum.* Prophetiæ Ezechielis sæpius visionibus et actionibus symbolicis exprimuntur; quare densa sæpius laborant obscuritate. Recte autem in tres partes distingui possunt. Prima pars (I-XXIV) continet vaticinia ad Judæos directa ante desolationem urbis. Statim autem in limine vocatur Ezechiel et Propheta mittitur ad Judæos in illa gloriæ Dei visione, qua vidit quatuor animalia quadruplicis faciei, quorum capitibus imminebat thronus coruscans, et in medio throni similitudo hominis luce perfusi. Propheta a Deo missus Judæis suas exprobrat prævaricationes, præsertim vero idololatriam, in cujus pœnam Jerosolymam mox desolandam, et Judæos inter gentes dispergendos esse prædicit. Nec tantum prædicit Propheta variis sub figuris Jerosolymæ habitatores in Babyloniam esse deportandos, sed addit regem, perrupto urbis muro, nocte fugam capessurum, in hac fuga a Chaldæis capiendum abducendumque in

(1) Cfr. Hieronymus, *Comment. in Ezech.;* Vilalpandus, *Comment. in Ezech.;* et generatim *Introductiones in S. Script.*

Babyloniam, quam tamen regionem ipse non videbit. Quod vaticinium ad litteram adimpletum fuisse ex historia constat. In secunda parte (XXV-XXXII) Propheta vaticinatur adversus extraneas gentes: filios Ammon, Moabitas, Idumæos, Philisthæos, Sidonios, Assyrios, Ægyptios. In tertia denique parte, post ruinam urbis conscripta (XXXIII-XLVI), Ezechiel rursus reprehendit Judæos. Attamen illos statim consolatur prædicitque finem captivitatis ac reditum populi electi in terram promissam. His autem vaticiniis varia immiscet de futuro Messiæ regno, et inde a cap. XL, sub magnifica descriptione urbis atque templi, depingit novam spiritualemque Jerusalem, id est, Ecclesiam Christi.

3. *Textus, versiones, dispositio vaticiniorum.* Ezechiel vaticinia sua in lingua hebraica, vocibus chaldaicis immixta exaravit. « Sermo ejus, inquit S. Hieronymus, nec satis disertus, nec admodum rusticus est, sed ex utroque medio temperatus. Sacerdos ipse fuit, sicut Jeremias, principia voluminis et finem magnis habens obscuritatibus involuta. » Quare Judæi initium finemque ante trigesimum ætatis annum non legebant (1). Ex textu hebræo derivatæ sunt versio Septuagintaviralis et versio latina S. Hieronymi quæ in Vulgata nostra habetur. Antiqua autem Itala in hoc libro sicut in aliis sequitur versionem græcam; eam accuratiorem fuisse in Ezechiele quam in aliis Prophetis testatur S. Hieronymus. Ad dispositionem quod attinet vaticiniorum, omnia, paucis exceptis, juxta seriem temporum digesta sunt et fere continuo annus in vaticinii superscriptione indicatur.

4. *Auctor atque divinitas.* Ezechielem libri auctorem esse tota retro agnovit antiquitas. Universalis autem hæc traditio in ipso libro firmissimum habet fundamentum. Etenim et in initio et sæpius in decursu auctor se Ezechielem nominat et continuo in prima persona loquitur. Rem confirmat Ecclesiasticus (2). Quare

(1) De Wette recte observat Ezechielem in rebus symbolicis et in allegoriis continuo versari, falso autem affirmat eum inter Prophetas primum esse qui angelorum mentionem fecerit. Contrarium enim invicte probatur ex *Isa.* VI, 2; XVIII, 2; XXXIII, 3; XXXVII, 36; *Os.* XII, 3. etc. Diu autem antea jam sermo fit de angelis *Gen.* XIX, 1, 15; XXVIII, 12, etc.

(2) *Eccli.* XLIX, 10 : *Ezechiel qui vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi in curru cherubim.* Quæ verba designant primam visionem quam Ezechiel habuit.

merito observat De Wette (1), cui assentiunt plerique Rationalistarum, absque ullo prorsus fundamento Oeder et Vogel dubitasse de ultimis septem capitibus, Corrodi de capp. XXXVIII-XXXIX, et auctorem anonymum de oraculis adversus gentes. Quamvis autem Judæi tradant Synagogam aliquando dubitasse an liber Ezechielis intra canonem esset includendus, tamen iste liber ab initio inter libros canonicos recensitus fuit; merito igitur ut divinus a Christianis æque ac a Judæis receptus fuit. Judæi autem coævi Ezechielem verum esse Prophetam facile perspexerunt. Nam Ezechiel procul a Judæa positus non tantum obsidionem Jerosolymæ per Nabuchodonosorem sed insuper minutissimas quasdam circumstantias obsidionis prædixit, quas naturaliter prævidere non poterat et statim tamen juxta vaticinium evenerunt (2).

CAPUT XXIII.

DE PROPHETIIS DANIELIS (3).

1. Daniel, de tribu Juda et regia aut saltem nobili stirpe ortus, anno tertio vel quarto (4) regis Joakim, admodum juvenis cum Anania, Azaria aliisque regiis et nobilibus adolescentibus jussu Nabuchodonosoris Babylonem deportatus fuit, ubi juxta regis voluntatem scientias linguamque Chaldæorum edoctus fuit

(1) *Einleit.* § 223.

(2) Vid. *Ezech.* XII, 1-15.

(3) Huetius, *Demonstrat. Evangel. Prop.* IV; Cornelius a Lapide et Calmet in suis *Comment.*; Hengstenberg (acath.), *Die Authentie des Daniel*, Berol. 1831, Volck (acath.), *Vindiciæ Danielicæ*. Dorpat; Pusey, 9 *Lectures on Daniel the prophet*, 3ª ed. London, 1869: Rholing, *Das Buch des Propheten Daniel;* Mainz 1876.

(4) *Dan.* I, 1 : *Anno tertio Joakim regis Juda venit Nabuchodonosor rex Babylonis in Jerusalem et obsedit eam.* Dices : *Jerem.* XXV, 1 et seqq. dicitur id factum anno quarto Joakim, ergo non tertio. Respondeo 1m annum regni Nabuchodonosoris inchoatum fuisse anno tertio Joakim, et finitum anno 4o. Unde ea quæ gessit Nabuchodonosor anno 1o regni sui, dicuntur gesta esse nunc anno 3o, nunc anno 4o Joakim : cœpit enim expeditionem contra Judæos parare anno 3o, eamque perfecit anno 4o. Ita Cornelius a Lap. in *Dan.* I, 1. Doctissime hanc quæstionem tractat Reinke, *Beitrage zur Erklär. d. A. T.* t. I, p. 256.

ut ad officia regia eveheretur. Quapropter in aula regia enutritus fuit, in qua, mutato Danielis nomine, Baltassar appellabatur (I, 1-8). Adhuc adolescens castam Susannam liberavit a duobus nefariis judicibus qui ejus innocentiam injuste et frustra aggressi, eam, quod impudico eorum consilio non cesserat, falso accusabant damnareque volebant. Daniel dono interpretandi visiones et somnia celeberrimus factus, sub variis regibus præcipua regni munera obtinuit, constanter vero legem Mosaicam observavit, pro qua varias persecutiones sustinuit, in lacu leonum non semel projectus atque a ferocitate horum animalium divinitus servatus. Summam senectutem adeptus, adhuc in vivis erat post captam a Cyro Babylonem. Anno tertio Cyri habuit visionem quæ refertur cap. X. Obierit Daniel anno ætatis centesimo primo. Ezechiel, ejus coævus, sapientissimum eum justumque cum Jobo et Noe pronuntiat (1).

2. *Argumentum.* Liber Danielis tres comprehendit partes : primam (I-VI) historicam, secundam (VII-XII) propheticam, tertiam (XIII-XIV) deuterocanonicam. Prima pars refert historiam Danielis sub Nabuchodonosore (I-IV), sub Baltassare (V), sub Dario Medo (VI). Incipit narratio a captivitate Danielis. Sequitur somnium Nabuchodonosoris, seu visio magnæ statuæ cujus caput ex auro, pectus ex argento, femora ex ære, tibiæ ferreæ erant; pedum autem quædam pars erat ferrea, quædam fictilis. Abscissus porro lapis de monte sine manibus statuam totam incipiendo a parte fictili contrivit ; ipse vero crevit in montem magnum orbemque implevit. Daniel hanc visionem explicavit de quatuor monarchiis, quæ, initio a capite aureo seu Nabuchodonosore ducto, sibi succederent, sed quæ destruerentur nova monarchia in æternum duratura , id est , Ecclesia Christi. Narratur deinde quomodo Daniel ac tres ejus socii a fornace ardenti divinitus servati fuerunt. Sequitur alterum Nabuchodonosoris somnium, quo vidit altissimam arborem ita succidi ut stipes vinculis ferreis ligatus in terra maneret. Hoc somnium explicavit Daniel de ipso Nabuchodonosore quem prædixit septem tempora cum bestiis victurum , postquam regno pulsus et mente captus fuisset. Hoc vaticinium, elapsis duodecim mensibus, cœpit impleri. Denique depingitur convi-

(1) *Ezech.* XIV, 14-20; XXVIII, 3.

vium Baltassaris regis atque in pariete inscriptio vocum *Mane, Thecel, Phares,* quas de ruina ipsius regis interpretatus est Daniel. Ista autem prophetia ipsa nocte impleta fuit, Baltassare interfecto atque Dario ipsi succedente. Darius autem Danielem ad summos honores evexit, sed fraude satraparum deceptus, Danielem ob legis Mosaicæ observantiam, in lacum leonum demisit, a quorum furore Daniel divinitus ereptus in dignitatem suam restitutus fuit.

3. In secunda parte (VII-XII) referuntur celeberrimæ visiones in quibus Daniel vidit futuram regnorum successionem, et septuaginta hebdomades annorum quæ a reædificatione Jerusalem usque ad mortem Christi excurrere debebant : « Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem et sexaginta duæ erunt : et rursum ædificabitur platea et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus et non erit ejus populus qui eum negaturus est.... Confirmabit autem pactum multis hebdomada una : et in medio hebdomadis deficiet hostia, etc. » Aliæ visiones spectant Antiochum Epiphanem et victorias Machabæorum.

4. In tertia denique parte (XIII-XIV) historia narratur Susannæ atque Beli et draconis, quem, injecta in os massa ex pice, adipe et pilis confecta, Daniel interfecit, ob id in lacum leonum missus, sed illæsus servatus. Quapropter rex jussit ut omnes Deum Danielis timerent.

5. *Textus et versiones.* Liber Danielis partim hebraice, partim chaldaice, exaratus fuit. Hebraica sunt capp. I-II, 3; VIII-XII; chaldaica vero capp. II, 4-49 ; III, 1-23, 91-100 ; IV-VII. Fragmenta autem Deuterocanonica, oratio scilicet trium puerorum (III , 24-90) , historia Susannæ atque Beli et draconis (XIII-XIV) græce solummodo ad nos pervenerunt.

6. Exstant duæ libri Danielis versiones græcæ : versio LXX Interpretum, qua usi sunt primi Christiani, et versio Theodotionis, qua a sæculo tertio utitur Ecclesia græca (1). Ex versionibus Symmachi et Aquilæ nonnisi pauca fragmenta habemus

(1) S. Justinus adhuc utebatur versione LXX; S. Hippolytus usus est versione Theodotionis, ut constat ex ejus *Commentario in Dan.* IX, 23-27.

in Hexaplis Origenis. Origenes in suis Tetraplis et Hexaplis (1) versionem LXX adhibuit. Hieronymus in *Comm. in Dan.* IV, 6, ait : « Origenes in nono *Stromatum* volumine asserit se, quæ sequuntur ab hoc loco in Propheta Daniele, non juxta LXX Interpretes, qui multum ab hebraica veritate discordant, sed juxta Theodotionis editionem disserere. » Et *Præf. in Dan.* addit : « Danielem Prophetam juxta LXX Interpretes Domini Salvatoris ecclesiæ non legunt, utentes Theodotionis editione ; *et hoc cur acciderit, nescio..... Hoc unum affirmare possum, quod multum a veritate discordet et recto judicio repudiata sit.* » Quum igitur versio LXX diu obsoleta et ignota delituisset, Vincentius de Regibus eam ex Tetraplis , in codice Chisiano repositis, edidit, Romæ 1772. Simul edita fuit altera versionis Theodotianæ recensio. Differt autem sæpius versio LXX a textu primigenio (2).

7. Versio nostra Vulgata ex hebræo et chaldæo a S. Hieronymo elaborata fuit. In fragmentis deuterocanonicis vertendis usus est Hieronymus versione Theodotionis (3).

8. *Auctor, ætas, atque auctoritas.* Tanti momenti est in stabilienda divinitate religionis christianæ liber Danielis, ut mirum non sit hunc librum sæpius impugnatum fuisse. Jam sæculo tertio Porphyrius libri Danielis confectionem in temporibus Antiochi Epiphanis reponere voluit (4). Eum impugnarunt Eusebius, Methodius , Apollinaris, et Hieronymus. Disjectam porro Porphyrii argumentationem denuo excitare conatus est Spinoza, cujus hac de re valde intricatæ sunt opiniones. Audactius autem Rationalistæ Danielem impugnaverunt. Inter eos nominandi sunt Corrodi, Berthold, Eichhorn, De Wette, Gese-

(1) Pro Hexaplis negat auctor *Danielis juxta LXX*, contra quem facit ipsa editio Hexaplorum ap. Migne, *Patrol. gr.* XVI, 3ª pars.

(2) Cfr. capp. I, 3, 11, 16; II, 8, 11, 28; VII, 6, 8; IX, 25, 27.

(3) Non versione Aquilæ, ut asserit Glaire; quod patet ex collatione utriusque versionis et ex notatione S Hier. ante cap. XIII : « Quæ sequuntur de Theodotionis editione translata sunt. »

(4) « Contra Danielem scripsit Porphyrius, inquit S. Hieronymus (*Prol. in Dan.*), nolens eum ab ipso cujus inscriptus est nomine, esse compositum, sed a quodam qui temporibus Antiochi, qui appellatus est Epiphanes, fuerit in Judæa, et non tam Danielem ventura dixisse, quam illum narrasse præterita. Denique quidquid usque ad Antiochum dixerit, veram historiam continere; si quid autem ultra opinatus sit, quia futura nescierit esse mentitum. »

nius, Bleek, Kirms, Lengerke, Ewald, alii. Quos confutarunt ex acatholicis Lüderwald, Hengstenberg, Hävernick, Auberlin, Zündel, Volck, Delitsch, Keil; ex Catholicis autem, Jahn, Hug, Janssens, Herbst-Welte, Scholz, Glaire, Haneberg, Reusch, Danko, in suis Introductionibus (1). Ut autem recte quæstio solvatur distinguendæ sunt in libro Danielis duæ partes : una protocanonica, altera deuterocanonica.

9. Partem protocanonicam auctorem habere Danielem, adeoque fide dignam et divinam esse invictis argumentis demonstrari potest. Etenim hoc diserte in ipso libro sæpius asseritur. Cap. VII, 1 : *Anno primo Baltassar regis Babylonis, Daniel somnium vidit..., et somnium scribens brevi sermone comprehendit : summatimque perstringens, ait : Videbam, in visione* etc. Cap. VIII, 1 : *Anno tertio regni Baltassar regis visio apparuit mihi. Ego Daniel, post id quod videram in principio, vidi,* etc. A cap. VII usque ad cap. XII Daniel continuo loquitur in prima persona. Capite autem XII, 4 Daniel rursus nominatur : *Tu autem, Daniel, claude sermones et signa librum usque ad tempus statutum.* In primis autem sex capitibus ita adamussim referuntur omnes circumstantiæ rerum gestarum et edicta regum Chaldæorum atque interpretationes Danielis, ut auctor qui hæc refert rerum testis fuisse debuerit; quod bene in Danielem quadrat, in auctorem Antiocho Epiphani coævum minime. Quin et ipsa elocutio partim hebraica, partim chaldaica, auctorem utriusque linguæ gnarum, qualis erat Daniel, expetit.

10. Daniele adhuc vivente, adeo creverat ejus fama ut ejus coævus Ezechiel (2) sapientissimum eum justissimumque declararet. Hoc testimonium Ezechielis Prophetæ convenit cum libro Danielis, in quo elucent tum ejus sapientia in explicandis somniis, tum justitia in liberanda innocente Susanna atque in observanda lege Mosaica. Postea fortis Machabæus Mathathias (3) perspicuam Danielis mentionem filiis suis ingerebat dicens : *Ananías, Azarias et Misael credentes liberati sunt de flammu* (*Dan.* III, 50). *Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum* (*Dan.* VI, 22). Ipse Christus (4) memorat celeberrimam

(1) Ap. Danko, *Histor. revelat. V. T.* p. 489. Vindob. 1862.
(2) *Ezech.* XIV, 14-20; XXVIII, 3,
(3) *I Mach.* II, 60.
(4) *Matth.* XXIV. 15; *Marc.* XIII, 14.

prophetiam de 70 hebdomadibus ejusque auctorem Danielem asserit, quem Prophetam nominat : *Cum videritis abominationem desolationis quæ dicta est a Daniele Propheta,* etc.

11. Merito igitur Judæi librum Danielis statim ab initio susceperunt et Scripturis divinis annumerarunt, eum inter scripta hagiographa reponentes. Nostram assertionem corroborant Philo atque Josephus (1) qui refert Alexandro imperatori Jerosolymam ingredienti oblatum fuisse librum prophetiarum Danielis, quibus ipse Persas debellaturus prædicebatur. Universalem hanc traditionem secuti sunt Apostoli sanctique Patres unanimi consensu.

12. *Obj.* Liber Danielis spurius est et ætati Antiochi Epiphanis adscribendus. Nam : 1° narrat res incredibiles, qualis est præsertim, juxta ipsum, historia Nabuchodonosoris; 2° sæpius peccat contra historiam, ut, quando Baltassarum vocat filium Nabuchodonosoris, et Darium Medum ponit pro Cyaxare secundo; 3° auctor suo sermoni immiscet voces zendicas et græcas, quæ Hebræis ignotæ erant tempore Danielis; 4° in visionibus res futuras, eas præsertim quæ spectant Antiochum Epiphanem, ita clare depingit tempusque eventuum ita determinat, ut evidens sit prophetiam *post factum* conscriptam fuisse. Ita De Wette cum aliis.

13. *Resp.* Quæ ab adversariis objiciuntur nequaquam eorum assertum probant. Etenim : 1° res a Daniele relatæ non sunt incredibiles, nisi iis qui, vel Scripturam male intelligunt, vel prophetias et miracula impossibilia esse statuunt; 2° narratio Danielis non adversatur veræ historiæ. Daniel quidem Baltassarum filium Nabuchodonosoris vocat, quamvis filius esset Evilmerodach, filii Nabuchodonosoris, adeoque solummodo nepos Nabuchodonosoris; sed alienum nequaquam est ab indole linguæ hebraicæ, ut nepotes filii vocentur. Sic Laban, Bathuelis filius (*Gen.* XXVIII, 5), vocatur (*Gen.* XXIX, 5) filius Nachor, qui erat ejus avus (*Gen.* XXIV, 47). Baltassar autem alio nomine a Babyloniis Naboandelus, Nabonetus, Labynetus vocabatur (2). Quod autem Daniel Darium Medum appellat eum, quem Græci Cyaxarem II nominant, hoc nullam difficultatem involvit; nam

(1) *Antiqq.* XI, 8.
(2) Vid. Jos ph. *Antiqq.* lib. X; cap. XI, 2.

Josephus nos admonet Darium, Astyagis filium, alio nomine a Græcis designari (1). 3° Voces persicæ sermoni Danielis immixtæ apprime in ætatem hujus Prophetæ quadrant. Voces autem græcæ rariores sunt in libro Danielis, et solummodo adhibentur ubi designantur nonnulla musicalia instrumenta, quæ fortasse a Græcis asiaticis hac ætate ad Chaldæos transiverant, ut fatentur De Wette et Rosenmüller (2). 4° Quod denique Daniel dilucide tempora et actiones Antiochi Epiphanis prædixerit, hoc probat ipsum Spiritu prophetico actum fuisse, futura ipsi clare revelata fuisse et nihil aliud.

14. *Instant.* Si liber Danielis ante tempora Epiphanis exstitisset, in canone inter Prophetas repositus fuisset; siquidem Malachias, qui diu post Danielem vixit, in canone Prophetarum habetur. Hagiographis Judæi Danielem conjunxerunt, quia clausus jam erat Prophetarum canon. Denique si liber Danielis exstitisset, de eo non siluisset Siracides in eo loco ubi recenset omnes Prophetas.

15. *Resp.* Si liber Danielis circa tempora Antiochi Epiphanis conscriptus est, spurius est, adeoque Judæi nequidem potuerunt illum Hagiographis annumerare. Ergo objectio nimis probat et consequenter nihil probat. Argumentum autem ex silentio Ecclesiastici deductum est mere negativum. Ceterum mens Siracidis non fuit recensere omnes scriptores hebræos aut omnes eorum viros præclaros, alioquin non omisisset Job, Esdram atque Mardochæum. Præterea Siracides celebrat Ezechielem; jam autem Ezechiel memorat Danielem tanquam sapientissimum atque justissimum, quod prorsus cum nostro libro consonat.

16. Concludimus igitur nullo jure Rationalistas ætatem recentiorem libro Danielis assignare. Imo eorum assertio, qua dicunt librum ætate Antiochi Epiphanis confectum, omni fundamento caret. Etenim, si liber Danielis ad ætatem Machabæorum pertineret, non inveniretur in canone Judæorum. Nec enim liber adeo spurius Judæis tanquam verus obtrudi potuisset, nec distinxissent Judæi partem protocanonicam a parte deuterocanonica, nec librum Danielis tanquam propheticum Alexandro

(1) *Ibid.* cap. XI, 5.
(2) De Wette, *Einleit.* § 255, b, not. f.

Magno obtulissent, ut refert Josephus. Si recentius fuit confectus iste liber explicent Rationalistæ, quomodo potuerit Mathathias Danielem ejusque socios in exemplum filiis suis adducere, atque eos confortare in memoriam revocando miraculum liberationis e fornace quod maxime Rationalistis displicet? omni igitur fundamento caret adversariorum assertio.

17. *Vindicatur pars deuterocanonica.* Hæc pars complectitur, ut diximus, canticum trium puerorum (III, 24-91), historiam Susannæ (XIII) (1) atque narrationem de Belo et dracone (XIV). Hæc quidem in textu hebraico non amplius reperiuntur; attamen hebraice aut chaldaice scripta fuisse plurima suadent.

18. Indoles quidem et aramaismi textus græci rem non omnino conficiunt; innuunt tamen potius versionem ex hebræo quam textum græcum primigenium. Nec obstat lusus verborum σχινος-σχισειν, et πρινος-πρισειν, quod habetur XIII, 54-55, 58-59. Fieri namque potest ut idem lusus verborum jam haberetur in textu primigenio (2). « Ejusmodi enim paronomasias, inquit Delitzsch (3), in linguis semeticis facillimas esse arabica quoque Susannæ versio ostendit. » Adhuc exstiterit textus primigenius primis Ecclesiæ sæculis; nam Theodotio nonnisi ex textu primigenio versionem suam conficere potuit; siquidem ejus editio a translatione LXX ita discedit ut ab ea provenire non possit. Quod autem fragmenta deuterocanonica Danielis hebraice exstiterint innuunt etiam ea quæ ex recentiorum Judæorum operibus proferuntur in *Pugione fidei* Raymundi Martini (4).

19. Gravissima fit inde ab antiquo disceptatio an ista fragmenta divinam habeant auctoritatem nec-ne? Primus Africanus historiam Susannæ rejecit; ipsum secutus est Porphyrius et nostra ætate Rationalistæ. Illud autem his auctoribus jam in limine opponi potest, quod illæ partes receptæ fuerunt in versione Septuagintavirali, in versione Theodotionis et in aliis versionibus inde derivatis (5).

(1) In codicibus antiquis historia Susannæ efformat cap. I Danielis.

(2) De hac re fuse disputantem vide Origenem in *Epist. ad Afric.*

(3) *De Habacuci Prophetæ vita atque ætate* p. 102. Eamdem sententiam propugnat Vincenzi, *Sess. IV Concil. Trid. vindic.* part. III, prop. 7.

(4) *Pugio fidei* p. 128, 956. Ed. Carpz. Lips. 1687.

(5) Versio Vulgata ex versione Theodotionis confecta est; versio syriaca in Bibliis polyglottis, versiones armeniaca et arabica, ex eodem fonte depromptæ sunt. Versio autem syriaca a Bugato edita fuit e versione LXX. In versione

20. Porro quod attinet primo orationem Azariæ et canticum trium puerorum patet lacunam inesse inter versiculos 23 et 24 textus hebræi, quæ canticum trium puerorum expetit. Etenim vers. 23 dicitur tres pueros missos esse in fornacem ardentem. Deinde inducitur Nabuchodonosor dicens : *Ecce video quatuor viros solutos et ambulantes in medio ignis*. Nonne ista verba expetunt ea quæ in fragmento deuterocanonico habentur : *Angelus autem Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem ?* Alioquin intelligi nequit cur Nabuchodonosor de quatuor et non de tribus loquatur.

21. Difficultates quæ fiunt contra veritatem historiæ Susannæ jamdiu diluit Origenes in responsione ad Africanum. Quod enim objiciunt Judæos in captivitate non habuisse tantas ædes tamque spatiosos hortos, nec servasse potestatem judicandi secundum legem Mosaicam ac damnandi ad mortem , ut supponitur in historia Susannæ, hoc nullius ponderis est. Quid enim? Primores Judæorum in prima illa captivitate abducti sunt tanquam obsides, nonne æquum fuit ut eis liceret amplas domos et hortos habere? Babylonii autem, ut et postea Romani, gentibus quas subigebant aut in captivitatem abducebant, etsi libertatem minuerent, non adimebant omnem potestatem vivendi secundum leges et consuetudines patrias (1). Daniele adhuc adolescente contigerit historia Susannæ, ut colligitur ex textu græco, in quo παιδάριον vocatur (2).

22. Porro fragmenta deuterocanonica Danielis non solum a Judæis hellenistis recepta fuerunt , sed qui lingua utebantur hebraica non semel illorum mentionem fecerunt (3). Origenes autem asserit sapientiores Judæorum Palæstinensium historiam Susannæ cognovisse , sed a cognitione populi surripuisse ob vituperium ex flagitio seniorum in primores populi redundans. Concinit S. Hippolytus Portuensis (4). Sancti autem Patres :

LXX historia Beli et draconis desumpta dicitur ex prophetia Ambacum , filii Jesu de tribu Levi.

(1) Cfr. Origenes *Epist. ad Afric.*, n. 14; Vincenzi, *loc. supra laud.*

(2) Difficultas movetur ex versu 65, in quo dicitur : *Et rex Astyages appositus est ad patres suos*. Sed ille versiculus non ad historiam Susannæ, sed ad insequentem narrationem de Belo pertinet.

(3) Vide *Pugionem Fidei* p. 128, 956, Ed. Carpz. Lips. 1687.

(4) Cfr. Origenes, *Epist. ad Afric.* 7-9; S. Hippolytus, *in Susan.* ap. Migne, *Patrol. gr.* X, 691. His adde Ephræmum, *Opp.* syr. III, 47.

Clemens Romanus, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Hippolytus, Hilarius, Hieronymus, Clemens Al., Eusebius, Athanasius, alii, fragmenta Danielis Scripturis divinis annumerant. Longius progressus Origenes historiam Susannæ contra Africanum nervose defendit et in antecessum solvit omnes difficultates quas hodie movent adversarii. Hippolytus autem in eamdem historiam egregia commentaria edidit. Merito igitur fragmenta Danielis inter Scripturas divinas reponuntur (1).

CAPUT XXIV.

DE DUODECIM PROPHETIS MINORIBUS. (2).

1. Quamvis par sit omnium Prophetarum auctoritas ac dignitas, ratione tamen habita amplitudinis et brevitatis vaticiniorum, in *Majores* distinguuntur et *Minores*, quorum non minor est auctoritas, sed minor oraculorum amplitudo.

2. Duodecim Prophetarum Minorum vaticinia jam in unum volumen collecta fuerant ante tempora auctoris Ecclesiastici, ut constat ex cap. XLIX, 12 : *Et duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo : nam corroboraverunt Jacob, et redemerunt se in fide virtutis ;* S. Stephanus allegans (*Act.* VII, 42) aliqua Amosi verba, ait se ea desumpsisse e *libro Prophetarum*. Ab eo tempore in omnibus Scripturæ canonibus XII Prophetæ Minores recensiti fuerunt tanquam unum volumen efformantes. Cur autem in unum volumen conjuncti fuerint, hanc dat rationem David Kimchi (3) : « Tradunt doctores nostri piæ memoriæ esse illos in unum librum coactos, ne, si singuli seorsim manerent, unus aut alter ob parvitatem periret. »

3. Duodecim Prophetæ in textu hebræo, Vulgata latina et versione syriaca, disponuntur hoc ordine, qui convenit cum ordine chronologico pro iis saltem Prophetis, quorum ætas

(1) Eorum testimonia indicata vide in *Introduct. Gen.* c. III.

(2) Cfr. *Commentaria* S. Hieron., S. Cyrill. Alex., Riberæ, Cornelii a Lap., Calmet, etc.

(3) *Præf. in Os.*

prophetiarum nota est : Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Paulisper differt pro quinque prioribus ordo versionis LXX, hoc modo : Osee, Amos, Michæas, Joel, Abdias, Jonas, reliqui ut in hebræo.

4. Duodecim hi Prophetæ lingua hebraica omnes, dispari tamen stylo atque dispari sermonis puritate, sua vaticinia exararunt. Quod autem attinet eorum auctoritatem, illud dumtaxat hic monuisse sufficiat duodecim Prophetas et in Scriptura sæpius allegari et in omnibus Scripturarum canonibus inde ab initio recenseri.

1. *Osee.*

5. Osee (הוֹשֵׁעַ), Beeri filius, vaticinatus est in diebus Oziæ, Joathan, Achaz et Ezechiæ, regum Judæ, et in diebus Jeroboami II, regis Israel. Coævus igitur fuit Isaiæ Prophetæ, et, sicut ille, diutissime, per sexaginta circiter annos, prophetavit. « Osee, inquit S. Hieronymus (1), commaticus est et quasi per sententias loquitur. » Hinc ejus dictio sæpius obscura est et multas interpretibus ingerit difficultates.

6. *Argumentum.* Osee vaticinia commode in duas partes distinguuntur. In prima parte (I-III), sub figura mulieris fornicariæ ab ipso, jussu Dei, in uxorem ducta, repræsentat Propheta Israelitas a Deo per fornicationem cum idolis seu per idololatriam aversos. Hæc mulier tres gignit liberos quorum nomina, interprete Osee, significant Israelitas ob idololatriam a Deo rejiciendos et gravibus malis affligendos. Prædicit autem Propheta fore ut Israelitæ, Dei misericordiam consecuti, in ejus gratiam redeant. Quia vero Israelitæ idololatræ gentiles repræsentant, hinc typice Propheta prædicit conversionem gentium ad Christum, ut docet nos divus Paulus (2). Rursus Osee, sub figura uxoris adulteræ quam dilectam et pretio emptam ad se non statim accersit, sed dies multos absque viro expectare jubet, dum et ipse eam exspectat, prædicit Israelitas dies multos fore sine principe et sacrificio, post diuturnam vero istam repro-

(1) *Præf. in XII Prophetas.*
(2) *Rom.* IX, 25-27.

bationem tandem ad verum Deum seu Christum redituros (1). Secunda pars (IV-XIV) continet oracula parum inter se connexa, quibus Propheta habitatores Israel et Judæ objurgat, eorum crimina, maxime idololatriam, arguit, prædicitque in horum scelerum pœnam in captivitatem abducendos donec eorum Deus aliquando memor sit.

2. *Joel.*

7. Joel (יוֹאֵל), Phatuelis filius, vaticinia sua stylo nitido, eleganti ac puro, exaravit. Nihil de ejus vita, patria et tempore quo vixerit, Scripturæ tradunt. Asserit S. Hieronymus (2) « Prophetas, in quibus tempus non præfertur in titulo, sub illis eos regibus prophetasse, sub quibus et hi, qui ante eos habent titulos, prophetarunt. » Juxta hanc regulam, a pluribus tamen rejectam et a S. Hieronymo pro Abdia et Habacuc neglectam, Joel prophetaverit sub Ozia ejusque successoribus, sicut dictum est de Osee; alii volunt Joelem esse Osee antiquiorem atque sub rege Joas vixisse; alii e contra eum faciunt juniorem atque collocant vel sub Ezechia vel sub Manasse, quo non esse recentiorem ex puritate styli satis apparet.

8. *Argumentum.* Brevior hæc prophetia describit extrema mala quæ passura est Judæorum terra, urente siccitate et destructis vineis atque agris ab erucis, locustis, bruchis et rubigine, sub quorum insectorum imagine Propheta, juxta S. Hieronymum et alios interpretes, prædicit mala Judæis obventura ab inimicis eorum, nempe a Chaldæis, Persis, Græcis et Romanis. Postquam autem Propheta ista mala peccatori populo comminatus est, ipsum ad pœnitentiam et jejunium hortatur, atque post pœnitentiam futura bona repromittit, prædicitque Spiritum Domini in omnes effundendum, quæ effusio, divo Petro attestante, post ascensionem Domini in die Pentecostes facta est. Ultimo capite describit Propheta ultimum judicium in valle Josaphat, in quo Deus omnes gentes judica-

(1) Plerique Patrum, Basilius, Cyrillus Al., Augustinus, quos sequuntur antiqui interpretes et nonnulli recentiores, docuerunt has actiones realiter contigisse. Plures vero recentiores, duce S. Hieronymo, tenent eas meras esse parabolas, aut symbola in visione manifestata.

(2) *Præf. in XII Proph.*

turus est. Judicium illud secutura prænuntiatur summa populi Dei felicitas.

3. *Amos*.

9. Amos (עָמוֹס), pastor ovium e civitate Thecue oriundus, vaticinatus est sub Jeroboamo II, rege Israelis, et sub Ozia, rege Juda (*Amos.* I, 1; VII, 15). Dum in Bethel prophetaret, adversarium habuit sacerdotem quemdam, nomine Amasiam, qui ejus prophetiam cohibere volens, ipsum rebellionis accusavit apud regem Israel Jeroboam. Statim autem Amos temerario sacerdoti prædixit uxorem ejus dehonestandam fore, filiosque et filias gladio perituros Israelemque captivum de terra sua migraturum (VII, 10-17).

10. *Argumentum.* Amos præsertim vaticinatus est adversus regnum Israel; attamen etiam de Juda et finitimis populis locutus est. Capite I-II prædicit iram Dei effundendam in Damascum, Gazam, Ascalonem, Azotum, Tyrum, Theman, Bosram, Ammonitas, Moabitas atque in Judam et in Israelem in pœnam eorum scelerum. Pergit Propheta (III-VI) Israelem arguere multorum criminum, præsertim idololatriæ, ad quæ castiganda Deus migrare Israelitas faciet trans Damascum. Denique (VII-IX) sub variis symbolis iterum prædicit mala Israelitis imminentia atque captivitatem; eos tamen in fine solatur spe reditus atque restitutionis regni Davidis in sua pristina prosperitate, quibus verbis, Jacobo Apostolo testante (*Act.* XV, 16), tempora Messiæ designat.

11. Amosi oracula eleganti stylo conscripta sæpius in aliis libris sacris allegantur. Sic *Tob.* II. 6 dicitur : *Memorans illum sermonem, quem dixit Dominus per Amos Prophetam : dies festi vestri convertentur in lamentationem* (*Amos.* VIII, 10). S. Stephanus (*Act.* VII, 42) Judæos alloquens verba Amosi (V, 25) usurpat, et ait ea esse deprompta e libro Prophetarum. Idem fecit S. Jacobus in concilio Jerosolymitano (*Act.* XV, 16).

4. *Abdias*.

12. Abdias (עֹבַדְיָה) Propheta « parvus supputatione versuum non sensuum, » ut inquit Hieronymus, vaticinium breve edidit

adversus Idumæos. Quonam autem tempore prophetaverit nullibi proditum est. Aliqui putant ipsum prophetasse sub Jechonia circa tempora captivitatis; alii, tenentes Prophetas minores ordine chronologico dispositos esse in textu hebraico, Abdiam Amosi, Oseæ et Isaiæ coævum faciunt. S. Hieronymus juxta traditionem Hebræorum eum sub Achab reponit.

5. *Jonas.*

13. *Argumentum.* Jonas (יוֹנָה), Amathi filius et Osee atque Isaiæ coævus, pœnitentiam Ninivitis a Deo prædicare jussus, renuit. Tunc a facie Domini fugere volens, navim ascendit in Joppe, ut iret in Tharsin. Subito gravis exoritur in mari tempestas, navis periclitatur, nautæ aliquem ex navigantibus iram summi Numinis meruisse rati, sortes mittunt. Cadit sors in Jonam, qui in mare projectus a grandi pisce deglutitur. Postquam autem tribus diebus et tribus noctibus in ventre ceti permansisset orans, Jonas in littus maris a pisce evomitur (I-II). Tunc Jonas iterum a Deo jussus Ninivitis pœnitentiam prædicare, Niniven, urbem amplissimam, ingreditur et perlustrat clamans : *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur.* Crediderunt Ninivitæ Deo et pœnitentiam cum rege suo egerunt. Idcirco misertus est eorum Deus (III). Jonas vero afflictione pressus ex urbe secessit et sedit contra orientem civitatis, ubi fecit sibi umbraculum, sub quo requiescebat expectans quid eveniret civitati. Fecit autem Deus subito exoriri et crescere cucurbitam (*Kikaion*), quæ contra ardorem solis Jonam protegebat ; mane vero vermis corrosit cucurbitam quæ statim exaruit. Jonas, ardore solis æstuans, mortem appetebat. Tunc Deus ipsum reprehendit quod ita tristaretur de interitu hujus plantæ; dum nulla miseratione tangeretur in Ninivitas, nec vellet ut Deus parceret civitati, in qua erant plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciebant quid esset inter dextram et sinistram suam (IV).

14. *De veritate libri Jonæ.* Gravis movetur inde ab antiquo quæstio quid sentire debemus de Jona, qui dicitur triduo fuisse in ventre ceti, quod incredibile videtur. Deinde quid sibi etiam illud vult supra evomitum Jonam cucurbitam natam? S. Augu-

stinus (1) jam animadvertit : « hoc genus quæstionis multo cachinno a paganis graviter irrisum. » Paganis consentiunt recentiores increduli, qui narrationem totam nulla ratione verisimilem, atque omni veræ historiæ nota destitutam habent. Ex iis autem qui rejiciunt Jonæ historiam, alii, ut Grimm, Sonnemayer, eam somnium existimant, visionem alii, ut Blasche, allegoriam historicam aut doctrinalem plurimi, inter quos numerantur apud De Wette (2) qui ipsis assentitur, Von der Hardt, Semler, Michaelis, Herder, Niemeyr, Eichhorn, Stäudlin, Hezel, Paulus, Müller, Meyer, Pareau, alii quibus adjungendus est ex Gallis Munck.

15. Ad quos omnes breviter cum S. Augustino respondemus : « Quod aut omnia divina miracula credenda non sint, aut hoc cur non credatur, causa nulla sit. » Neque enim divinæ potentiæ difficilius est efficere ut homo tribus diebus in ventre ceti vivus permaneat, quam ut Lazarus post quatuor dies jam fœtens e sepulcro resuscitatus exeat. Utrumque enim incredibile videtur, sed tamen Deo possibile.

16. Videamus porro an Jonæ narratio historice accipienda sit aut allegorice, an tanquam eventus naturalis aut tanquam miraculum ? Vere et realiter contigisse ex Scriptura ipsa colligitur. Discimus ex *IV Reg.* XIV, 25 Jonam prophetasse sub Jeroboam II, rege Israel, adeoque Isaiæ, Osee et Amosi fuisse coævum (3). Quæ autem in libro Jonæ narrantur apprime huic ætati conveniunt, siquidem Ninive tunc florentissima erat. Quod autem in ventre ceti Jonas tribus diebus fuerit, Ninivitis prædicaverit, qui pœnitentiam egerint, Christus ita clare asserit, ut negari nequeat nisi ipsa Christi verba negentur. Dixit enim : *Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista et condemnabunt eam : quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ* (4). In versione

(1) *Epist.* 102, 30-31.
(2) *Einleit.* § 236-237.
(3) Cfr. S. Hieron., *Prol. in Jonam.*
(4) *Matth.* XII, 39-41; XVI, 4; *Luc.* XI, 29-30.

græca libri Tobiæ XIV, 5 legimus : *Tolle filios tuos, et vade in Mediam, fili; scio enim quæ locutus est Jonas de Ninive, quoniam subvertetur* ; in versione autem Vulgata non nominatur Propheta qui ruinam Ninivis prædixerit. Jonæ historiam refert Josephus (1) eamque sub Jeroboamo II rege Israel collocat, juxta id quod supra notavimus ex libris Regum. Illud etiam notandum Mahumedanos memoriam Jonæ (2) servasse et habitatores antiquæ Assyriæ prope Mossulam adhuc hodie memoriam Jonæ et jejunii Ninivitarum colere ejusque sepulchrum ibi ostendere (3).

17. Quæritur porro quisnam piscis Jonam deglutiverit ? Scriptura generali appellatione dicit fuisse piscem grandem (*Jon.* II, 1), fuisse cetum (*Matth.* XII, 40), sub qua denominatione æque veniunt balæna, (*la baleine*), pristis, carcharus (*le requin*), orca (*l'orque*), vel aliæ nobis ignotæ belluæ marinæ. Si ille piscis balæna supponatur, Jonas quidem nequiverit in ventrem ejus nisi per miraculum illæsus penetrare ; quia etiam in maximis balænis orificium partis profundioris gutturis, quod in ventrem patet, nimis angustum est ut per illud homo transire possit. Sed illud observandum caput balænæ tertiam corporis ejus partem constituere atque partem profundiorem gutturis unum quid veluti cum ventre piscis efficere, unde fortasse per ventrem piscis illa pars erit intelligenda. Quod si hoc ponatur, bene potuerit Jonas per plures dies in imo gutture balænæ commorare; nam ibi latum patet spatium, quo balæna in unda maris servat pisciculos quibus vescitur. Exinde illæsus Jonas exire potuerit. Difficulter tamen intelligitur quomodo Jonas in balæna vel in alio quovis pisce potuerit respirare nisi Deus rem totam supernaturaliter direxerit. Si ponatur illum piscem esse orcam; marina ista voraxque bellua, quæ quandoque reperitur in mare Mediterraneo, absque læsione deglutit vitulos marinos, et in

(1) *Antiqq.* IX, 10, 1-2. Notat S. Cyrillus Al. (*in Jon.* II) « Græcos in fabulis a se compositis narrare Herculem devoratum quidem a ceto redditum tamen, ab insito pisci calore capite dumtaxat pilis nudato. » Unde concludit historiam Jonæ immerito a paganis irrisam.

(2) *Coran. Sur.* X.

(3) Daras, *Histoire de l'Eglise* t. II. p. 690. Paris 1863. S. Hieronymus tradit suo ævo sepulchrum Jonæ ostensum fuisse in Geth prope Diocæsaream, in quo vico natus erat Propheta.

gastro plures simul servat, quos integros, non tamen vivos, etiam post menses evomit. Potuerit ista bellua et Jonam deglutire et ipsum ejicere integrum nequaquam autem, ut apparet, vivum. Quomodocumque igitur factum explicetur, specialis Dei operatio ibi agnoscenda est, quod docet Christus illud appellando *signum Jonæ Prophetæ* (1).

18. Quæritur 2° quænam sit illa planta vel arbuscula quæ cito crevit ut ab ardente sole Jonam protegeret, citoque a verme corrosa periit?

19. Arbuscula ista in textu hebræo vocatur קִיקָיוֹן *Kikaion* seu *Ciceion*, ut Hieronymus pronuntiat. Ista vox semel dumtaxat in Scripturis reperitur, in hoc scilicet Jonæ loco. Hanc arbusculam LXX appellarunt *κολοκυνθην*, cucurbitam auctor veteris Italæ. Aquila vero et Theodotio *κισσον* verterunt, quos secutus in Vulgata Hieronymus *hederam* posuit. Discimus porro ex S. Augustino (2) tantum tumultum exortum esse in aliqua ecclesia africana, audita nova Hieronymi versione, ut cogeretur episcopus antiquam translationem reassumere.

20. Quænam igitur planta sit קִיקָיוֹן *Kikaion?* Docet Michaelis esse *Ricinum* (3). Hanc arbusculam ita describit S. Hieronymus: « Pro cucurbita, sive hedera, in hebræo legimus *Ciceion* (קִיקָיוֹן), quæ etiam lingua syra et punica *Ciceia* dicitur. Est autem genus virgulti, vel arbusculæ, lata habens folia, in modum pampini et umbram densissimam, suo trunco se sustinens, quæ in Palæstina creberrime nascitur, et maxime in arenosis locis : mirumque in modum si sementem in terram jeceris, cito confota consurgit in arborem, et intra paucos dies, quam herbam videras, arbusculam suspicis. » Quamvis autem tam cito crescat ista arbuscula, non videtur tamen subitum illud incrementum absque speciali Dei dispositione posse explicari. « *Ciceion* autem cum in ortu subito miraculum præbuerit, et potentiam ostenderit Dei in protectione virentis umbraculi et naturam suam secuta est (4). »

(1) Cfr. Bible de Vence (éd. Avenion.) *Dissert. sur Jonas conservé dans les entrailles d'un poisson;* et nostrum opuscul., *Le Prophète Jonas,* Louvain, 1874.

(2) *Epist. inter Hieronymian.* 104.

(3) « Le Ricin ou le Palma-Christi, plante de la famille des euphorbiacées, de laquelle on extrait une huile employée en médecine comme purgatif. » Ap. Michaelis *supplem. lexic. hebr.* ad h. v. Sermo latinus, inquit S. Hieron., non habet hanc speciem arboris, quam Hebræi *Ciceion* vocant.

(4) Ita S. Hieron. *In Jon.* IV, 6.

6. *Michæas.*

21. *Argumentum.* Michæas (מִיכָה) de Morasthi, vicula haud grandi prope Eleutheropolim, urbem Palæstinæ (1), munus propheticum obiit sub Joathan, Achaz et Ezechia, ut patet ex inscriptione (I, 1). Vaticinatus est Michæas adversus regnum Israel et adversus regnum Juda. Prædixit ruinam Israelis : *Ponet*, inquit, *Dominus Samariam quasi acervum lapidum in agro cum plantatur vinea.* Quod vaticinium mox impletum fuit, capta a Salmanasare, rege Assyriorum, Samaria. Invehitur deinde sacer Vates in falsos prophetas et prædicit : *Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit... dole*, inquit, *filia Sion, quia nunc egredieris de civitate et habitabis in regione et venies usque Babylonem , ibi liberaberis* (III-IV). Annuntiat deinde Propheta Christum in Bethleem nasciturum (V, 2), quam prophetiam Evangelistæ Matthæus (II, 6) et Joannes (VII, 42) referunt et impletam ostendunt.

22. Rationalistæ variis modis impugnant librum Michææ; sed ejus authentia, cum aliunde, tum præsertim ex *Jerem.* XXVI, 18-19 invicte probatur. Cum enim sacerdotes apprehendissent Jeremiam , quia captivitatem prænuntiabat , dixerunt ad eos seniores populi : *Michæas de Morasthi fuit Propheta in diebus Ezechiæ regis Juda, et ait ad omnem populum Juda dicens : hæc dicit Dominus exercituum : Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem in acervum lapidum erit : et mons domus in excelsa sylvarum. Numquid morte condemnavit eum Ezechias rex ?* Ex hoc loco evidentissime constat authentica, vera atque divina esse quæ in libro Michææ legimus de captivitate Babylonica ac consequenter de Samaria et de Christo, cum hæc omnia in libro intime sibi cohæreant.

7. *Nahum.*

23. Nahum (נַחוּם) brevem nobis reliquit prophetiam contra Niniven, in qua ruinam atque eversionem istius civitatis annun-

(1) Cfr. Hieron. et Cyrill. Al ad h. l.

tiat. Adimpletum fuit istud vaticinium per destructionem Ninivis per Cyaxarem et Nabopolassar, quo tempore Josias in Judæa regnabat. Fuit autem Nahum patre vel patria Elcesæus juxta prophetiæ inscriptionem : *Liber visionis Nahum Elcesæi.* « Quidam putant, inquit Hieronymus, Elcesæum patrem esse Nahum et secundum hebræam traditionem etiam ipsum Prophetam fuisse : cum Elcesi usque hodie in Galilæa viculus sit, parvus quidem et vix ruinis veterum ædificiorum indicans vestigia, sed tamen notus Judæis, et mihi quoque a circumducente monstratus. » Quonam tempore Nahum prophetaverit non liquet. Josephus (1) tradit eum prænuntiasse ruinam Ninivis annis centum et quindecim antequam evenerit, adeoque sub Achaz. S. Hieronymus autem Nahum sub Ezechia reponit ; traditio vero Hebræorum sub Manasse.

8. *Habacuc.*

24. Habacuc (חֲבַקּוּק), græce Αμβακουμ, proxime sequitur Nahum. Putat S. Hieronymus, quem sequuntur nonnulli, hunc Prophetam eumdem esse cum Habacuc libri Danielis atque idcirco vaticinatum esse tempore captivitatis Babylonicæ. Alii vero autumant diversos esse Prophetas, atque Habacuc, cujus vaticinia habemus, vixisse vel sub Manasse vel sub Josia. Ceterum de hac re nihil certi habemus. Prædicit autem Habacuc Judæorum exitium per Chaldæos inferendum, Chaldæorum punitionem et excidium Babylonis. Invehitur deinde adversus ambitiosos et idololatras et sublimi cantico in memoriam revocat mirabilia a Dei potentia atque misericordia patrata omnemque suam spem in Deo salvatore suo reponit. Prophetiæ Habacuc mentionem fecit Paulus in oratione ad Judæos Antiochiæ Pisidiæ hisce verbis (*Act.* XIII, 41) : *Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in Prophetis : Videte, comtemptores, et admiramini et disperdimini : quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis narraverit vobis* (*Habac.* I, 5).

(1) *Antiqq.* IX, 2.

9. *Sophonias.*

25. Sophonias (צְפַנְיָה), Chusi filius, sub Josia, rege Judæ, vaticinatus est, ut constat ex inscriptione (I, 1). Comminatur Propheta peccatoribus, maxime idololatris, gravissima mala ; exitium denuntiat Gazæ, Azoto, Accaron, Ascalon, Moabitis, Ammonitis, Æthiopibus et Ninivi. Invehitur rursus in Judæos, eis iram divinam minatur; denique salutem a Deo promittit.

10. *Aggæus.*

26. Aggæus, Zacharias et Malachias, qui ultimum tenent locum inter minores Prophetas, vaticinati sunt post captivitatem Babylonicam.

27. Aggæus (חַגַּי) munus propheticum iniit anno secundo Darii regis (520 a. Chr.), id est Darii, filii Hystaspis, regis Persarum (1). Quum intermissa fuisset templi Jerosolymitani reædificatio, Deus suscitavit Prophetas suos Aggæum et Zachariam, qui ex parte Dei, anno secundo Darii regis, Judæos hortati sunt ad continuandam templi exstructionem. De hac re præclarum habemus testimonium *I Esdr.* V, 1-2 : *Prophetaverunt autem Aggæus propheta, et Zacharias filius Addo prophetantes ad Judæos qui erant in Judæa et Jerusalem, in nomine Dei Israel. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, et Josue filius Josedec, et cœperunt ædificare templum Dei in Jerusalem, et cum eis Prophetæ Dei adjuvantes eos.*

28. Brevior Aggæi libellus duo capita complectitur, in quibus narratio historica verbis propheticis conjungitur. In priore capite hortatur sacer Vates Judæos ad urgendam templi reædificationem, qua hortatione excitati statim labori se accingunt. Capite posteriore Propheta consolatur Judæorum senes, qui flebant videndo templum novum templo Salomonis tum magnificentia, tum auri argentique copia multo inferiorem esse. Prædicit Propheta templum hoc secundum primo fore magnificentius quia Desideratus cunctis gentibus illud gloria sua erat illustraturus.

(1) *Agg.* I, 1; II, 1-2.

11. *Zacharias* (1).

29. Zacharias (זְכַרְיָה), filius Barachiæ, filii Addo, Prophetam egit Hierosolymis a mense octavo anni secundi Darii, filii Hystaspis, duobus mensibus post susceptum ab Aggæo munus, cui in suadenda templi ædificatione aliquibus annis intermissa, comitem se præbuit. De ejus natalibus, obitu, rebusque gestis silet Scriptura; dubiæ autem sunt auctoritatis quæ referuntur apud auctores (2).

30. *Argumentum.* « Obscurissimus liber Zachariæ Prophetæ et inter duodecim longissimus (3) » abundat visionibus symbolicis, quod ipsi cum Ezechiele et Daniele commune est. Commode autem in duas partes distinguitur. In prima parte (I-VIII) referuntur octo visiones, partim solatoriæ partim comminatoriæ, quas Propheta mense 11° anni secundi Darii nocte vidit. Symbolicæ istæ visiones spectant futura gentis Judaicæ fata ac tempora Messiæ. Sequitur responsio Prophetæ circa jejunium, et cap. VIII describitur futura Jerosolymæ et regni Messiæ felicitas. In secunda parte (IX-XIV) prædicit Propheta ruinam Tyri atque Philistinorum, præsertim autem fata populi electi et adventum Messiæ, qui veniet tanquam rex justus, et salvator et pauper vectus super pullum asinæ, et pacem nuntiabit gentibus et dominabitur a mari usque ad mare. Pergit Propheta describere regnum Messianum, in quo effundet Dominus super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum ; aspicient Judæi in Christum, quem confixerunt et plangent eum; percutietur pastor et dispergentur oves.

31. *De auctore atque auctoritate vaticiniorum Zachariæ.* Omnes conveniunt octo priora capita auctoris esse Zachariæ Prophetæ qui post exilium vivebat, sed gravis fit controversia de postremis sex capitibus. Si traditionem interrogaverimus,

(1) Cfr. H. L. Sandrock, *Prioris et posterioris Zachariæ partis vaticinia ab una eodemque auctore profecta.* Vratislav. 1856; Reinke, *Die Messian. Weissagung.* IV, 1, 1.

(2) Cfr. Calmet, *Præf. in Zach.* Vide quæ habentur ibi de quæstione an Zacharias idem sit cum illo Zacharia cujus meminit Christus apud *Matth.* XXIII, 35.

(3) Hieron., *Prol. in Zach.*

constat Judæos æque ac Christianos omnes, unanimi consensu, cum priora octa capita, tum sex posteriora Zachariæ auctori referre. Primus J. Mede Anglus (an. 1653) ideo capita IX–XI Zachariæ esse negavit, quia apud *Matth.* XXVII, 9 locus *Zach.* XI, 12 sub nomine Jeremiæ allegatur (1). Secuti sunt quidam alii auctores Angli eadem capita imo totam secundam partem Jeremiæ tribuentes. Newcome e contra cap. IX–XI antiquiori Prophetæ adjudicavit.

32. Eadem capita ad finem sæculi elapsi primus in Germania impugnavit Flügge, quem secuti sunt Michaelis, Seiler, Bauer, Corrodi, Bertholdt, De Wette (in tribus prioribus editionibus, in quatuor posterioribus authentiam secundæ partis admisit), Forbiger, Rosenmüller, Maurer, Hitzig, Knobel, Ewald, Meier, Bleek, Ortenberg, etc. (2). Tantum autem abest ut isti auctores de origine horum capitum conveniant, ut contra Forbiger, Rosenmüller et Hitzig ea Prophetæ ævi Oziæ tribuant; Flügge, Seiler, Michaelis, Bauer, auctori incertæ ætatis; Corrodi vero, Eichhorn, Paulus, Gramberg ea, diu post exilium, ætate Machabæorum aut Alexandri Magni confecta supponant; ceterorum plerique ætate Achazi. Unde jam colligitur nequaquam firmum esse fundamentum quo nituntur viri illi critici. Antiquam traditionem vindicarunt : ex Catholicis Jahn, Herbst-Welte, Glaire, Haneberg, Schegg, Reusch et Danko; ex acatholicis Carpzovius, Backhaus, Sandrock, Köster, Hengstenberg, Umbreit, Hävernick, Keil et De Wette in posterioribus editionibus (3). Cum quibus Zachariæ posteriora capita vindicare conabimur.

33. Hæc sententia probatur argumentis externis et internis, dum e contra adversarii omni externo testimonio destituuntur et ex interna libri indole nonnisi conjecturas depromere possunt. Et revera negari nequit Zachariam auctorem esse octo priorum capitum ; nam diserte ipsi adscribuntur. Porro quæ sequuntur prioribus annexa sunt absque ullo indicio, quo significetur ea alterius esse Prophetæ. Insolitum autem est ut in eodem libro vaticinia diversorum Prophetarum conjuncta reperiantur. Auctor vel auctores canonis Hebræi, qui circa eadem tempora

(1) De hac difficultate agit Reinke, *lib. cit.* p. 24.

(2) Ap. Reinke lib. cit. § 5. p. 21-23.

(3) Ap. Reinke, l. c. p. 23.

vivebant, multo certius distinguere potuerunt quænam vaticinia Zachariæ, quænam alterius auctoris essent, quam recentiores critici. Si igitur vaticinia secundæ partis antiquioris Prophetæ fuissent, nequaquam in eodem libro sub nomine Zachariæ descripta fuissent. Versio græca non diu postea confecta totum etiam librum Zachariæ tribuit. Nec desunt interna indicia quibus traditionis fides roboretur. Etenim auctor ostendit se perlegisse vaticinia Isaiæ, Ezechielis et aliorum (1), et supponit transactam captivitatem Babylonicam (2). Præterea in utraque parte sæpius sermo fit de iisdem rebus. Imo in ipso eloquio utriusque partis quædam reperitur affinitas et adhibentur nonnulla vocabula Zachariæ maxime propria.

34. *Obj*. Prior pars prosa oratione, posterior metrica conscripta est; prior symbolis constat, posterior iis caret. Insuper auctor posterioris partis de populo electo ita loquitur ut distinguantur Juda et Ephraim, regnum Judæ et regnum decem tribuum; quod indicium est auctorem vixisse quo tempore utrumque regnum adhuc exstabat.

35. *Resp*. Sunt alii Prophetæ quorum vaticinia partim prosa oratione partim metrica exarata sunt, ut Osee, et Isaias; adeoque allata differentia inter utramque vaticiniorum partem nihil probat. Prosa oratione descriptæ sunt Zachariæ visiones quemadmodum actiones symbolicæ apud Oseam, visiones apud Ezechielem et Danielem. Non omnia symbolica sunt apud Oseam et Ezechielem; sic etiam in Zacharia una tantum pars visionibus, altera sermonibus propheticis constat. Denique Zacharias bene potuit loqui de Juda et Israel diu post horum regnorum exstinctionem, ubi futuram duodecim tribuum adunationem prænuntiabat, quia præcedentes Prophetæ idem fecerant. Ceterum exinde si quis vellet concludere contra Zachariam, deberet etiam eum auctorem negare prioris partis, in qua (cap. VIII, 13) occurrit eadem distinctio.

(1) Cfr. *Zach*. X, 3; XIII, 8-9 cum *Ezech*. XXXIV, 17; V, 1-4; *Zach*. IX, 12. cum *Is*. XL, 2; etc. Vid. Reinke l. c. p. 28.

(2) *Zach*. X, 6.

ctavit (I). Tunc Mathathias sacerdos cum quinque filiis suis exercitum collegit Judæorum in avita religione perseverantium, atque regionem perlustrans præfectos regis Antiochi et Judæos apostatas trucidavit (II). Mathathiæ, anno 166 a. Chr. defuncto, successit ejus filius Judas, Machabæus nuncupatus, vir fortissimus, qui ingentes Syrorum exercitus paucis copiis, repetitis præliis, profligavit, templum instauravit et omnes Judæorum hostes debellavit (III-VIII). Quum autem, post multas clades hostibus inflictas, Judas, anno 160 a. Chr., in prælio adversus exercitum regis Demetrii occubuisset, in ejus locum suffectus est Jonathas, ipsius frater, qui, multis etiam victoriis reportatis, hostium insidiis periit (IX-XII). Ipsi successit Simon, primogenitus filius Mathathiæ, qui principatum et summum sacerdotium jure hæreditario accepit, et fortiter se gessit donec, anno 135 a. Chr., a genere suo Ptolemæo interfectus fuit (XIII-XVI). Hucusque liber primus, quo complectitur historia quadraginta annorum, ab initio scilicet Antiochi Epiphanis usque ad mortem summi sacerdotis Simonis.

3. Initio libri secundi referuntur duæ epistolæ Judæorum Jerosolymam inhabitantium ad Judæos Ægypti, quibus, inter alia, eis significant sacrificia rursus in templo offerri festumque Encæniorum celebrari. Sequitur præfatio qua auctor dicit se Jasonis Cyrenæi historiam, quinque voluminibus comprehensam, abbreviavisse (I-II). Refert deinde auctor quomodo Heliodorus, Seleuci Philopatoris dux, ad rapiendos templi thesauros missus, divinitus impeditus fuit (III). Sequitur narratio persecutionum et bellorum, quæ sub Antiocho Epiphane, Antiocho Eupatore et Demetrio in Judæa gesta sunt (IV-XIV). Hic referuntur fortissimum Eleazari senis atque matris cum septem suis filiis martyrium (VI-VII) et præclara faustaque Judæ Machabæi prælia adversus duces regum Syriæ (VIII-XIV). Ista naratio complet et illustrat ea quæ in libro primo recitata fuerunt.


4. *Lingua et auctor.* Librum primum lingua hebraica exaratum fuisse testatur S. Hieronymus in *Prol. Galeat.* : « Machabæorum primum librum hebraicum reperi. » Ex illo textu jamdiu deperdito confecta fuit versio græca, quæ, ob frequentes hebraismos, satis indicat librum primitus hebraice fuisse conscriptum. Secundus liber lingua græca, eaque satis eleganti,

exaratus fuit. Utriusque libri versio latina ex græco derivatur. Ista versio latina, cum a S. Hieronymo non fuerit correcta, habetur in editione Vulgata prout olim exstabat in veteri Itala.

5. *Veritas historica.* Cum ambo libri Machabæorum eamdem fere historiam referant seque mutuo illustrent, hinc continuo conferendi sunt. Ex hac autem collatione plures oriuntur apparentes antilogiæ, quæ Rationalistis ansam præbuerunt ut negarent horum librorum veritatem historicam. Sed absque jure, ut statim probabimus. Etenim auctores librorum Machabæorum rebus narrandis coævi fuerunt, res narrant publicas, omnibus notas, fatis nationis Judaicæ intime connexas, allegant monumenta publica in probationem veritatis eorum quæ referunt. Eamdem igitur merentur fidem, quam merentur ceteri historici, ubi res publicas suo ævo gestas narrant. Præterea auctor libri secundi testatur se abbreviasse magnum Jasonis Cyrenæi opus. Libri igitur Machabæorum omnibus veræ historiæ notis insigniuntur. Idcirco Josephus ad eorum auctoritatem sæpius recurrit. Differunt quidem in supputatione annorum, ita ut auctor libri primi in supputandis aliquorum eventuum annis, uno anno præcedat auctorem libri secundi. Sed ista discrepantia ex eo provenit quod scriptor libri primi, hebraice pro Judæis palæstinensibus scribens, annum incipiat, juxta Judæorum morem, a mense *Nisan* (Aprili); alter vero abbrevians opus Jasonis Cyrenæi supputationem auctoris quem ipse abbreviabat servaverit, et annum inceperit ab insequenti mense *Tischri* (Octobri) ejusdem anni. Unde facta quæ contigerunt intra illud temporis spatium quod effluit a Nisan ad Tischri, si ab auctore libri I ponuntur v. g. in anno æræ syromacedonicæ 149, ab auctore libri II ponentur in anno 148. Hinc intelligitur quomodo *I Mach.* VI, 16 dicatur Antiochum Epiphanem mortuum esse anno Græcorum 149, et *II Mach.* XI, 27-33 referatur epistola post mortem Epiphanis ab ejus successore data anno 148, die 15 mensis Xanthici (1).

6. Urgetur etiam aliqua prætensa contradictio inter *I Mach.*

(1) Æra Seleucidarum, quam sequuntur libri Machabæorum, incipit a mense Octobri 312 a. Chr. Liber autem primus menses numerat juxta morem Judæorum, incipiendo a mense Nisan, qui Marti vel Aprili respondet, adeoque incipit



SS. Cor Jesu.

PARS SECUNDA.

INTRODUCTIO SPECIALIS IN LIBROS NOVI TESTAMENTI.

CAPUT I.

DE ORIGINE, PROPAGATIONE ATQUE COLLECTIONE LIBRORUM NOVI TESTAMENTI (1).

1. Absolutis iis quæ ad veteris Testamenti libros pertinent, gressum facimus ad scripta novi Testamenti. Et istorum quidem librorum eo accuratius nobis investiganda est origo, exponendum argumentum, stabilienda authentia, defendenda integritas, vindicanda fides, quo vehementius hodiedum a Rationalistis omni sophismatum genere impugnantur.

2. Illud autem statim in limine observare juvat, fidem scilicet prædicatam et per orbem sparsam fuisse antequam vel unum dogma scripto mandaretur, Ecclesiam catholicam fundatam fuisse antequam ullus novi Testamenti liber exstaret ; ac consequenter, quamvis maximi facienda sit divina Evangeliorum auctoritas, quamvis Epistolæ Apostolorum uberrimum veritatum cœlestium fontem constituant, falsum esse illud Protestantium assertum, quo contendunt veram salutis doctrinam unice ex Scripturis hauriendam esse ; quum e contra vera doctrina sit repetenda ab Ecclesia, cui eam Christus per prædicationem tradidit. Etenim Christus Salvator nihil quidquam scriptum reliquit (2), sed doctrinam suam viva voce hominibus commu-

(1) Cfr. Reithmayr, *Introduction au N. T.* traduite par De Valroger. Paris. 1861. t. I, Sect. I, § 2-3; Güntner, *Introductio in N. T.* Pragæ 1863. Part. I, sect. I, c. 1; Ad. Maier, *Einleitung in die Schrift. d. N. T.* Friburgi 1852, 2. p. sect. I, § 134, sqq.

(2) Christo tribuitur epistola ad Abgarum, Edessæ regem, quam refert Eusebius (*Hist. Eccles.* I, 13). Syriace ex antiquissimo codice eam edidit Curetonius. Moses Chorenensis tradit hanc ad Abgarum epistolam nomine Christi a Thoma Apostolo scriptam fuisse. Danko cum plerisque negat epistolam esse authenticam. Nonnulli contrarium sentiunt. Quidquid autem sit, epistola non est recepta inter Scripturas canonicas.

nicavit. Etenim, postquam per triginta annos ignotus fere inter homines delituerat, in publicum prodiit, et baptismate a Joanne in Jordane accepto jejunioque quadragenario præmisso, pœnitentiam ac regni Dei doctrinam adventumque prædicare cœpit. Tunc universam Galilæam et Judæam circuibat indefesse omnibus Evangelium prædicans. Docebat in templo, in synagogis, per civitates et castella, in monte, in solitudinibus, ad littus maris, in navicula sedens, publice turbas, privatim discipulos. Si qua se occasio offerebat, si quod miraculum patrabat, si qua vinea, si quis ficulneus, si quod granum sinapis, si quæ nuptiæ, aut quidpiam aliud occurrebat, inde exordium sumebat ut divina dogmata revelaret. Postquam autem ita per tres annos salutaris doctrinæ semina sparserat per universam Galilæam atque Judæam, morte devicta, in cœlum se recepit, quum dogmatis aut præcepti nihil quidquam scripsisset, sed Apostolis suis præcepisset ut *prædicatione* non *Scriptura* veritatem evangelicam hominibus annuntiarent.

3. Apostoli igitur, accepta ex promissione Christi assistentia Spiritus sancti, initium prædicationis sumentes *a Jerosolyma et omni Judæa et Samaria et usque ad ultimum terræ, prædicant Evangelium omni creaturæ cunctasque gentes docent servare omnia quæcumque Christus ipsis mandaverat* (1). *Illi autem profecti*, inquit Evangelista, *prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* (2). Statim fides quocumque diffunditur viva Apostolorum voce non Scriptura. Jam Syria, Mesopotamia, Asia Minor, Græcia, Ægyptus atque Italia, fidem christianam susceperunt; jam in fines orbis terræ pervenerunt verba Apostolorum (3). *Quæ vidimus oculis nostris*, inquiunt divi præcones, *quod perspeximus et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ... annuntiamus vobis* (4). Postquam igitur viva voce per aliquod tempus Christi gesta atque præcepta Apostoli prædicaverant ac miraculis doctrinæ suæ auctoritatem præbuerant; quum jam universus orbis veritates fidei traditione non Scriptura susceperat; tum divi illi discipuli singulari Dei pro-

(1) *Matth.* XXVIII, 20; *Marc.* XVI, 15; *Act.* I, 8.
(2) *Marc.* XVI, 20.
(3) *Rom.* X, 18.
(4) *I Joan.* I, 1.

videntia divinoque instinctu impulsi, rogantibus fidelibus, dicta Magistri atque facta litteris consignarunt ut exemplo vitæ essent christianis et perpetuo divinæ doctrinæ testimonio.

4. Hoc jamdiu animadverterunt SS. Patres. Unus audiatur Eusebius (1) : « Admirabiles illi prorsusque divini Apostoli Servatoris nostri, cum essent vita quidem ac moribus castigatissimi, et omnibus virtutibus ornati, sermone autem ipso rudes essent et inculti : freti divina et mirifica virtute ipsis a Servatore concessa, artificioso ornatu Magistri sui præcepta exponere neque noverant neque item conabantur. Sed adjuvantis illos Spiritus sancti demonstratione et virtute Christi, quæ per ipsos plurima perpetrabat miracula tantummodo utentes, notitiam regni cœlorum orbi terrarum nuntiabant. Neque curæ illis erat libros scribere ; quippe qui longe præstantiore ministerio et supra humanas vires posito fungerentur. » Exponit deinde Eusebius quanam ratione impulsi Matthæus, Marcus, Lucas et Joannes, suum unusquisque Evangelium scripserit.

5. Igitur neque in proprium usum, neque ut memoriæ defectum sublevarent (siquidem Spiritus sanctus ipsis suggerebat omnia quæcumque Christus ipsis dixerat) Apostoli evangelica scripta composuerunt, sed ut votis atque necessitati fidelium qui id rogabant satisfacerent (2).

6. Eodem modo Apostoli, ut variis ecclesiarum ab ipsis fundatarum exigentiis succurrerent, Epistolas suas conscripserunt. Etenim statim ac alicubi fidem nuntiaverant atque ecclesiam fundaverant, constitutis in hac ecclesia præpositis qui vices eorum explerent, ipsam derelinquebant atque alio pergebant, Evangelium omnibus prædicaturi juxta præceptum ipsis a Salvatore impositum. Si quæ nascebantur post discessum Apostolorum quæstiones, quas solvere fideles non valebant, recursus fiebat ad Apostolos. Si Romæ aut apud Galatas oriebantur inter judæo-christianos et ethnico-christianos æmulationes et controversiæ de abolitione legis Mosaicæ, de gratuita justificatione per fidem, de reprobatione Judæorum, si Corinthii

(1) *Hist. Eccl.* III, 24; Cfr. Irenæus, *Contra hær.* l. III, c. IV, 1-2; S. Chrysost., *Hom. I in Matt'*. Tertullianus, *De præscript.* 19-22.

(2) Dicemus infra quanam occasione unumquodque Evangelium fuerit compositum.

erant corrigendi, Philippenses monendi, Colossenses confortandi; si quæ in Judæa, in Asia aut alibi ecclesiæ aut instructione aut correptione indigebant, Apostoli absentes per epistolas respondebant et divina sua auctoritate lites componebant, sive controversia haberetur de dogmate, sive de disciplina. Si qui ecclesiarum præpositi, ut Titus vel Timotheus, consilio aut directione indigebant, eos Apostoli per litteras instruebant. His similibusque causis in decursu operis indicandis originem debent Apostolorum Epistolæ.

7. Quum libri novi Testamenti a variis auctoribus atque diversis temporibus fuerint conscripti et ad ecclesias diversas directi, non statim absoluta fuit eorum collectio. Unaquæque ecclesia possidebat scripta quæ ad ipsam fuerant directa, atque eorum autographa in suo thesauro magna religione conservabat. Hæc autographa lectionibus publicis inserviebant atque exinde alia describebantur exemplaria, quæ fideles ad alias ecclesias mittebant vel apud se in suum usum retinebant. Verisimile est ea autographa Apostolis non diu superfuisse. Nam scriptores sæculi secundi nullibi ad ea provocant, nequidem quando confutare student hæreticos scripta novi Testamenti adulterantes, quod tamen medium maxime idoneum fuisset ad eorum fraudem detegendam. Et revera facile concipitur illos codices, quotidiano ecclesiarum apostolicarum usu tritos, charta forsan communi confectos, mox consumptos fuisse, fortasse etiam dispersos per persecutiones, quæ ecclesias illas non semel turbaverunt (1).

8. Plures autem causæ effecerunt ut scripta apostolica ad præcipuas ecclesias rapide devenirent. Etenim Apostoli quandoque monebant fideles ad quos epistolas dirigebant, ut eas aliis ecclesiis communicarent (2). Nec erat istud mandatum necesse;

(1) Vid. *Introd. gen.* p. 107-108. Venetiis et Pragæ asservatur codex latinus Evangelii S. Marci, quem autographum esse S. Marci fama ferebat, sed falso. Nam iste codex nonnisi pars est codicis Forojuliensis, quo continentur quatuor Evangelia. Igitur si codex propria S. Marci manu exaratus fuisset, oporteret S. Marcum transtulisse latine reliqua tria Evangelia, quod antiquorum nemo tradidit et cum Marci historia stare nequit. Præterea versio latina, quam continet iste codex, est versio S. Hieronymi, quod patet ex edito fragmento Pragense. Vid. Güntner, *Lib. cit.* § 14, n. 4.

(2) Sic S. Paulus ad *Colos.* IV, 16: *Quum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut et in Laodicensium ecclesia legatur.*

nam summa veneratio, qua singulæ ecclesiæ Apostolos prosequebantur, necessitas recurrendi ad eorum decisiones in rebus dubiis vel adversus hæreticos, frequentes ejusdem fidei ac charitatis relationes quas primi fideles, ut ex Actibus et Epistolis constat, continuo habebant ad invicem, suffecissent ad rapidam Scriptorum apostolicorum propagationem. Ista autem propagatio celerior et expeditior adhuc evasit ob divisionem imperii Romani in urbes metropolitas atque ob frequens commercium quod gerebatur ad littora maris Mediterranei inter Romam, Corinthum, Ephesum, Alexandriam aliasque urbes inferiores. Hinc factum est ut jam ecclesiæ Asiæ Minoris tria priora Evangelia possiderent, quando S. Joannes suum edidit Evangelium (1). Satis etiam apparet ex *II Petr.* III, 15 jam tunc exstitisse quamdam Epistolarum Pauli collectionem. Vergente sæculo primo et secundo ineunte, jam collectiones fere completas possessas fuisse ab aliquibus saltem ecclesiis colligitur ex scriptis Patrum apostolicorum. Etenim S. Ignatius distinguit libros novi Testamenti in *Evangelium* et *Apostolos*, ut fecerunt Patres antiqui, et cum Clemente Romano, Polycarpo, Barnaba, Herma et Papia, plura tum ex Evangeliis tum ex Epistolis recitat. Si quæ omittuntur, exinde non sequitur ea defuisse in collectionibus quibus isti Patres utebantur. Nam Patres apostolici non ex proposito libros enumerabant; sed, data occasione, juxta argumenti exigentiam, hunc vel illum locum recitabant (2).

9. Ecclesiæ autem particulares eo majus studium in colligendis Apostolorum scriptis adhibebant quod istæ collectiones inserviebant lectionibus sacris, quæ populo congregato, durante liturgia, fiebant (3). Quia vero statim ab initio viri auctoritate destituti scripta evangelica et ipsi conficere temere conati fuerant (4), et jam sæculo secundo plura prodierant scripta apocrypha, sub ementito Apostolorum nomine ab hæreticis aut aliis scriptoribus inspiratione carentibus confecta, ecclesiæ ma-

(1) Hoc constat ex indole Evangelii S. Joannis et ex iis quæ tradit Clemens Al. ap. Euseb. *Hist. Eccl.* VI, 14.

(2) Vid. S. Ignat., *Ep. ad Philad.* 5, 8; *Ep. ad Smyrn.* 9. Fusius de hisce testimoniis agetur infra, ubi sermo erit de authentia Evv. et Epp.

(3) S. Justin. *Apolog.* I, 67.

(4) *Luc.* I, 1.

ximas cautiones adhibebant, ne falsa pro veris, apocrypha pro authenticis admitterent. Aderant porro criteria certissima quibus spuria a genuinis distinguerentur : testimonium scilicet ecclesiarum aut personarum quibus scripta apostolica commissa fuerant et consensus doctrinæ in libro contentæ cum aliis libris sacris aut cum prædicatione Apostolorum (1).

10. Ubi ecclesia aliqua, Corinthiaca, Romana, Ephesina, aut alia, scriptum aliquod apostolicum ad se directum suscipiebat, eo ipso testis fiebat apostolicæ hujus scripti originis. S. Paulus (idem de aliis Apostolis dicendum), quotiescumque alicui ecclesiæ epistolam mittebat, ipse propria manu vel integram epistolam scribebat, quod fecit in ea quæ est ad Philemonem, vel saltem aliquas voces adjiciebat ut, inspecta scriptura, fideles de genuinitate epistolæ certiores redderentur (2). Præterea epistolas deferendas committebat viris apprime notis ipsiusque in Evangelio cooperatoribus; plerique nomine suo adhuc noti sunt (3). Epistola autem accepta publice in ecclesia ad quam missa fuerat legebatur, et ita omnes fideles istius ecclesiæ testes fiebant genuinitatis et veritatis illius epistolæ. Pariter Evangeliorum testes fiebant ecclesiæ, in quibus Evangelia primo publicata fuerant. Ubi autem hæc scripta ad alias ecclesias deferebantur, istæ ecclesiæ simul cum scriptis testimonia eorum qui illa miserant accipiebant. Si vero aliquod prodiret scriptum antea incognitum sive sub nomine Apostolorum, sive sub alio quocumque titulo, prima quæstio erat : a quo, per quos, quandonam et quibusnam esset scriptum allatum. Quod si constaret esse ab Apostolis in canone recipiebatur, sin vero rejiciebatur.

(1) S. Irenæus, *Contra hær.* l. III, c. XI, 9, probat Evangelium Valentinianorum rejiciendum, ex eo quod discrepat ab Evangeliis Apostolorum. *Ibid.* cap. IV, 1 docet in disceptationibus *recurrendum ad antiquissimas ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis sumendum quod certum et liquidum est.* Cfr. Tertull. *De præscript.* 19, 32.

(2) Sic in *I Cor.* XVI, 21 : *Salutatio mea manu Pauli.* In *Epist. ad Coloss.* IV, 18 : *Salutatio mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Amen.* In *II Thessal.* III, 18 : *Salutatio mea manu Pauli : quod est signum in omni epistola ; ita scribo.*

(3) Sic ad Philippenses Epistolam misit per Epaphroditum ; ad Corinthios per Fortunatum, Stephanum et Achaicum ; ad Colossenses per Tychicum et Onesimum.

11. Audiatur Tertullianus (1), adversus Marcionem probans Evangelium Marcionis rejiciendum eo quod mera esset Evangelii Lucæ corruptela. « In summa, inquit, si constat id verius quod prius, id prius quod ab initio, id ab initio quod ab Apostolis; pariter utique constabit id esse ab Apostolis traditum quod apud ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus quod lac a Paulo Corinthii hauserint; ad quam regulam Galatæ sint correcti; quid legant Philippenses, Thessalonicences, Ephesii; quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium et Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt. Habemus et Joannis alumnas ecclesias. Nam, etsi Apocalypsin ejus Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensus in Joannem stabit auctorem. Sic et ceterarum generositas recognoscitur. Dico itaque apud illas, nec solas jam apostolicas, sed apud universas, quæ illis de societate sacramenti confœderantur, id Evangelium Lucæ ab initio editionis suæ stare, quod cum maxime tuemur..... Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur Evangeliis, quæ proinde per illas et secundum illas habemus, Joannis dico et Matthæi, licet et Marcus quod edidit Petri affirmetur, cujus interpres Marcus : nam et Lucæ Digestum Paulo adscribere solent. »

12. Quia vero neque uno tempore neque eodem in loco scripta novi Testamenti fuerunt edita; quia etiam ad unam ecclesiam citius, ad alteram serius, fuerunt delata, contigit ut in una ecclesia constaret de divina alicujus libri origine, in altera autem adhuc dubitaretur. Sic ab aliquibus dubitatum est de Epistola ad Hebræos, de Epistola Jacobi, de illa Judæ, de secunda Petri, secunda et tertia Joannis ac de ejus Apocalypsi (2). Tale autem dubium nihil detrahere potest auctoritati divinæ horum librorum, ut fusius infra probabitur.

(1) *Advers. Marcion.* IV, 5.
(2) Vid. Euseb. *Hist. Eccl.* III, 25.

CAPUT II.

DE QUATUOR EVANGELIIS (1).

I. *De Evangeliis in genere.*

1. *Vocis Evangelii significatio.* Evangelium, græce εὐαγγέλιον (ab εὖ *bonum* et ἀγγέλια *nuntium*), *bonum faustumque nuntium* proprie significat (2). Multiplici autem sensu in Scripturis vox ista sumitur. 1° Notat *bonum nuntium reconciliationis hominis cum Deo per Jesum Christum* (*Matth.* IV, 23; IX, 35; *Marc.* I, 14). 2° Sumitur pro *doctrina Christi* (*Marc.* XVI, 15; *Act.* XV, 7; *Rom.* I, 16; *I Cor.* IX, 18). 3° Significat *promissiones bonorum futurorum, quas continet doctrina Christi* (*I Cor.* IX, 23). 4° Designat *doctrinæ Christi prædicationem*, quæ significatio apud sanctum Paulum frequentissima est : *Rom.* II, 16; X, 16; *I Cor.* IV, 15; etc. 5° Vox Evangelium sumitur pro *historia qua narrantur Christi incarnatio, nativitas, prædicatio, miracula, passio atque resurrectio.* Hoc sensu usurpatur apud *Marc.* I, 1, et in titulis Evangeliorum; hoc etiam sensu vocem illam hic usurpamus, ut sit historia *præcipua Christi facta et dicta referens* et ab Ecclesia approbata tanquam divinitus inspirata. Auctores porro Evangeliorum *Evangelistas* appellare jamdiu in Ecclesia invaluit consuetudo. In novo Testamento Evangelistæ dicuntur non qui historiam conscribunt, sed qui Evangelium prædicant (*Ephes.* IV, 11; *II Tim.* IV, 5). Jure autem merito Christi historia *Evangelium* appellatur, cum sit, ut docet Origenes (3), « coacervatio nuntiorum utilium credenti, et emolumentum offerat, docens

(1) Cfr. Patritius, *De Evangeliis*, lib. I. Friburgi, 1852; Reithmayr, *Introduct. au N. T. traduite par* De Valroger, t. II, sect. I. Paris, 1861; Ad. Maier, *Einleit. in die Schrift. d. N. T.* Part. I, § 1-39. Friburg. 1852; Glaire, *Introduct.* t. IV. sect. 5; Güntner, *Introd. in N. T.* pars II, art. I, § 111-151. Pragæ, 1863, etc.

(2) Varias hujus vocis significationes apud auctores profanos vide in Roberti Stephani *Thes. linguæ græcæ* ad h. v. et ap. Kuinoel, *prol. in Matth.* 14.

(3) Origen. *Tom. I in Joan.* 5-9.

salutarem adventum ad homines primogeniti omnis creaturæ, nempe Jesu Christi (1). »

2. [*Evangeliorum numerus.* Esse quatuor Evangelia, Matthæi scilicet, Marci, Lucæ et Joannis, neque plura neque pauciora, tota retro agnovit antiquitas. Hæc Evangelia et non alia statim atque edita fuerunt in canone descripta fuerunt tanquam divinitus inspirata ; adeoque merito SS. Patres, Concilia atque universa Ecclesia semper tanquam divina illa receperunt et allegarunt. Etsi enim, ut constat ex *Luc.* I, 1, ab initio multi scripserint, quæ ab Apostolis audierant, vel quæ rumor a Hierosolymis, a Judæa, a Galilæa, de Christo ad eos detulerat ; tamen Patres atque Ecclesia, quorum semper prudens fuit atque incorruptum judicium, non susceperunt nisi quæ Matthæus, Marcus, Lucas et Joannes ediderant : cetera vero, vel quod scripta ab iis essent, qui carerent auctoritate, vel quod vitium haberent, aut nunquam probaverunt, aut funditus repudiarunt.]

3. Irenæus (2) hoc diserte testatur : « Neque autem, inquit, plura numero quam hæc (quatuor) sunt, neque rursus pauciora capit esse Evangelia. Quoniam enim quatuor regiones mundi sunt in quo sumus, et quatuor principales spiritus, et disseminata est Ecclesia super omnem terram, columna et firmamentum Ecclesiæ est Evangelium et Spiritus vitæ, consequens est, quatuor eam habere columnas, undique flantes incorruptibilitatem, et vivificantes homines. Ex quibus manifestum est, quoniam qui est omnium artifex Verbum, qui sedet super Cherubim, et continet omnia, declaratus hominibus dedit nobis quadriforme Evangelium, quod uno spiritu continetur. » Eusebius (3) quatuor Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis Evangelia vocat sacram Evangeliorum quadrigam. Addit Primasius (4) : « Cum omnium unum sit Evangelium, ideo quatuor principaliter demonstrantur, propter quatuor paradisi flumina, quibus orbis irrigari traditur universus, sicut horum prædicatione instruendus totus creditur mundus. Siquidem Ecclesia sæpe paradisus accipi solet. »

(1) De significatione vocis Evangelii docte disputat Maldonatus, *Præf. in Evv.* Cap. I.

(2) *Contra hær.* III, II, 8.

(3) *Hist. Eccl.* III, 25.

(4) *Comment. in Apoc.* IV.

4. Concinit Origenes (1) : « In novo Testamento multi conati sunt scribere evangelia, sed non omnes sunt recepti. Et ut sciatis, non solum quatuor Evangelia, sed plurima esse conscripta, e quibus hæc quæ habemus, electa sunt et tradita ecclesiis, ex ipso procemio Lucæ, quod ita contexitur, cognoscamus : *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem.* Hoc quod ait : *conati sunt,* latentem habet accusationem eorum qui absque gratia Spiritus sancti ad scribenda evangelia prosilierunt. Matthæus quippe, et Marcus et Joannes, et Lucas non sunt conati scribere, sed Spiritu sancto pleni scripserunt Evangelia. Multi igitur conati sunt ordinare narrationem de his rebus, quæ manifestissime cognitæ sunt in nobis. Ecclesia quatuor habet Evangelia, hæreses plurima. E quibus quoddam scribitur secundum Ægyptios, aliud juxta duodecim Apostolos. Ausus fuit et Basilides scribere Evangelium, et suo illud nomine titulare. Multi conati sunt scribere : sed et multi conati sunt ordinare. Quatuor tantum Evangelia sunt probata, e quibus sub persona Domini et Salvatoris nostri proferenda sunt dogmata. Scio quoddam Evangelium, quod appellatur secundum Thomam, et juxta Mathiam, et alia plura legimus, ne quid ignorare videremur, propter eos qui se putant aliquid scire, si ista cognoverint. Sed in his omnibus nihil aliud probamus, nisi quod Ecclesia, id est, quatuor tantum Evangelia recipienda (2). »

5. Cur autem plures, cum tam multi scripserint, Ecclesia non receperit quam quatuor, jam olim quæritur. Sed in promptu ratio est, quia non plures invenit divino Spiritu scripsisse. Ejus tamen rei rationes plures mysticas scriptores antiqui attulerunt, quas enumerant S. Irenæus in textu supra allato et alii plures statim recensendi.

6. *Symbolica Evangelistarum repræsentatio.* Antiqui Patres quatuor Evangelia præfigurata docent quatuor illis animalibus, quæ viderunt Ezechiel (I, 1) et Joannes (*Apoc.* IV, 6) deferentia thronum, cui divina insidebat Majestas. Attamen concors non est sententia de forma symbolica quæ sit unicuique Evangelistæ

(1) *Hom. I in Luc.* Cfr. ejusdem *Comment. in Joan.* tom. I, 6; *Scholia in Luc.* I, ap. Migne, *Patrol. gr.* t. XVII, 311; *Comment. in Matth.*, ap. Migne, *Patrol. gr.* t. XIII, 830.

(2) Cfr. S. Ambrosius, *Comment. in Luc.* I, 1; S. Hieronymus, *Prol. in Matth.*; S. Augustinus, *De Consens. Evang.* II, 2; etc.

tribuenda. S. Hieronymus (1), quem hodie sequuntur pictores et sculptores, sic visionem Ezechielis Evangelistis applicat : « Hæc igitur quatuor Evangelia multo ante prædicta, Ezechielis quoque volumen probat, in quo prima visio ita contexitur : *Et in medio sicut similitudo quatuor animalium : et vultus eorum facies hominis, et facies leonis, et facies vituli, et facies aquilæ.* Prima hominis facies Matthæum significat, qui quasi de homine exorsus est scribere : *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.* Secunda Marcum, in qua vox leonis in eremo rugientis auditur : *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Tertia vituli, quæ Evangelistam Lucam a Zacharia sacerdote sumpsisse initium præfigurat. Quarta Joannem Evangelistam, qui assumptis pennis aquilæ, et ad altiora festinans de verbo Dei disputat. » Hieronymo in hac sententia præiverat S. Ambrosius et S. Victorinus Petavionensis. Secuti sunt S. Eucherius Lugdunensis et Primasius (2).

7. S. Irenæus (*loc. cit.*) docet : homine Matthæum, aquila Marcum, vitulo Lucam, leone Joannem designari. S. Hippolytus (3) autem putat leone Matthæum, homine Marcum, vitulo Lucam, aquila Joannem repræsentari. Cum S. Hippolyto facit D. Augustinus (4) : « Unde mihi videntur, qui ex Apocalypsi illa quatuor animalia ad intelligendos quatuor Evangelistas interpretati sunt, probabilius aliquid attendisse illi qui leonem in Matthæo, hominem in Marco, vitulum in Luca, aquilam in Joanne intellexerunt, quam illi qui hominem Matthæo, aquilam Marco, leonem Joanni tribuerunt. De principiis enim librorum quamdam conjecturam capere voluerunt, non de tota intentione Evangelistarum, quæ magis fuerat perscrutanda.

8. *Evangeliorum ordo.* Omnes Patres, incipiendo ab Irenæo, qui primus quatuor Evangelia enumeravit, et omnes Scripturarum canones hoc ordine Evangelia recensent, ut primo loco ponatur Matthæus, secundo Marcus, tertio Lucas, quarto Joannes, quo ordine unumquemque scripsisse traditur. « Isti igitur,

(1) *Prol. in Matth.;* et *Comment. in Ezechiel.* I.

(2) Ambros., *Prol. in Luc.* n. 7-8; Victorin., *Patrol. lat.* V, 324; Eucher., *Instruct.* l. I, 2. *Patrol. lat.* L, 796; Primas., *in Apoc.* IV. *Patrol. lat.* LVIII, 815.

(3) *In Ezech.* ap. Lagarde, *Analecta syriaca* p. 90. Lips. 1858. Aliam adhuc explicationem præbet *Synopsis Athan.*

(4) *De Consensu Evv.* I, VI, 9.

inquit S. Augustinus (1), Evangelistæ, universo terrarum orbi notissimi, et ob hoc fortasse quatuor, quoniam quatuor sunt partes orbis terræ, per cujus universitatem Christi Ecclesiam dilatari, ipso sui numeri sacramento quodammodo declararunt, hoc ordine scripsisse perhibentur : Primum Matthæus, deinde Marcus, tertio Lucas, ultimo Joannes. » Certum est Matthæum primo, Joannem postremo scripsisse, de Luca autem et Marco ambigitur ob testimonium Clementis Alexandrini (2), qui refert se a vetustioribus presbyteris accepisse illa Evangelia quæ genealogias continent, id est, Evangelia Matthæi et Lucæ, prius conscripta fuisse. Sed hæc traditio prævalere nequit firmæ omnium antiquorum persuasioni.

9. *Evangeliorum tituli.* Quatuor Evangelia titulos in fronte gerunt : εὐαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον, κατὰ Μάρκον, κατὰ Λουκᾶν, κατὰ Ἰωάννην, quibus verbis indicatur Evangeliorum auctores esse Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem. Ista enim inscriptio εὐαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον idem sonat ac : *Historia evangelica, ut hæc conscripta fuit a Matthæo* (3) ; indicat igitur auctorem et insinuat simul alios narrationes evangelicas instituisse, etsi non eodem plane modo. Elliptica porro videtur hæc loquendi formula ; absque ellipsi diceres : Εὐαγγέλιον Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ Ματθαῖον, Μάρκον, κ. τ. λ. *Evangelium Jesu Christi secundum Matthæum, Marcum*, etc. (4). Minus recte forsan se habet præpositio latina *secundum*. Præpositio enim græca κατὰ, quod multis exemplis docet Schleusner (5), accusativo subsecuta de *causa* et *auctore* tum in versione Septuagintavirali tum apud Patres et etiam apud auctores profanos bene adhibetur, et latine per *a* vel *ab* reddi potest. Sic sæpius Patres dixerunt : versionem

(1) *De Consensu Evv.* I, II, 3.

(2) Ap. Euseb. *Hist. Eccl.* VI, 14.

(3) Beelen, *Grammatica græc. N. T.* § 53. Lovanii, 1857.

(4) Vid. *Marc.* I, 1.

(5) *Lexicon græco-lat. in N. T.* ad v. κατὰ. Postquam plurimis exemplis probavit vocem κατὰ de *causa* et *auctore* usurpari addit : « Ita etiam in inscriptionibus Evangeliorum εὐαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον, Μάρκον, Λουκᾶν, Ἰωάννην, Evangelium auctore Matthæo, Marco, Luca, Joanne, ubi κατὰ respondet hebraico ל. » Astius in *Lexic. platon.* ad vocem κατὰ ostendit Platonem hoc sensu hanc vocem usurpavisse. Diodor. Siculus ἡ καθ' Ἡρόδοτον ἱστορία, *historia ab Herodoto scripta.* Epiph. *Hær.* VIII, 4 : ἡ κατὰ Μωϋσέα πεντάτευχος, *Pentateuchus Moysi.*

secundum (κατὰ) LXX, *secundum* Aquilam, *secundum* Theodotionem, ut significarent versiones a LXX, ab Aquila, a Theodotione, confectas. Dubium, si quod adesset, tollit Synopsis Athanasiana, ubi titulum primi Evangelii sic explicat. « Εὐαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον : Hoc nomine vocatur hic liber quod ipse Matthæus, discipulus Domini, hoc Evangelium conscripsit (1). »

10. Quamvis autem, ut asserit S. Chrysostomus (2), istæ inscriptiones non fuerint Evangeliis appositæ ab ipsis Apostolis, antiquissimæ tamen sunt et ad tempora apostolica referendæ. Etenim jam ad finem sæculi II Tertullianus ex titulis argumentabatur contra Marcionem. Ante eum S. Irenæus et Clemens Alexandrinus ad hos titulos manifesto videntur respexisse, quando de Evangeliis agentes utuntur hac dicendi formula το κατὰ Ματθαῖον, κατὰ Μάρκον, κατὰ Λουκᾶν, κατὰ Ἰωάννην Εὐαγγέλιον, *Evangelium secundum Matthæum*, *Marcum*, *Lucam*, *Joannem* (3). Fragmentum canonis Scripturarum antiquissimi a Muratorio editi titulorum notitiam innuebat dicens : « Tertio Evangelii libro *secundum Lucam.* » S. Cyprianus in libris *Testimoniorum adv. Judæos* titulos continuo ita exscribit : « Evangelium *cata* Matthæum, *cata* Lucam, etc.

11. Quum igitur sæculo II tituli Evangeliorum jam noti et usitati essent in ecclesiis Romana, Lugdunensi, Africana et Alexandrina, oportet ut jam ab aliquo tempore exstiterint, adeoque ab ævo apostolico sint repetendi. Fuisse autem appositos a præpositis Ecclesiæ, ut quando lectores, durante liturgia, legebant aliquem Evangelii locum, fideles intelligerent ex quonam Evangelio verba prælegebantur, conjectura est, quam firmat et usus legendi Scripturas, durante liturgia, et similitudo titulorum in quatuor Evangeliis. Quanta porro sit titulorum

(1) Antea jam Eusebius (*Hist. Eccl.* III, 24) dixerat : Ματθαῖος πατρίῳ γλώττῃ γραφῇ παραδοὺς τὸ κατ' αυτον Εὐαγγέλιον. Cfr. etiam *II Mach.* II, 13. Nec obstat locutionem *Evangelium secundum Hebræos* non significare Evangelium ab Hebræis confectum, nam ex ipsa re patet longe aliam esse rationem hujus locutionis. Ex historia colligimus esse Evangelium Matthæi quo utebantur Hebræi.

(2) *Hom. I in Ep. ad Rom.* I : « Moyses libris quinque a se scriptis nusquam nomen suum apposuit, neque illi qui res post illum gestas scripserunt : sed neque Matthæus, neque Joannes, neque Marcus, neque Lucas. »

(3) Cfr. Iren., *Contra hær.* l. I, c. XXVI, 2; c. XXVII, 2; l. III, c. XI, 7, 8, 9, c. XIV, 4; Clemens Al., *Pædag.* l. I, c. 6; *Strom.* l. I, c. 21; *Quis dives salv.* n. 5. *Patrol. gr.* VIII, col. 295-296, 804, 889; IX, 609.

auctoritas, patet ex eo quod Tertullianus exinde Marcionem confutat et probat Evangelia suis auctoribus Matthæo, Marco, Lucæ et Joanni, esse tribuenda (1).

12. *Mutuæ quatuor Evangeliorum relationes.* Quatuor Evangelistæ in hoc conveniunt quod omnes aliquem referunt delectum ex Christi gestis et dictis, quodque ejus passionem, mortem ac resurrectionem, narrant. Tres vero priores, Matthæus scilicet, Marcus et Lucas in eo a Joanne discrepant et inter se conveniunt quod, ceteris fere omissis, unice describunt quæ Jesus post suum a Joanne baptismum in Galilæa egit et dixit usque ad ultimum in Jerusalem iter immediate ante passionem; conveniunt præterea in eo quod sæpe eosdem Christi sermones, eadem miracula, narrant; unde *Synoptici* vocantur. Habent tamen singuli aliqua sibi propria; alia duobus tantum, alia tribus propria sunt. Præterea tres *Synoptici* sæpe iisdem aut fere iisdem verbis ad eadem referenda utuntur. Joannes vero raro convenit cum iis, sive ratio habeatur rerum narratarum, sive modi et formæ narrationis; nunquam tamen contradicit iis, quæ a Synopticis referuntur. De istis autem relationibus dicemus infra ad unumquodque Evangelium. Excogitata autem de hac re a Rationalistis systemata exponemus cum aliis eorum erroribus de origine Evangeliorum.

II. *De Evangelio S. Matthæi.*

1. *Argumentum.* Evangelium S. Matthæi complectitur ex ordine historiam infantiæ, prædicationis publicæ, mortis ac resurrectionis Jesu Christi. Ac primo quidem referuntur ejus genealogia, conceptio ex Virgine, nativitas in Bethleem, adoratio Magorum, cædes innocentium, fuga in Ægyptum ac reditus in Nazareth (I-II). Narrat deinde Evangelista Christi baptismum a Joanne, jejunium ac tentationem in deserto (III-IV, 12). Sequitur historia publici Salvatoris in Galilæa ministerii. Sistuntur hic, ordine chronologico non semper servato, vocatio Apostolorum, sermo in monte, varia miracula, missio discipulorum, parabolæ, confessio Petri, transfiguratio, prædictio passionis

(1) De titulis Evangeliorum docte agit Demaret, *De origine Evangeliorum deque eorum historica auctoritate*. Lovanii, 1863, p. 96-98.

(IV, 13-XVIII). Jesus a Galilæa in Judæam profectus ascendit Jerosolymam, in itinere prædicans et miraculis prædicationem confirmans; urbem triumphans ingressus in templo docet et Pharisæorum vitia carpit (XIX-XXV). Denique narratio ultimæ cœnæ, passionis, mortis ac sepulturæ atque resurrectionis, librum claudit (XXVI-XXVIII).]

2. *Auctor, tempus et locus.* « Matthæus, qui et Levi, ex publicano Apostolus, primus in Judæa propter eos qui ex circumcisione crediderant, Evangelium Christi hebraicis litteris et verbis composuit. » Ita S. Hieronymus (1). Auctorem igitur primi Evangelii esse Apostolum Matthæum tum ex ipso Evangelii titulo, tum ex unanimi Patrum testimonio probatur. Porro Matthæus, Alphæi cujusdam filius, erat e Galilæa oriundus atque professione publicanus, quem cum ad telonium sederet suo publicani munere fungens, Christus ad apostolatum vocavit (2). Statim autem, relictis omnibus, secutus est Jesum ejusque prædicationis testis factus est. Post ascensionem Domini Matthæus Evangelium Judæis in Judæa per aliquot annos prædicavit, deinde ad gentes perrexit, apud quas sive apud Par-

(1) *De vir ill.* 3.

(2) *Matth.* IX, 9-14. Alio nomine, in locis parallelis *Marc.* II, 14-18, *Luc.* V, 27-33, Levi vocatur. Recentioribus temporibus Grotius, et post eum Michaelis, Ewald et alii apud De Wette (*Einl.* § 97), quibus fortasse præiverat Photius (in *cat. Patr. a Possino edita*), putaverunt Levi personam esse a Matthæo distinctam, sed absque jure et contra sententiam antiquitatis. Nam allegati Marci atque Lucæ loci omninò sunt paralleli, atque exinde colligitur Levi unum eumdemque esse cum Matthæo. Confirmatur ex eo quod Marcus et Lucas qui referunt Levi fuisse a Christo ad apostolatum vocatum, eum non nominant in catalogo Apostolorum, sed ejus loco Matthæum, de quo nihil alibi dixerunt, inferunt (*Marc.* III, 18; *Luc.* VI, 25). Nec mirum est Matthæum duplici nomine appellatum fuisse, siquidem hoc frequens apud Judæos tunc temporis erat, ut patet ex Marco qui etiam Joannes (*Act.* XII, 15) et ex Paulo qui et Saulus (*Act.* XIII, 9) vocabatur. Nec in contrarium afferri valet testimonium Heracleonis, hæretici e secta Valentinianorum, aut testimonium Origenis in lib. 1 *Contra Cels.* § 62. Siquidem Origenes in loco allato videtur non suam sed Celsi opinionem exposuisse, aut ex concessione locutus: nam *Præf. in ep. ad Rom.* docet Matthæum a Levi non esse diversum. Ab Heracleone Matthæus et Levis ut distinctæ personæ ponuntur, sed Levim illum Levim fuisse publicanum, de quo agunt Marcus et Lucas et non potius Lebeum seu Lebbæum Apostolum nihil indicat. Vid. Clement. Alex., *Strom.* IV, 9. Vid. Patritium, *De Evangeliis* I, 1 Friburg. Brisgav. 1853.

thos, ut nonnulli, sive apud Æthiopes, ut alii tenent, prædicationem suam martyrio coronaverit (1).

3. Matthæum ante alios Evangelistas primum scripsisse historiam evangelicam, eamque exaravisse in Judæa pro Judæis, qui in Christum crediderant, ne ipso absente, obliviscerentur eorum quæ tradiderat, constans est totius antiquitatis traditio. Eusebius (2) ait : « Matthæus cum Hebræis primum fidem prædicasset, inde ad alias quoque gentes profecturus Evangelium suum patrio sermone conscribens, id quod præsentiæ suæ adhuc superesse videbatur, scripto illis quos relinquebat, supplevit. » Ante Eusebium Origenes (3) dixerat : « Sicut ex traditione accepi de quatuor Evangeliis, quæ sola in universa Dei Ecclesia quæ sub cœlo est citra controversiam admittuntur : primum scilicet Evangelium scriptum esse a Matthæo, prius quidem publicano, postea vero Apostolo Jesu Christi, qui illud hebraico sermone conscriptum Judæis ad fidem conversis publicavit. » Apollonius (4), scriptor qui vivebat circa an. 180, asserit Apostolos adeoque Matthæum per duodecim annos in Judæa prædicasse antequam pergerent ad gentes. Irenæus (5), postquam primum inter Evangelistas recensuit Matthæum tanquam qui primus scripserit, addit : « Matthæus Hebræis ipsorum lingua scripturam edidit Evangelii, cum Petrus et Paulus Romæ evangelizarent et fundarent Ecclesiam. » Quæ, si de primo Petri in Urbem adventu intelligi possint in annum Claudii secundum seu 43 post Chr. n. incident. Quem annum indicant nonnulli codices græci qui in subscriptione tradunt Matthæum Hierosolymis, anno ab ascensione Domini septimo vel octavo, suum exaravisse Evangelium. Docet S. Chrysostomus Matthæum primum omnium Hierosolymis Evangelium suum conscripsisse, idque anno 8 post ascensionem Domini ab eo factum fuisse narrant Theophylactus et Euthymius. Nicephorus autem Evangelii compositionem in annum 15 reponit. Quonam igitur præcise anno Matthæus Evangelium suum conscripserit ambi-

(1) Vid. Dupin, *Dissert. prélim. sur la Bible,* l. II, c. 3 § 3.
(2) *Hist. Eccl.* III, 24.
(3) *Comment. in Matth. Patrol. gr.* XIII, 830.
(4) Ap. Euseb. *Hist. Eccl.* V, 18.
(5) *Contra hær.* III, I, 1.

gitur, quamvis certum sit Evangelium Matthæi cetera Evangelia præcessisse.

4. Quum igitur Matthæus Evangelium suum popularibus suis destinaverit facile intelligitur scopum ejus fuisse ut Judæis demonstraret Jesum Nazarenum, quem ipsi occiderunt et qui resurrexit tertia die a mortuis, esse Messiam a Prophetis populo Judaico olim promissum. Hinc ratio intelligitur cur tam sæpe Matthæus adducat vaticinia Prophetarum, eaque in Christo impleta ostendat. Errant autem qui, ex eo quod ista Scripturæ testimonia referuntur partim secundum hebraicum textum partim secundum versionem LXX, concludunt a duobus auctoribus esse compositum, ut infra demonstrabimus.

5. *Lingua.* Omnes novi Testamenti libri græce exarati fuerunt, excepto S. Matthæi Evangelio, cujus tamen textus græcus ad instar textus primigenii evasit ; nam ex illo omnes versiones , una forsan excepta versione syriaca a Curetonio edita (1), derivatæ sunt. Omnia porro antiquitatis documenta testantur S. Matthæum hebraice, id est, in lingua aramaica-palæstinensi, quæ etiam syro-chaldaica vocatur, pro popularibus suis fidem Christi amplexis suum primitus conscripsisse Evangelium. Hæc assertio demonstratur auctoritate Papiæ , Irenæi , Pantæni, Origenis , Eusebii, Cyrilli Hierosolymitani , Synopseos Athanasianæ, Gregorii Nazianzeni, Epiphanii, Chrysostomi , Hieronymi , Augustini (2) et aliorum , qui de hac quæstione scripserunt. Hanc assertionem confirmant codices græci et syriaci, qui in subscriptionibus Matthæum εβραιστι vel τῃ εβραιδι διαλεκτῳ scripsisse docent (3).

6. Universalem hanc persuasionem primus sæculo XVI aggressus est Erasmus Rotterodamus contendens Evangelium

(1) Curetonius ex Codd. musæi Britann. antiquissimam edidit versionem syriacam quam ipse statuit ex aramaico Matthæi archetypo confectam. Ei assentiunt Lehir et Nolte, contradicit Ewald ap. Demaret, *De origine Evv.* p. 64.

(2) Papias ap. Euseb., *Hist. Eccl.* III, 39; Iren., *Contra hær.* III, I, 1: Pantænus ap. Euseb., *Hist. Eccl.* V, 10; Origen., *in Matth. Patrol. gr.* XIII, 830; Euseb. *Hist. Eccl.* III, 24; Cyrill. Hieros., *Cateches.* XIV, 15; *Synops. Athan.* n. 76; Gregor. Naz., *Carmin.* 33; Epiphan., *Hæres.* XXX, 3; LI, 5, Chrysost., *In Matth. homil.* I, 3; Hieron., *De vir ill.* 2 et sæpius; Augustin., *De consens. Evv.* I, 4; II, 128.

(3) Ap. C. Tischendorf, *Nov. Test. græc. cum critica majore*, p. 167. 7ª ed. Lips. 1859.

Matthæi primitus græce conscriptum fuisse. Erasmi sententiam amplexi sunt Cardinalis Cajetanus, Vallarsius, Matth. Flaccius et multi ex Protestantibus, inter quos Wetstenius. Recentioribus temporibus huic opinioni calculum adjecerunt Fritzsche, Thiersch, Neudeker, Ewald, Kostlin, Hilgenfeld, Ritschl, Meyer, Bleek, Anger, Weis, et ex Catholicis Hug (1). E contra Catholici fere omnes tenent Evangelium Matthæi hebraice primitus fuisse conscriptum. Hanc sententiam defendunt Dupin, Richard Simon, Marchini, Janssens, Glaire, Reithmayr, Ad. Mayer, Patritius, Demaret, Danko alii plurimi, quibus consentiunt ex hæreticis et Rationalistis Michaelis, Credner, Ebrard, Reuss, Cureton, etc. (2).

7. Qui tuentur Matthæum græce scripsisse has afferunt rationes : 1° Omnes Patres qui docuerunt Evangelium Matthæi hebraice fuisse exaratum, hanc traditionem a Papia acceperunt. Atqui testimonium Papiæ nullius prorsus est valoris, siquidem iste Papias vir erat rudis, juxta Eusebium, atque mediocris prorsus ingenii, qui fabulis animum facile intendebat, quique a Nazareis Evangelio *secundum Hebræos* utentibus fuerit deceptus. Sed respondetur Papiæ testimonium non idcirco probari falsum quia, juxta Eusebium, Papias agens de regno Chiliastico, argumenta dederit mediocris ingenii. Nam in suis commentariis, maxime in referendis iis quæ ab Apostolorum discipulis audierat, Papias, juxta eumdem Eusebium (3), se præbuit « imprimis disertum et eruditum ac sacrarum Scripturarum peritum. » Papias ipse testatur (4) « se Apostolos auctores habere seque sollicite quæsivisse quid unusquisque dixerat. » Quod autem Nazaræi Papiam in errorem induxerint, gratuita assertio est quæ nullo fulcitur antiquitatis documento. Neque magis valet illorum ratio qui dicunt Papiam solummodo loqui de aliquo Evangelio, Christi dumtaxat sermones (τα λογια) continente, quum

(1) *Einleit. in N. T.* t. II, 8-12.

(2) Dupin, *Dissert. prél.* II, 2; Richard Simon, *Hist. crit. N. T.* I, p. 30; Janssens *Herm. S.* sect. III, § 176; Marchini, *De div. libror. sacr.* p. II, 1; Glaire, *Introd. à l'Ecrit. Sainte* t. V, sect. V, I, 1; Reithmayr, *Introd.* t. II, § 7; Ad. Maier, *Einl.* § 13; Patritius, *De Evang.* l. I, c. I, q. 5. Demaret, *De origin. Evv.* part. I, c. III § 2; Danko, *Hist. revel. N. T.* p. 268.

(3) Euseb., *Hist. Eccl.* III, 36. Dubitatur tamen an ista verba ipsius Eusebii sint. Vid. Laemmer in sua Eusebii editione ad h. l.

(4) Ap Hieron., *De vir ill.*, 18.

Papiæ verba de Evangelio Matthæi quatenus Christi gesta et sermones refert intelligenda sint ut postea demonstrabitur. Falsum est porro alterum illud quod dicunt, alios Patres exscripsisse Papiam; nam nullo indicio constat S. Irenæum a Papia accepisse quod de Evangelio Matthæi tradit. Pantænus vero, ut ipse De Wette fatetur, aliunde notitiam Evangelii hebraici S. Matthæi accepit, nempe ex visu alicujus codicis hebraice scripti, quem in India invenerat. Origenes de Papia silens, unice asserit se a traditione suum testimonium mutuatum esse. Eusebius autem non solum Papiæ testimonium refert, sed et Pantæni, atque Origenis verba producit, et tanquam rem certam ponit Matthæum hebraice scripsisse (1). Idem faciunt S. Epiphanius et S. Hieronymus.

8. Opponunt nullibi unquam visum hebraicum illud Matthæi Evangelium, nullam ecclesiam, nullum scriptorem unquam usum esse hoc hebraico textu, imo Ecclesiam syriacam versionem suam ex græco confecisse, quod certe innuit ipsi defuisse textum aramaicum. Denique Theodorus lector memoriæ prodidit Matthæi autographum græce exaratum repertum fuisse in sepulcro Barnabæ Apostoli.

9. Respondetur : ad Theodorum quod attinet, ipse nequaquam dicit quod adversarii affirmant ; sed narrat volumen ibi repertum codicem esse Barnabæ ἰδιόγραφον, hoc est, propria manu Barnabæ, quem nonnulli auctorem versionis græcæ Matthæi faciunt, exaratum. Quod autem aiunt nullibi visum esse aramaicum Matthæi textum, falsum esse patet ex eo quod Pantænus eum vidit in India (2) et quod Judæus quidam, no-

(1) *Quæst. ad Marin. Patrol. gr.* t. XXII, 942. Objicitur Eusebium in *Psal.* 77, 2 dixisse : « Matthæus, hebræus quum esset, *propria interpretatione* (οἰκείᾳ ἐκδόσει) usus est, dicens : *eructabo abscondita*, etc. » Sed ista verba potius nobis favent. Nam *propria, domestica* ἐκδοσις *editio,* qua usus est Matthæus hebræus, quænam est, nisi editio hebraica?

(2) Refert Eusebius (*Hist. Eccl.* V, 10). « Pantænum ad Indos usque penetrasse ibique, Evangelium Matthæi, quod adventum ejus jam prævenerat, apud quosdam Christi notitia imbutos reperisse : quibus scilicet Bartholomæus, unus ex duodecim Apostolis, olim, ut fama est, prædicaverat, et Evangelium Matthæi hebraicis conscriptum litteris reliquerat : quod quidem ad prædicta usque tempora servatum esse memoratur. » Ruffinus atque Hieronymus tradunt Pantænum illud Evangelium Alexandriam detulisse, quibus non assentitur Nicephorus docens verba Eusebii hoc tantum sibi velle, exemplar illud Bartholomæi

mine Josephus, hebraicum Matthæi codicem Tiberiade in ærario, sub imperatore Constantino, adhuc invenerit (1). Quod autem hebraicus S. Matthæi textus mox deperditus fuerit mirum non est, quum ecclesiæ Palæstinenses, in quarum gratiam editus fuerat, mox, dirutis Hierosolymis, eversæ fuerint. Gratis porro asseritur has ecclesias istum textum nunquam adhibuisse, siquidem hoc nullibi dicitur; e contra secta Nazaræorum, a Christianis Judææ originem ducens, hunc textum in suis cœtibus diutius legere perrexit, quem textum corruptum tamen etiam Ebionitæ susceperunt (2). Quod autem ecclesia Syriaca usa sit versione ex græco facta hoc fortasse provenit ex eo quod tunc, quando facta est versio simplex, exemplaria textus primigenii non exstabant eo in loco ubi illa versio facta est. Si vera sit Curetonii sententia, non defuerit apud Syros versio ex aramaico Matthæi textu confecta.

10. Adversarii contendunt 2° : Matthæum pluribus consulturum fuisse, si græce scripsisset, quoniam in Palæstina maxime communis erat hujus linguæ usus. Respondetur utramque linguam et græcam et aramaicam-palæstinensem in Judæa tunc temporis fuisse usitatam, sed aramaicam fuisse populi vernaculam, græcam vero ad extraneos et doctiores magis pertinuisse. Quum autem Matthæus Evangelium suum pro popularibus suis ad fidem conversis conscripserit, ipsi potius utendum fuit lingua vernacula quam græca ; unde contra adversarios concluditur illorum objectionem non tantum nullius esse ponderis, sed e contra thesi nostræ favere et Patrum traditionem firmare. Quod autem lingua syro-chaldaica fuerit populi vernacula patet ex plurimis Evangeliorum et Actuum Apostolorum locis. Sic Christus ad vitam revocans filiam Jairi (*Marc.* V, 41) usus est lingua aramaica ; eadem usus est ubi sanavit surdum et mutum (*Marc.* VII, 34). In cruce actus exclamavit : *Eli, Eli, lamma sabactani* (*Matth.* XXVII, 46). Lucas asserit (*Act.* I, 19) linguam hebraicam seu aramaicam esse linguam propriam Judæorum (3).

ad Pantæni usque adventum in India servatum fuisse (vid. *notationes* Valesii ad Euseb. V, 10).

(1) Vid. S. Epiphan. *Hær.* XXX, 6.

(2) Vid. infra § *De Evang. secundum Hebræos.*

(3) Ista dialectus ex veteri Hebræorum lingua, immixtis vocibus et formis syris

Idcirco etiam titulus crucis scriptus fuit latine, græce et hebraice. Idcirco S. Paulus commotum in Jerusalem populum hebraice allocutus est (*Act.* XXII, 2). Ex his omnibus patet dialectum aramaico-palæstinensem fuisse tunc temporis vernaculam in Judæa adeoque S. Matthæum pro Judæis scribentem debuisse hac dialecto uti, quod factum fuisse Patres affirmant.

11. Dicunt 3° : in Evangelio S. Matthæi recitatur Scriptura juxta versionem LXX interpretum. Ergo auctor græca versione usus est, græcam linguam adhibuit, græce scripsit.

12. Respondetur. In Evangelio S. Matthæi quadraginta sex recitantur testimonia ex veteri Testamento deprompta. Illi loci ad tres classes referri possunt. Referenda sunt ad primam classem omnia illa testimonia quæ directe translata sunt ex Hebræo (1) ; ad secundam ea quæ secundum versionem LXX laudantur, sive eam verbotenus referant (2), sive cum quadam libertate (3) ; ad tertiam ea quæ sive memoriter citata, sive de industria ab Evangelista brevitati studente contracta, partim ab hebræo, partim a versione LXX discrepant, ut difficile sit discernere ex quonam fonte deprompta sint. Porro illa testimonia quæ juxta LXX recitantur, talia sunt, ut in his versio LXX non differat quoad sensum a textu hebræo ; ubi vero versio græca ab hebræo differt, Evangelista sensum textus hebræi exprimit (4). Omnibus locis attente consideratis fatetur ipse Anger (5) : « Evangelista Alexandrinos, quamquam nunc strictius,

ac chaldæis, conflata, quia Judæorum seu Hebræorum propria erat, in novo Testamento hebraica dicitur. Cfr. *Joan.* V, 2; XIX, 13; 17; *Act.* XXI, 40.

(1) Ut *Matth.* II, 6, 15, 18; IV, 15; VIII, 17; XI, 10; XII, 18-21; XIII, 35; XXI, 5; XXII, 37; XXVI, 31; XXVII, 9.

(2) Ut *Matth.* IV, 7; V, 21, 27, 43; XIX, 9; XXII, 39.

(3) Ut *Matth.* I, 23; III, 3; IV, 4, 6, 10; V, 38; XIII, 14; XV, 4; XXI, 13, 16, 42, etc.

(4) Hoc jamdiu observavit S. Hieronymus (*Epist.* 121 *ad Algas.*) : « Ex quo apparet Matthæum Evangelistam non veteris interpretationis auctoritate constrictum dimisisse hebraicam veritatem..... et hoc non solum in præsenti loco sed ubicumque de veteri Instrumento Evangelistæ et Apostoli testimonia protulerunt, diligentius observandum est ; non eos verba secutos, sed sensum : et ubi Septuaginta ab hebraico discrepant, hebræum sensum suis expressisse sermonibus. » Cfr. *Epist.* 57 *ad Pammach.* n. 7, 9; *Comment in Is. Patrol. lat.* XXIV, 513, 547.

(5) *Ratio qua loci veteris Testamenti in Evang. Matth. laudantur, quid valeat ad illustrandam hujus Evang. originem.* Lips. 1861-62, fasc. II, p. 29.

nunc liberius, sequitur quamdiu sententiæ veteris Testamenti eos respondere agnoscit.... ; ubi non respondere vel non accurate respondere statuit, hebraica ipse in græca convertit. »

13. *Origo textus græci*. Nonnulli auctores, ut Bisping, Glaire, Wallon, Lecamus, in hanc inclinant sententiam, ut putent Matthæum ipsum aramaice primum, deinde græce, suum exaravisse Evangelium, sed quo antiquitatis testimonio fulciatur hæc sententia ignoro. Juxta Papiam « interpretatus est unusquisque prout potuit. » In Synopi Athanasiana legimus : « Evangelium secundum Matthæum ab ipso Matthæo hebraica dialecto conscriptum est et editum Hierosolymis et interpretante Jacobo, fratre Domini secundum carnem, expositum. » Theophylactus (1) et Euthymius cum nonnullis codicibus græcis Joannem Apostolum versionis græcæ auctorem faciunt. Unde cum S. Hieronymo concludimus : « quis Evangelium Matthæi in græcum verterit non satis certum est. »

14. *De Evangelio secundum Hebræos*. Quamquam sancti Patres uno ore affirmant quatuor dumtaxat esse Evangelia neque plura neque pauciora, apud nonnullos tamen eorum mentio occurrit alicujus Evangelii *secundum Hebræos* dicti, quod ab apocryphis distinguere videntur. Quum autem istud Evangelium non amplius supersit, adeoque ex ipso textu de ejus valore judicare non possimus, ex testimoniis antiquorum scriptorum eruere conabimur an unum idemque fuerit cum hebraico S. Matthæi Evangelio. Jam autem veteres affirmant duo, quæ omnem litem nobis videntur dirimere. Affirmant scilicet istud Evangelium inde a primis temporibus in usu fuisse apud Nazaræos et apud Ebionitas, et secundo illud indifferenter *secundum Hebræos* vel *secundum Matthæum* appellant.

15. Hegesippus ac Papias, Apostolis proximi, et post eos Clemens Alexandrinus atque Origenes jam mentionem ingerunt Evangelii *secundum Hebræos*, sed mentem suam de illius valore non aperiunt (2). Illud tamen observandum est Papiam; Clementem Alexandrinum et Origenem, quædam ex isto Evangelio

(1) *Præf. in Evangelia.*

(2) Hegesippus ap. Euseb. *Hist. Eccl.* III, 22; Papias apud eumdem *Hist. Eccl.* III, 39; Clemens Al. *Strom.* II, 9; Origenes *Hom. I in Luc.; tract. XV in Matth.* XIX, 19; *In Joan.* II, 6, et XIX.

afferre, quæ desunt apud nostrum Matthæum. Eusebius (1) autem ait : « In eumdem ordinem (apocryphorum) jam a quibusdam relatum est Evangelium *secundum Hebræos*, quo maxime delectantur Hebræi illi, qui Christi fidem susceperunt. »

16. Sed maximam lucem afferunt S. Epiphanius et S. Hieronymus, de Nazaræis et Ebionitis agentes. Nazaræi (2) christiani erant ex Judæis Palæstinensibus conversi, qui cum fide Christi mosaicos ritus retinuerant et post cladem Jerosolymitanam se receperant in finitimas regiones, quippe tempore S. Epiphanii et S. Hieronymi habitabant in civitate Berœensi, ad Cœlesyriam, in Basanitide et in Decapoli prope Pellam. Epiphanius (3) asserit Nazaræos linguæ hebraicæ fuisse peritissimos, utrumque Testamentum vetus et novum recepisse, atque cum fide Christi mosaicos ritus, circumcisionem, sabbatum aliasque Legis cæremonias, servavisse. Deinde addit : « Est penes illos Evangelium *secundum Matthæum*, hebraice scriptum et quidem *plenissimum* (πληρεστατον) (4). Hoc enim certissime, prout hebraicis litteris initio scriptum est, in hodiernum tempus usque conservant. Verum illud nescio num genealogias illas amputarunt, quæ ab Abrahamo ad Christum usque perductæ sunt. » Ex S. Epiphanii verbis patet Nazaræos servavisse archetypum Matthæi Evangelium in dialecto palæstinensi scriptum, cui tamen admixta fue-

(1) *Hist. Eccl.* III, 25.

(2) Initio omnes Christiani Nazaræi vocabantur (*Act.* XXIV, 5; Epiph. *Hær.* XXIX, 1). Ecclesia Jerosolymitana conflata erat, maximam partem, ex Judæis patria lingua utentibus (*Act.* VI, 1; Euseb. *Hist. Eccl.* IV, 5-6). Illa autem ecclesia cum patria lingua judaicos ritus diutius servavit. Idcirco quindecim primi hujus ecclesiæ episcopi fuerunt Hebræi *ex circumcisione* (Euseb. *Hist. Eccl.* IV, 5-6; Cyrill. Hieros. *catech.* XV, 15; Epiph. *Hær.* LXVI, 20). Quum autem Adrianus circa an. 134 post Chr. n. hujus ecclesiæ reliquias prorsus expulisset, tunc invehi cœperunt in ipsa Hierosolyma græci christianorum ritus derelictis ritibus legis Mosaicæ emortuæ. Nonnulli autem Judæi se receperunt in Cœlesyriam, et in Basanitidem et in vicinas regiones, et retinuerunt ut antea mosaicos ritus, quos cum fide Christi conjungebant. In hoc tamen nondum erant hæretici; erant quidem qui eos damnabant quod servarent emortuos ritus; sed alii eos prorsus absolvebant, ut testatur S. Justinus (*Contra Tryph.* 47) postremis hisce assentiens. Hæc est origo Nazaræorum.

(3) *Hær.* XXIX, 7-9.

(4) De Wette vertit πληρεστατον integrum. Falso; nam Epiphanius putat Nazaræos non habuisse Evangelium Matthæi integrum, sed abstulisse genealogiam Christi.

rint nonnulla ex traditione fortasse hausta, quod innuitur ex voce πληρεστατον, qua utitur Epiphanius.

17. Jam autem istum hebraicum Matthæi textum, quo utebantur, juxta Epiphanium, Nazaræi, ipsissimum fuisse Evangelium, quod vocatur *secundum Hebræos,* pluribus in locis affirmat S. Hieronymus (1). « Matthæus, inquit... primus in Judæa propter eos qui ex circumcisione crediderant, Evangelium Christi hebraicis litteris verbisque composuit : quod quis postea in græcum transtulerit non satis certum est. Porro ipsum *hebraicum* habetur usque hodie in Cæsariensi bibliotheca, quam Pamphilus martyr studiosissime confecit. Mihi quoque a Nazaræis, qui in Berœa, urbe Syriæ, hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit. » Paulo ante dixerat : « Evangelium quoque, quod appellatur *secundum Hebræos* et a me nuper in græcum latinumque sermonem translatum est, quo et Origenes sæpe utitur post resurrectionem Salvatoris refert : *Dominus autem cum dedisset sindonem servo sacerdotis, ivit ad Jacobum et apparuit ei.* Aliquibus annis postea rursus scribebat : « In Evangelio, quo utuntur Nazareni et Ebionitæ, quod nuper in græcum de hebræo sermone transtulimus, et quod vocatur a plerisque *Matthæi authenticum.* » Et *Comment. in Is.* XL, 9 : « In Evangelio, quod juxta Hebræos scriptum Nazaræi lectitant. » Denique ad an. 415 adversus Pelagianos rursus repetebat : « In Evangelio *juxta Hebræos,* quod chaldaico quidem syroque sermone, sed hebraicis litteris scriptum est, quo utuntur usque hodie Nazareni, *secundum Apostolos* (non *secundum duodecim Apostolos*), sive, ut plerique autumant, *juxta Matthæum,* quod et in Cæsaræensi bibliotheca habetur... etc. »

18. Eamdem sententiam confirmant ea quæ de Ebionitis tradunt antiqui. Ebionitæ Christum naturaliter ex Josepho et Maria conceptum effutiebant, a Judæis et ipsi originem ducebant. Porro S. Irenæus (2) asserit Ebionitas solo uti Evangelio *secundum Matthæum,* Eusebius (3) autem refert eos solo uti Evangelio *secundum Hebræos.* Nisi igitur velis doctissimos illos scriptores

(1) *De Vir. ill.* 2, 3; *Comment. in Matth.* XII, 13; *Comment. in Is.* XL, 9; *Dial, adv. Pelagianos* III, 2.

(2) *Contra hær.* I, XXVI, 2; III, XI, 7.

(3) *Hist. Eccl.* III, 27.

sibi contradixisse, admittas necesse est Evangelium *secundum Matthæum* idem esse cum Evangelio *secundum Hebræos*. Ne autem anceps hæreas audi Epiphanium (1) : « Evangelium illi quidem *secundum Matthæum* admittunt, quo solo, Cerinthianorum vel Merinthianorum instar, utuntur, idque ipsum *secundum Hebræos* appellant. Etenim vere illud affirmare possumus, unum ex omnibus novi Testamenti scriptoribus Matthæum hebraice ac litteris hebraicis evangelicam historiam texuisse. » Ex his certissimum fit Evangelium *secundum Hebræos* idem prorsus fuisse ac hebraicum Matthæi archetypum. Differebat tamen a græco textu ; quia ab istis hæreticis vitiatum fuerat, additis, sublatis aut immutatis pluribus locis, ut ipse Epiphanius subdit. « In eo, inquit, quod penes illos est Evangelio, quamquam ne integrum quidem illud habeant, sed adulteratum ac mutilum, idque ipsum hebraicum vocant, ita scriptum est... » Refert Epiphanius aliquam interpolationem de vocatione Apostolorum et pergit : « Evangelium illorum sic incipit : *Factum est in diebus Herodis, regis Judææ, ut veniret Joannes baptizans baptismo pœnitentiæ in Jordane fluvio* (*Matth.* III, 1), etc. » Narrabatur in isto Evangelio lucem ingentem in Jordane affulsisse, statim ac Christus baptizatus fuit.

19. Ex his omnibus concludimus Evangelium Nazaræorum et Ebionitarum, *secundum Hebræos* dictum, origine non fuisse aliud nisi ipsum Matthæi textum, lingua aramaica-palæstinensi exaratum, cui, labentibus annis, multa fuere ex traditione addita a christianis, plura autem immutata aut etiam ablata ab hæreticis. Hinc Patres parem ipsi non tribuebant auctoritatem cum textu Matthæi græco. « Qui crediderit, inquit divus Hieronymus (2), Evangelio, quod *secundum Hebræos* editum nuper transtulimus. » Imo nonnulli apud Eusebium illud inter apocrypha rejiciebant.

(1) *Hær.* XXX, 3, 13.

(2) *Comment. in Mich.* VII, 6. Hieronymus nonnulla, quæ in hoc Evangelio inveniebantur, alibi autem deerant, refert *De vir. ill.* 2; *Contra Pelag.* III, 2; *In Is.* XI, 1; XL, 9; *In Mich.* VII, 6; *In Ezech.* XVIII; *In Matth.* VI, 11; XII, 13; XXIII, 35; XXVII, 16, 51; *In Epist. ad Ephes.* V, 4.

III. *De Evangelio S. Marci.*

1. *Argumentum.* Incipit Marci Evangelium a prædicatione Joannis et baptismo Christi. Quæ deinde referuntur in summa conveniunt cum Evangelio S. Matthæi, cum hac tamen differentia quod fusius a Matthæo, brevius a Marco, Christi gesta atque dicta referuntur. Quomodo autem duo Matthæi et Marci Evangelia se habeant ad invicem, statim dicetur.

2. *Auctor.* Auctorem secundi Evangelii esse S. Marcum tota retro agnovit antiquitas. Pauci ex antiquis Marcum numeraverunt inter 72 discipulos Christi; sed hæc opinio stare nequit cum testimoniis Papiæ, Eusebii, Hieronymi, Augustini, Theodoreti et aliorum, qui negant Marcum vidisse ea quæ scripsit. Nam si Marcus ex septuaginta duobus fuisset aliqua saltem Christi gesta propriis oculis vidisset. Patres bene multi affirmant Marcum Petri sectatorem, discipulum atque interpretem, fuisse. Quæ assertio certa videtur; merito autem dubitatur an Marcus Evangelista una eademque sit persona cum Joanne Marco, cujus mentio occurrit in Actibus Apostolorum (1), aut cum Marco, cujus meminit S. Paulus (2). Postquam aliquo tempore Romæ cum S. Petro degisset, missus fuit ab Apostolo in Ægyptum, ut ibi Evangelium prædicaret, et factus est primus ecclesiæ Alexandrinæ episcopus. Mortuus est octavo Neronis anno, et sepultus est Alexandriæ, ei succedente Aniano (3). Ejus memoria colitur ad diem 25 Aprilis.

3. *Tempus, locus, occasio.* Certum est Marcum post Matthæum et ante Joannem ac juxta omnes, excepto Clemente Alexandrino, etiam ante Lucam Evangelium suum edidisse. Quo loco, quo tempore, qua occasione, ex Patribus ediscamus. Refert Papias (4), vir ætati apostolicæ proximus : « Marcum, Petri interpretem (5), quæcumque memoriæ mandaverat a Domino aut

(1) *Act.* XII, 12, 25; XIII, 5, 13; XV, 37.

(2) *Coloss.* IV, 10; *II Tim.* IV, 11; *Philem.* 24. Vide de hac quæstione docte disserentem Patritium, *De Evangeliis* l. I, c. 2, q. 2.

(3) Hieron., *De vir. ill.* 8.

(4) Ap. Euseb., *Hist. Eccl.* III, 39.

(5) Marcum Petri interpretem vocant Irenæus (*Contra hær.* III, 1), Tertullianus (*Adv. Marcion.* IV, 5), Hieronymus (*De vir. ill.* 8), alii.

gesta aut dicta diligenter non tamen ordine exscripsisse. Neque enim ipse Dominum audiverat aut sectatus fuerat unquam. Sed cum Petro, ut dixi, postea versatus est, qui pro audientium utilitate, non vero ut sermonum Domini historiam contexeret, Evangelium prædicabat. Quocirca nihil peccavit Marcus, qui nonnulla ita scripsit, prout ipse memoria repetebat. Id quippe unum studebat, ne quid eorum quæ audierat prætermitteret, aut ne quid falsi eis affingeret. »

4. Clemens Alexandrinus (1), postquam dixit Marci Evangelium post illud Lucæ conscriptum fuisse, in quo a ceteris antiquis differt, ait : « Cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice prædicasset et Spiritu sancto afflatus Evangelium promulgasset, multi qui aderant Marcum cohortati sunt, utpote qui Petrum jamdudum sectatus fuisset et dicta ejus memoria teneret, ut quæ ab Apostolo prædicata erant conscriberet. Marcus igitur Evangelium composuit, iisque qui illud ab ipso rogabant impertiit. Quod cum Petrus comperisset, nec prohibuit omnino rem fieri, nec ut fieret incitavit. » Quamvis autem S. Petrus Marcum ad scribendum non incitaverit, attamen postquam Marcus scripsisset, scriptum approbavit, ut tradunt Eusebius et Hieronymus.

5. Eusebius (2) refert : « Romanos enixe exorasse Marcum, Petri sectatorem, ut doctrinæ illius, quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret. Nec prius destiterunt quam hominem expugnassent auctoresque scribendi illius, quod secundum Marcum dicitur, Evangelii exstitissent. Quod cum Petrus per revelationem S. Spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in ecclesiis legeretur. Refertur id a Clemente in sexto Institutionum libro. Cui testis etiam accedit Papias Hierapolitanus episcopus. » Hæc fere exscribit Hieronymus (3) : « Marcus, inquit, discipulus et interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ a fratribus breve scripsit Evangelium. Quod cum Petrus audisset probavit et ecclesiis legendum sua auctoritate dedit....

(1) Ap. Euseb, *Hist. Eccl.* VI, 14.
(2) *Hist. Eccl.* II, 15.
(3) *De vir. ill.* 8. Cfr. *Prol. in Matth.; Epist. ad Hedib.*

III. *De Evangelio S. Marci.*

1. *Argumentum.* Incipit Marci Evangelium a prædicatione Joannis et baptismo Christi. Quæ deinde referuntur in summa conveniunt cum Evangelio S. Matthæi, cum hac tamen differentia quod fusius a Matthæo, brevius a Marco, Christi gesta atque dicta referuntur. Quomodo autem duo Matthæi et Marci Evangelia se habeant ad invicem, statim dicetur.

2. *Auctor.* Auctorem secundi Evangelii esse S. Marcum tota retro agnovit antiquitas. Pauci ex antiquis Marcum numeraverunt inter 72 discipulos Christi; sed hæc opinio stare nequit cum testimoniis Papiæ, Eusebii, Hieronymi, Augustini, Theodoreti et aliorum, qui negant Marcum vidisse ea quæ scripsit. Nam si Marcus ex septuaginta duobus fuisset aliqua saltem Christi gesta propriis oculis vidisset. Patres bene multi affirmant Marcum Petri sectatorem, discipulum atque interpretem, fuisse. Quæ assertio certa videtur; merito autem dubitatur an Marcus Evangelista una eademque sit persona cum Joanne Marco, cujus mentio occurrit in Actibus Apostolorum (1), aut cum Marco, cujus meminit S. Paulus (2). Postquam aliquo tempore Romæ cum S. Petro degisset, missus fuit ab Apostolo in Ægyptum, ut ibi Evangelium prædicaret, et factus est primus ecclesiæ Alexandrinæ episcopus. Mortuus est octavo Neronis anno, et sepultus est Alexandriæ, ei succedente Aniano (3). Ejus memoria colitur ad diem 25 Aprilis.

3. *Tempus, locus, occasio.* Certum est Marcum post Matthæum et ante Joannem ac juxta omnes, excepto Clemente Alexandrino, etiam ante Lucam Evangelium suum edidisse. Quo loco, quo tempore, qua occasione, ex Patribus ediscamus. Refert Papias (4), vir ætati apostolicæ proximus : « Marcum, Petri interpretem (5), quæcumque memoriæ mandaverat a Domino aut

(1) *Act.* XII, 12, 25; XIII, 5, 13; XV, 37.

(2) *Coloss.* IV, 10; *II Tim.* IV, 11; *Philem.* 24. Vide de hac quæstione docte disserentem Patritium, *De Evangeliis* l. I, c. 2, q. 2.

(3) Hieron., *De vir. ill.* 8.

(4) Ap. Euseb., *Hist. Eccl.* III, 39.

(5) Marcum Petri interpretem vocant Irenæus (*Contra hær.* III, 1), Tertullianus (*Adv. Marcion.* IV, 5), Hieronymus (*De vir. ill.* 8), alii.

gesta aut dicta diligenter non tamen ordine exscripsisse. Neque enim ipse Dominum audiverat aut sectatus fuerat unquam. Sed cum Petro, ut dixi, postea versatus est, qui pro audientium utilitate, non vero ut sermonum Domini historiam contexeret, Evangelium prædicabat. Quocirca nihil peccavit Marcus, qui nonnulla ita scripsit, prout ipse memoria repetebat. Id quippe unum studebat, ne quid eorum quæ audierat prætermitteret, aut ne quid falsi eis affingeret. »

4. Clemens Alexandrinus (1), postquam dixit Marci Evangelium post illud Lucæ conscriptum fuisse, in quo a ceteris antiquis differt, ait : « Cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice prædicasset et Spiritu sancto afflatus Evangelium promulgasset, multi qui aderant Marcum cohortati sunt, utpote qui Petrum jamdudum sectatus fuisset et dicta ejus memoria teneret, ut quæ ab Apostolo prædicata erant conscriberet. Marcus igitur Evangelium composuit, iisque qui illud ab ipso rogabant impertiit. Quod cum Petrus comperisset, nec prohibuit omnino rem fieri, nec ut fieret incitavit. » Quamvis autem S. Petrus Marcum ad scribendum non incitaverit, attamen postquam Marcus scripsisset, scriptum approbavit, ut tradunt Eusebius et Hieronymus.

5. Eusebius (2) refert : « Romanos enixe exorasse Marcum, Petri sectatorem, ut doctrinæ illius, quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret. Nec prius destiterunt quam hominem expugnassent auctoresque scribendi illius, quod secundum Marcum dicitur, Evangelii exstitissent. Quod cum Petrus per revelationem S. Spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in ecclesiis legeretur. Refertur id a Clemente in sexto Institutionum libro. Cui testis etiam accedit Papias Hierapolitanus episcopus. » Hæc fere exscribit Hieronymus (3) : « Marcus, inquit, discipulus et interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ a fratribus breve scripsit Evangelium. Quod cum Petrus audisset probavit et ecclesiis legendum sua auctoritate dedit....

(1) Ap. Euseb., *Hist. Eccl.* VI, 14.
(2) *Hist. Eccl.* II, 15.
(3) *De vir. ill.* 8. Cfr. *Prol. in Matth.; Epist. ad Hedib.*

Assumpto itaque Evangelio quod ipse confecerat, perrexit in Ægyptum, et primus Alexandriæ fidem annuntians, constituit ecclesiam. » « Evangelium secundum Marcum, inquit Synopsis Athanas., Romæ quidem ab Apostolo Petro dictatum est, editum vero a Marco... et ab ipso postea Alexandriæ prædicatum. »

6. Marcus igitur Romæ conscripsit Evangelium antequam mitteretur in Ægyptum, quod affirmant etiam S. Epiphanius, Synopsis Athanasiana, Theophylactus aliique. Solus Chrysostomus (1) asserit Marcum suum Evangelium exaravisse in Ægypto.

7. Ex iisdem testimoniis colligitur S. Marcum scripsisse postquam Romæ jam advenisset S. Petrus, seu post annum æræ vulgaris 42. P. Patritius putat brevi post hujus Apostoli adventum Marcum scripsisse. Quod confirmatur ab Euthymio et a quibusdam codicibus qui in subscriptionibus docent Evangelium Marci conscriptum esse anno decimo a resurrectione Christi.

8. Difficultas tamen aliqua ingeritur ex verbis S. Irenæi (2), qui, originem Evangeliorum describens, ait : « Matthæus in Hebræis ipsorum lingua Scripturam edidit Evangelii, cum Petrus et Paulus Romæ evangelizarent et fundarent Ecclesiam. Post vero horum excessum, Marcus, discipulus et interpres Petri, et ipse quæ a Petro nuntiata erant, per scripta nobis tradidit. Et Lucas sectator Pauli quod ab illo prædicabatur Evangelium in libro condidit. » Ex his verbis innui videtur Evangelium Marci post mortem Apostolorum Petri et Pauli conscriptum fuisse, quod conciliari nequit cum iis, quæ ab aliis Patribus traduntur de morte Marci ante mortem Petri et de editione Evangelii approbante Petro. Omne incommodum tolleretur, si quis cum Possino (3) legeret : μετὰ τὴν τούτου ἔκδοσιν Μάρκος etc. *Post editionem Evangelii Matthæi, Marcus*, etc. Alias difficultatis solutiones suggerit P. Patritius (4). Ipse orationem aliter interpungens hunc elicit sensum : « Quum Petrus et Paulus Romæ evangelizarent et fundarent Ecclesiam, post Petri ab Urbe discessum, Marcus... Evangelium conscriptum tradidit, post vero Pauli profectionem ab Urbe, Lucas, etc. » Vel referens vocem ἔξοδον

(1) *Hom. I in Matth.* n. 3.
(2) *Contra Hær.* III, 1.
(3) *Catena Vet. Patr. in Marc.* I. Cfr. Massuet ad Irenæi *Contra hær.* III, 1.
(4) *De Evangeliis* l. I, c. 2, q. 2. n. 15-23.

exitum ad omnes Apostolos, quorum statim mentionem fecerat Irenæus, hunc efformat sensum : « Apostoli exierunt in fines terræ evangelizantes. Matthæus, quum adhuc esset in *Hebræis*, seu in Judæa, et antequam illi exirent, edidit Evangelium. Post vero *horum exitum*, id est, postquam Apostoli omnes exierunt in fines terræ, Marcus... Evangelium conscriptum tradidit, etc. »

9. *Lingua.* Subscriptio, quæ legitur ad finem versionis syriacæ, notat S. Marcum latine scripsisse, cui favere videtur illa circumstantia qua pro Romanis scribebat. Attamen græce, non autem latine, Marcum scripsisse patet ex indole græci textus et ex traditione. Ad textum quod attinet, sufficiat adducere unum exemplum. Legimus *Marc.* VII, 25 : *Mulier.. cujus filia habebat spiritum immundum*, græce : γύνη ἧς εἶχεν τὸ θυγάτριον αὐτῆς πνεῦμα ἀκαθάρτον *mulier cujus filia ejus*, etc. Patet verba græca non esse textus latini translationem ; nam abesset eo casu particula αὐτῆς, quæ non reperitur in textu latino nec requiritur ad indolem linguæ Græcæ, sed prorsus indicat virum Judæum græce scribentem.

10. Idem affirmant Patres, ubi dicunt omnes Evangelistas, excepto Matthæo, græce scripsisse. Audiatur Augustinus (1) : « Horum sane quatuor, inquit, solus Matthæus hebræo scripsit eloquio, ceteri græco. » Et Hieronymus (2) : « De novo nunc loquor Testamento, quod græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo. » Nec obstat Marcum pro Romanis scripsisse; nam et S. Paulus ad Romanos græce scripsit.

11. *Indoles narrationis S. Marci ejusque ad Matthæum relatio.* Maxima inest affinitas inter utrumque Marci et Matthæi Evangelium, quod recte notavit S. Augustinus, quum Marcum Matthæi *abbreviatorem* dixit. Etenim conferenti utrumque Evangelium manifestum est Marcum, dum scriberet, Evangelium S. Matthæi ante oculos habuisse. Matthæus quidem plura narrat, Marcus autem pauciora, sed, si priora sex capita demas, in quibus nonnihil series narrationis differt, ubique idem ordo conspicitur tum in rebus narrandis tum in sermonibus referendis; quin et sæpius Marcus in sua narratione verba Matthæi

(1) *De consens. Evv.* I, 2.
(2) *Præf. in Evv.* De prætenso latino Marci autographo vid. supra p. 202.

usurpat (1). Imo quando Matthæus vaticinia refert aliter ac sunt in hebræo aut in versione LXX, Marcus eadem vaticinia refert, non ut leguntur in hebræo et græco, sed ut referuntur a Matthæo (2). Quod si Marcus rarius, Matthæus sæpius ad vaticinia provocat, hæc differentia provenit ex eo quod Matthæus pro Judæis scribens vaticiniis eis demonstrare volebat Christum esse Messiam; Marcus vero pro ecclesia ex gentibus ac Judæis conflata narrans ab allegandis vaticiniis temperare et parabolis quibus maxime delectantur Judæi parcius uti debebat. Denique Marcum Matthæo usum esse, dum scriberet, patet ex eo quod iisdem in locis eædem fiunt ab utroque Evangelista animadversiones circa rerum adjuncta earumque causas et effectus.

12. Quamvis autem Marcus codicem Matthæi sæpius exscripserit, silentio tamen premit sat bene multa quæ Matthæus refert, et vicissim quædam adjicit a Matthæo omissa. Sic refert sanationem alicujus dæmoniaci in synagoga, alicujus cæci in Bethsaida, et manifestationem Christi redivivi undecim Apostolis, de quibus nihil habet Matthæus (3). Præterea refert nonnullas minutas circumstantias, a ceteris Evangelistis omissas, quas didicerit a teste qui rebus interfuisse debuit. Illud denique observandum Marcum referre plura minuta Petrum spectantia de quibus silent alii. Sic refert aliquam negationem Petri in atrio principis sacerdotum, quam omittit Matthæus. E contra Petri confessionem quam fuse refert Matthæus, brevissime indicat Marcus, quia sane ob humilitatem Petrus, quo prædicante edoctus erat Marcus, quæ sibi gloriosa erant parce memorabat (4). Hæc autem omnia apprime conveniunt cum traditione Patrum asserentium Marcum scripsisse juxta quod Petrum referentem audierat.

(1) Cfr. *Marc.* VI, 45-50 cum *Matth.* XIV, 22-28; *Marc.* VII, 5-16 cum *Matth.* XV, 1-11; etc.

(2) Cfr. *Marc.* I, 2 et *Matth.* XI, 10 cum *Mal.* III, 1; *Marc.* I, 3 et *Matth.* III, 3 cum *Is.* XL, 3; *Marc.* VII, 10 et *Matth.* XV, 4 cum *Exod.* XXI, 17, etc.

(3) *Marc.* I, 23; VIII, 23; XVI, 14.

(4) Cfr. Euseb. *Demonstr. Evang.* III, 5.

IV. *De Evangelio S. Lucæ.*

1. *Argumentum.* Plura habet hoc Evangelium cum duobus præcedentibus communia, alia vero ipsi propria. In tres partes dividi potest. In prima parte narratur historia infantiæ Salvatoris, id est, annuntiatio conceptionis Joannis Baptistæ et Jesu, utriusque nativitas, Christi circumcisio, ejus in templum præsentatio ac in Nazareth commoratio (I-II). In secunda parte describitur vita Christi publica; narrantur varia ejus per Galilæam miracula; recitantur sermones et parabolæ, servato ordine diverso ab eo, quem observare est apud Matthæum et Marcum. Evangelista deinde describit Christi profectionem in Jerusalem, ejus diversionem apud Zachæum in urbe Jericho, ejectionem vendentium e templo, prædictionem ruinæ Jerusalem (III-XXI). In tertia parte sistitur historia passionis, resurrectionis ac ascensionis (XXII-XXIV).

2. *Auctor.* Lucas, natione Antiochensis, professione medicus, minister, discipulus atque comes Pauli Apostoli, prædicatum ab ipso Evangelium scripto tradidit (1).

3. Lucam medicum fuisse affirmat ipse Paulus (*Coloss.* IV, 14), quod etiam ejus stylus indicat. Divus Apostolus etiam insinuat Lucam fuisse origine ethnicum; nam illum discernit a *circumcisis* (2). Hoc autem ab Eusebio confirmatur. Refert autem S. Hieronymus (3) plerosque veterum tenuisse Lucam *proselytam* fuisse inter Judæos, quod et accurata quam prodit legum Mosaicarum cognitio satis indicat. Quonam tempore fidem christianam amplexus sit ignotum est. Illud certum Lucam inter comites Pauli fuisse, quum is Troade solvit ut iret in Macedoniam (4). In comitatu Pauli permansit usque dum veniret Philippis. An deinde per alias partes Græciæ ipsum secutus sit non constat. Cum Paulo tamen ivit Jerosolymam ad Jacobum ; deinde in comitatu Pauli fideliter permansit, durante Pauli

(1) Cfr. *Coloss.* IV, 14; Euseb., *Hist. Eccl.* III, 4, 24; Iren., *Contra hær.* III, 1, 1; XIV, 1; Tertull., *Adv. Marcion.* IV, 2; Hieron., *De vir. ill.* 7; *Prol.* in *Matth.* Synopsis Athanas.; etc.

(2) Cfr. *Coloss.* IV, 11 et 14.

(3) *Quæst. hebr. XLVI in gen.*

(4) *Act.* XVI, 8, sqq.

captivitate, eique assiduus fuit et in Cæsaræa et in Roma (1). Traditur S. Lucam in Achaia martyrium obiisse. Ejus memoria celebratur die 18 Octobris.

4. Porro tota antiquitas tradit Lucam auctorem esse tertii Evangelii. Hæc autem traditio firmissimum habet fundamentum in *Proœmio Act. Apost.* in quo Lucas ait : *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere usque in diem qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est.* Ex quibus verbis patet auctorem Actuum Lucam priorem ad Theophilum direxisse scriptum de doctrina et gestis Christi usque ad diem ascensionis. Illud autem scriptum nequit esse Evangelium Marci aut Matthæi, siquidem neutrum ex duobus hisce Evangeliis Theophilo dicatum est, bene vero tertium Evangelium, quod ad Theophilum dirigitur et desinit in ascensione Domini. Stylus etiam tertii Evangelii ejusdem indolis est cum stylo libri Actuum et magis accedit ad græcitatem classicam quam ceteri libri novi Testamenti, quod innuit unum eumdemque esse utriusque libri auctorem.

5. *Locus.* De loco, in quo S. Lucas suum composuit Evangelium, vix antiqui loquuntur. S. Hieronymus (2) tradit : « Lucam in Achaiæ Beotiæque partibus volumen condidisse. » Nonnulli codices græci indicant Macedoniam, quidam alii Romam.

6. *Tempus.* Probabiliter plurimi asserunt Evangelium Lucæ editum fuisse intra annos 48 ad 55 æræ vulgaris. Illud certum Evangelium ante Actus Apostolorum prodiisse. Hinc qui tenent Actus conscriptos fuisse ad finem biennii illius, quod Paulus in primis suis vinculis Romæ transegit, necessario tenent Evangelium Lucæ saltem ante an. 60 esse exaratum. Qui vero tenent Actus post mortem Pauli esse editos habent amplius spatium, in quo possunt collocare confectionem Evangelii. Ex altera parte ab omnibus antiquis, excepto, ut diximus, Clemente Alexandrino, ratum habetur Lucam post Matthæum et Marcum scripsisse, sed ante Joannem. Et revera si quis attente contulerit Evangelium Lucæ cum duobus prioribus deprehendet Lucam

(1) *Act.* XXI, 8; XXIV, 23; XXVIII, 16, 30; *Coloss.* IV, 14; *II Tim.* IV, 11; *Philem.* 24.

(2) *Prol. in Matth.* Cfr. Gregor. Nazian. *Carm.* lib. I, sect. I. *Carm.* 12

sæpius cum Matthæo et Marco ita convenire, ut admittendum sit vel ipsi cognita fuisse duo illa Evangelia vel Matthæum et Marcum multa ex Luca hausisse. Cum autem Lucas meliori ordine narrationem suam disposuerit, apparet ipsum ex duobus prioribus hausisse, non autem illos ex ipso. Etenim quomodo fieri potuisset ut Marcus et Matthæus ordinem Lucæ cognoscentes hunc ordinem ex proposito sine ulla ratione turbavissent? Quum insuper Patres asserant Lucam Evangelium suum conscripsisse juxta prædicationem Pauli, sequitur ejus Evangelium non fuisse editum nisi postquam jam Paulo adhæserat.

7. *Scopus.* Quid consilii habuerit Lucas in suo Evangelio conscribendo ipse statim in limine aperit his verbis : *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum ; sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis : visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem* (1). Ea igitur fuit mens Lucæ ut ordine historico referret Christi res gestas prout illæ adimpletæ fuerunt, et prout ipse eas didicit ex prædicatione Apostolorum, quos notat fuisse testes oculatos harum rerum atque verbi Dei ministros seu Evangelii prædicatores.

8. Idcirco autem S. Lucas Evangelium scripsit, ut haberet Theophilus, (2), cui illud dicavit, et cum eo gentiles fidem amplexi (3), authenticam de factis Christi narrationem. Nam ante ipsum multi, gratia divina destituti, Evangelia scribere conati erant, quæ Ecclesia non probaverat. *Multi,* inquit, *conati sunt.* His verbis non comprehendi Matthæum et Marcum patet ex eo quod Evangelista dicit : « *Multi,* non duo, *conati sunt,* id est absque debita auctoritate scripserunt. » « *Multi conati sunt,* inquit S. Ambrosius (4), sed Dei gratia destituti sunt... Non

(1) *Luc.* I, 1-4.

(2) Fuerit ille Theophilus vir apprime notus, ut colligere est ex titulo *optimi* (κρατίστου), quæ epitheton gubernatoribus provinciarum a Romanis tribuebatur.

(3) Origenes testatur (Ap. Euseb. *Hist. Eccl.* VI, 25) Lucam in gratiam ethnicorum credentium scripsisse.

(4) *Comment. in Luc.* I, 1. Cfr. Origen. *Hom. I in Luc.* et *Comment. in Luc. Patrol. gr.* t. XIII, col. 1802; t. XVII, col. 311; S. Athanas., *Epist. fest.* 39; S. Hieron., *Prol. in Matth.*; Epiphan., *Hær.* LI; Augustin., *De consens. Evv.* II, 2; Photius, *fragm. in Luc.*; Beda; Theophylact. Euthymius, alii ad h. l.

conatus est Matthæus, non conatus est Marcus, non conatus est Joannes, non conatus est Lucas : sed divino Spiritu ubertatem dictorum rerumque omnium ministrante, sine ullo molimine cœpta complerunt. » « Lucas, inquit Eusebius (1), in ipso Evangelii sui exordio quæ scribendi sibi causa esset exposuit. Ait enim multos temere atque imprudenter aggressos fuisse narrationem earum rerum quas ipse exploratas haberet : ac proinde se necessitate adductum, ut nos ab incertis opinionibus liberaret, certissimam ac fidelissimam narrationem earum rerum, quarum ipse veritatem partim ex Pauli contubernio, partim ex reliquorum Apostolorum sermonibus hauserat, Evangelio suo tradidisse...

9. *Fontes*. Fontes, ex quibus S. Lucas historiam Christi hauserit, duo assignari possunt. Ostendimus supra Lucæ nota fuisse Matthæi et Marci Evangelia, ex hoc igitur fonte deprompserit multa illa quæ communia habet cum Matthæo et Marco, quæ ceteroquin iisdem fere verbis a Luca referuntur. Sed est præterea alius fons, nempe prædicatio Pauli, quem diu secutus est S. Lucas. Hoc indirecte asseritur a Tertulliano (2), quando dicit : « Lucæ Digestum Paulo adscribi. » Synopsis Athanasiana eodem sensu ait : « Evangelium secundum Lucam dictatum quidem est ab Apostolo Paulo, conscriptum vero et editum a Luca. » Ex procemio Lucæ etiam colligitur Evangelistam ab aliis Apostolis (3) eruditum fuisse : *Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis*. His enim verbis designantur illi Apostoli, ut Petrus, Jacobus (4), Matthæus, qui ab initio vel fere ab initio vocati a Christo, ab initio ipsi viderunt et Evangelii prædicatores fuerunt. S. Paulus, qui non fuit nisi post reliquos vocatus, numerari nequit inter eos qui ab initio cum Christo fuerunt.

10. *Mutua relatio ad Matthæum et Marcum*. Plura refert S. Lucas Christi dicta atque gesta quæ iisdem vel fere iisdem verbis a Matthæo et Marco recitantur. Alia communia habet

(1) *Hist. Eccl.* III, 24.

(2) *Advers. Marcion.* IV, 5.

(3) Irenæus (*Contra hær.* III, 10) vocat Lucam *sectatorem et discipulum Apostolorum*. Cfr. Euseb. *Hist. Eccl.* III, 4 et 24; Hieron., *De vir. ill.* 7.

(4) *Act.* XXI, 18 refertur Paulum cum advenisset in Jerusalem, accessisse cum Luca et aliis comitibus ad Jacobum.

cum solo Matthæo, quædam cum solo Marco, nonnulla ipsi propria sunt, ut v. g. nativitas Joannis Baptistæ, annuntiatio conceptionis Christi, circumcisio, præsentatio in templo, parabolæ de filio prodigo, de villico iniquitatis, de divite et Lazaro, etc. Ordo autem, quem sequitur S. Lucas, magis differt ab ordine quem sequuntur Matthæus et Marcus et accuratiorem chronologiæ rationem habet.

V. *De Evangelio S. Joannis.*

1. *Argumentum.* Supplet Joannes ea quæ a tribus prioribus omissa sunt et in quibus maxime elucet divinitas Christi. Postquam enim dixit Verbum Dei incarnatum esse et a Joanne Baptista testimonium habuisse, narrat vocationem priorum discipulorum, miraculum in Cana factum, colloquia Christi cum Nicodemo et cum muliere Samaritana (I-IV). Sequuntur sanatio ægroti 38 annorum et multiplicatio panum (V-VI). Subnectit Evangelista quæ fecit Jesus in Jerusalem in festo Scenopegiæ, historiam mulieris adulteræ, sanationem cæci nati, resurrectionem Lazari in Bethania, aliaque pauca usque ad triumphalem ingressum in Jerusalem (VII-XII). Sequitur narratio ultimæ cœnæ et sermonum quos hac occasione Christus habuit ad discipulos (XIII-XVII). Historia passionis, resurrectionis et apparitionum Christi resuscitati ad discipulos librum claudit (XVIII-XXI).

2. *Auctor.* Auctorem quarti Evangelii Joannem, discipulum quem diligebat Jesus, tota antiquitas salutat. Hoc ipse Joannes affirmavit. Nam, loquens de discipulo a Jesu dilecto ait (1): *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc; et scimus quia verum est testimonium ejus.* Natus est autem Joannes Bethsaidæ in Galilæa, patre Zebedæo, matre Salome, quam Scriptura recenset inter eas pias mulieres quæ, cum ex bonis suis Christo ministrassent dum perambulabat Judæam, juxta crucem ejus steterunt atque cum aromatibus ad ejus sepulcrum venerunt. Juvenis adhuc erat Joannes, quum Jesus circa mare Galilææ præteriens ipsum cum fratre suo

(1) *Joan.* XXI, 24.

Jacobo ad apostolatum vocavit. Illi, statim, relicto patre, secuti sunt Jesum (1). Joannes Christo adfuit, cum transfiguratus est in monte Thabor. Jussus cum Petro parare pascha in suprema cœna caput in sinu Christi reclinavit. Jesum in hortum olivarum comitatus, ei cum Petro et Jacobo adfuit quum in agonia factus prolixius oravit. Magistrum ad crucem usque prosecutus est, ubi dulcissima illa verba audire meruit, quibus Jesus eum Mariæ matri suæ in filium et vicissim eam ipsi in matrem commendavit. Post Pentecosten Joannes Evangelium Jerosolymis cum Petro prædicavit. Traditur S. Joannem Jerosolymis remansisse usque ad mortem Beatæ Virginis. Deinde fidem in Asia Minori prædicavit sedemque fixam Ephesi habuit. In persecutione Domitiani Romam accersitus atque in dolium ferventis olei immissus inde illæsus evasit (2), atque in insulam Pathmos relegatus fuit, ubi suam scripsit Apocalypsin. Exinde Ephesum rediit, qua in urbe senectute et annis gravatus e vita discessit, anno ætatis circiter centesimo, tertio Trajani, Christi centesimo primo juxta Eusebium.

3. *Tempus et locus.* Certum est Joannem diu post tres priores Evangelistas scripsisse, quum jam senex factus esset et pullularent jam variæ hæreses. Quonam autem anno et loco non ita perspicuum est. S. Irenæus, qui a Polycarpo de rebus Joannis Apostoli fuerat edoctus, asserit Evangelium Joannis Ephesi fuisse editum. An ante exilium in Pathmum insulam, an post solutionem exilii dubitare licet (3). Alii tradunt Joannem scripsisse in insula Pathmos. Denique Synopsis Athanasiana asserit : « Evangelium secundum Joannem et dictatum est a Joanne Apostolo, cum exul esset in Pathmo insula, et postea ab eo Ephesi editum (4). »

4. Fuere nonnulli qui autumarent Evangelium Joannis scriptum fuisse ante ruinam Jerosolymæ, ex eo quod (*Joan.* V, 2)

(1) *Marc.* I, 16-20; *Matth.* IV, 21-22; *Luc.* V, 10-11.

(2) Hieron. *in Matth.* XX, 22; Tertul., *De præscript.* 36.

(3) Auctor canonis antiquissimi a Muratorio editi tradit Andream Apostolum adhuc in vivis fuisse. Rem non definiunt Iren., *Contra hær.* III, 1; Clem. Alex. apud Euseb., *Hist. Eccl.* VI, 14; Hieron., *Prol. in Matth.* Epiph., *Hær.* LI, 12 tradit Evangelium scriptum post reditum a Pathmo in Asiam.

(4) Vide omnia testimonia de hac re ap. Patritium, *De Evangeliis* l. I, c. IV, q. 5.

dicitur : *Est autem Jerosolymis probatica piscina*, ubi vocula *est* (εστι) indicat urbem adhuc stetisse quando auctor scribebat, alioquin debuisset dicere : *Erat* (ἦν) *Jerosolymis*. Sed fortasse illa piscina adhuc supererat post urbis direptionem per Titum. Adde quod lectio *εστι est* non adeo certa est ; nam omnes versiones syriacæ, versio armeniaca, aliqui codices et Nonnus Panopolitanus, legunt : *ην erat.*]

5. *Scopus et occasio.* [Scopus quem intenderit Joannes multiplex fuerit. Nam et voluerit omissa nonnulla in tribus prioribus Evangeliis referre, nascentes hæreses eradicare, præsertim autem divinitatem Christi veramque ejus incarnationem stabilire.] Ipse enim ad finem Evangelii sui dicit (XX, 31) : *Hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus filius Dei : et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Ex his patet voluisse Evangelistam probare Jesum esse Christum seu Messiam Judæis promissum ipsumque esse vere et proprie filium Dei. Idcirco ea præsertim refert in quibus elucet divinitas Christi, quam tunc negabant hæretici. Quinam autem fuerint illi hæretici, quos voluerit Joannes impugnare, non ita liquet ; nominat Irenæus Cerinthum et Nicolaitas ; Hieronymus et Epiphanius citant Cerinthum, Ebionitas aliosque hæreticos (1). Voluit præterea Joannes, ut testantur Eusebius et Hieronymus (2), supplere ea quæ ab aliis Evangelistis fuerant omissa.

(1) Irenæus, *Contra hær.* III, 11, 1 : « Joannes volens per Evangelii annuntiationem auferre eum, qui a Cerintho inseminatus erat hominibus, errorem, et multo prius ab his qui dicuntur Nicolaitæ... sic inchoavit Evangelium. » Hieron., *Prol. in Matth.* « Joannes, quum esset in Asia, et jam tunc hæreticorum semina pullularent, Cerinthi et Ebionis et ceterorum, qui negant Christum in carne venisse... coactus est ab omnibus pene tunc Asiæ episcopis et multarum Ecclesiarum legationibus de divinitate Salvatoris altius scribere... Et ecclesiastica narrat historia, quum a fratribus cogeretur ut scriberet, ita facturum se respondisse, si, indicto jejunio in communi, omnes Deum precarentur. Quo expleto, revelatione saturatus, in illud procemium cœlo veniens erupit : *In principio*, etc. » Cfr. Epiphan., *Hær.* LI, et LXIX, 23.

(2) Euseb., *Hist. Eccl.* III, 24 : « Perlatis jam in omnium ipsiusque adeo Joannis notitiam supradictis tribus Evangeliis, approbavisse ea Joannes et veritatem scriptorum suo testimonio confirmasse dicitur : solam vero narrationem earum rerum quas Christus circa prædicationis initium gesserat, desiderasse. Et profecto ita se res habet. Nam superiores tres Evangelistas, ea dumtaxat, quæ post conjectum in vincula Joannem Baptistam, unius anni curriculo a Servatore nostro gesta sunt, litteris mandasse perspicuum est...

Scripsit autem rogatus et quodammodo coactus a fidelibus et ab episcopis Asiæ, simul autem a Spiritu sancto impulsus. Voluit autem ut antequam scribere inciperet, communes emitterentur preces et commune servaretur jejunium per triduum (1).

CAPUT III.

DE ORIGINE ATQUE AUCTORITATE IV. EVANGELIORUM (2).

Præmissis iis quæ unumquodque Evangelium in particulari spectant, gressum facimus ad probandum quatuor, de quibus diximus, Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis, Evangelia esse authentica, integra atque vera adeoque fide digna et ab omnibus tanquam vere historica, non autem fictitia, suscipienda. Ut autem dilucide simul ac compendiose, quantum possumus, res illa tractetur, postquam recensuerimus errores eorum qui Evangelia impugnarunt, demonstrabimus quatuor Evangelia esse : 1° authentica, 2° integra, 3° vera. Pauca addemus de eorum divinitate.

I. *Errores de auctoritate Evangeliorum.*

1. Quatuor Evangelia statim ac edita fuere ab omnibus christianis unanimi consensu recepta fuerunt. Discordem tamen ab hac concordia vocem emiserunt quidam hæretici, Evangelia aut lacerantes aut falsa interpretatione pervertentes aut eorum unum alterumve rejicientes.

Joannes res a Christo gestas priusquam Joannes Baptista custodiæ mancipatus fuisset, Evangelio suo complectitur. »

(1) Hieron. l. supra cit.: Clemens Al. ap. Eusebium, *Hist. Eccl.* VI, 24; *Canon Muratorii.*

(2) Cfr. Fassini, *De apostolica Evangeliorum origine...* Romæ, 1769; Demaret, *De origine Evangeliorum deque eorum historica auctoritate*, Lov. 1865; Wallon, *De la croyance due aux Evangiles*, Paris 1858; De Valroger, *Crédibilité de l'histoire Evang. par Tholuck*, Paris, 1847; Lardner, *Credibility of the Gospels*, *Ed.* 1830, etc.

2. *Nazaræi et Ebionitæ*. Nazaræi, e Judæis Palæstinensibus oriundi, solo utebantur Matthæi Evangelio, quod patria lingua conscriptum et nonnullis additionibus locupletatum et immutatum, *secundum Hebræos* vocitabatur (1). Ebionitæ, sicut Nazaræi, solum Matthæi Evangelium recipiebant, cum hac tamen differentia, quod, cum Nazaræi Evangelium Matthæi haberent absolutissimum, Ebionitæ e contra genealogias resecarant, idque ipsum ne integrum quidem, sed adulteratum et mutilum habebant (2). Si autem Mario Mercatori fides est, Marci et Lucæ auctoritate interdum usi sunt Ebionæi, cum videlicet id e re sua esse existimabant (3). Cerinthus et Carpocrates cum suis asseclis solo Matthæo, illoque non integro sed decurtato, utebantur, sicut Ebionæi; sed ab eis in hoc differebant quod Matthæi genealogias admittebant, quas illi resecarant (4).

3. *Gnostici*. Valentinus ejusque discipuli et generatim Gnostici, Evangelia quidem non repudiabant, sed eorum sensum corrumpebant, contendentes, diu ante Semlerum, Apostolos in suis scriptis se accomodavisse falsis ac præjudicatis Judæorum opinionibus. « Dicunt hi vanissimi sophistæ, inquit Irenæus, quoniam Apostoli cum hypocrisi fecerunt doctrinam secundum audientium capacitatem et responsiones secundum interrogantium suspiciones... non quemadmodum habet ipsa veritas (5). » Imo in tantum processerunt audaciæ, inquit idem Doctor, ut novum evangelium, quod veritatis nuncupabant, confecerint, gloriantes plura se habere quam sint ipsa Evangelia (6).

4. *Marcion*. Marcion et qui ab eo sunt Marcionitæ ex quatuor Evangeliis, repudiatis tribus, solum Lucæ, imo ejus partem dumtaxat, probant, suppresso tamen auctoris nomine; nullum enim huic inscribi voluerunt. Non solum autem initium Evangelii et quæcumque veteris Testamenti testimonia recitabantur

(1) Vide supra p. 221.

(2) Cfr. Irenæus, *Contra hær*. I, XXVI, 2; III, XI, 7; Epiphanius, *Hæres*. XXX, 3, 13-14; Eusebius, *Hist. Eccl.* III, 27.

(3) Vid. Massuet, *Dissert. I, art.* 3 *in Opp. Irenæi*

(4) S. Philastrius, *Hær*. XXXVI, S. Epiphanius, *Hær*. XXVIII, 5; XXX, 3, 14.

(5) Irenæus, *Contra hær*. III, V, 1; III, II, 2; III, I. Irenæus diserte affirmat eos usos fuisse Evangelio S. Joannis. Ex opere gnostico, cui titulus πίστις σοφία, constat eos alia etiam recepisse Evangelia, imo integrum Testamentum, ut asserit Tertullianus, *De præscr*. 38.

(6) Irenæus, *Contra hær*. III, XI, 7, 9.

abstulerant, sed plura etiam in medio vel addiderant vel resecarant, prout ipsos ad id cogebat controversiæ necessitas (1). Eodem fere tempore prorupit secta *Alogorum*, qui, quia eorum hæresis nullatenus consistere poterat cum iis quæ Joannes habet de Verbo, Evangelium Joannis repudiabant (2).

5. *Manichæi*. Versipellis Manichæorum secta, partim Gnosticis partim Marcionitis consentiens, Evangelia specie quidem, ut hodierni Rationalistæ, recipiebat; re autem vera negabat. « Diabolicum illud sibi privilegium arrogant Manichæi, inquit Augustinus, ut quidquid est in Evangelio quo adjuvari hæresim suam putent, id esse a Christo et Apostolis dictum teneant atque suadeant; quidquid autem ex iisdem codicibus adversus eos sonuerit, immissum ab infalsatoribus, ore impudenti ac sacrilego non dubitent dicere. » Ulterius progressi ausi sunt jactare Evangelia « longo post tempore a quibusdam incerti nominis viris qui, ne sibi non haberetur fides, scribentibus quæ nescirent, partim Apostolorum nomina, partim eorum qui Apostolos secuti viderentur, scriptorum suorum frontibus indiderunt, asseverantes secundum eos se scripsisse quæ scripserint (3). »

6. *Philosophi*. Philosophi denique pagani, Celsus, Porphyrius ac Julianus apostata, quamvis omnibus viribus Christi fidem impugnarent, non negarunt Evangelia Apostolorum esse, sed eorum veritatem infirmare studuerunt.

7. Præter supra memoratos, vix alii inveniuntur in tota antiquitate qui Evangeliis detraxerint. Nec ullus postea surrexit, a sæculo IV ad finem usque sæculi XVII, qui Evangeliorum auctoritatem eamque divinam recusaret, donec philosophi in-

(1) Irenæus, *Contra hær.* I, XXVII, 2 : « Cerdoni succedens Marcion... id quod est secundum Lucam Evangelium circumcidens, et omnia quæ sunt de generatione Domini conscripta auferens, et de doctrina sermonum Domini multa auferens, in quibus manifestissime conditorem hujus universitatis suum Patrem confitens Dominus conscriptus est; semetipsum esse veraciorem, quam sunt hi, qui Evangelium tradiderunt, Apostoli, suasit discipulis suis, non Evangelium, sed particulam Evangelii tradens eis. » Cfr. *Contra hær.* III, XI, 7, 9; et XIV, 4, 11. Tertull., *De præscript.* 38 et 51 : « Marcion, Cerdonis instar sui magistri, solum Lucæ Evangelium, nec tamen totum recepit. » Cfr. etiam *adv. Marcion*, IV; Epiphanius, *Hær.* XLII.

(2) Irenæus, *Contra hær.*; πιστις σοφια; Epiphanius, *Hær.* LI, 3-4.

(3) *Contra Faustum* XXII, 13; XXXII, 2. Cfr. etiam X, 3; XI, 2; XXII, 13; etc.

creduli, Toland, Bolingbroke, Collins, apud Anglos, Voltaire, Rousseau, alii, in Gallia, Celsi et Porphyrii vestigia prementes, non tam Evangelia esse genuina et integra negarent, quam potius eorum auctores nullam fidem mereri quacumque ratione stabilire conarentur (1).

8. *Rationalistæ.* Mox autem e principio liberi examinis, a pseudo-reformatis invecto, altera surrexit schola, quæ hodie late per Germaniam, Galliam, Angliam, septentrionalem Americam, alibi, venenum suum spargit et Evangeliorum auctoritatem undequaque convellere nititur. Hæc est schola quæ, quia omnem revelationem prorsus abjicit solaque ratione duci gloriatur, *Rationalistica* appellatur.

9. *Semler.* Hujus scholæ parens Semlerus quatuor, ut olim Valentiniani, Evangelia recipit; sed, quia ex una parte nihil supernaturale in doctrina aut in factis admittere statuit et ex altera parte plura in Evangeliis referuntur miracula seu facta supernaturalia, et plura definiuntur dogmata rationis captum superantia, necessitate systematis coactus hæc omnia intra rationis limites reducere satagit. Ad hunc finem ponit Semlerus Judæos, tempore Christi, præjudicatis de Messia, angelis, dæmonibus, ultimo judicio ac resurrectione, opinionibus fuisse detentos. Jesus porro, ne animos a se alienaret, his opinionibus, quas falsas apprime sciebat, *se accommodavit.* Itaque Christus plura dixit, quæ quidem in se sunt falsa, sed intelligi debent per *accommodationem,* quia Jesus, ut in animis Judæorum veriora quæ prædicabat dogmata instillaret, debuit se accommodare eorum præjudicatis opinionibus. Sic evertit Semlerus veritatem Evangeliorum. Quam vacillans sit hujus systematis fundamentum, quam oppositum prædicationi Christi et Apostolorum, quam indoli eorum repugnans alibi demonstravimus (2).

10. *Eichhorn.* Ubi autem ratio constituitur supremus omnium controversiarum judex, statim exurgunt tot fere sententiæ quot capita. Eichhorn igitur cernens maximam inesse inter tria priora Evangelia necessitudinem, ut eam explicaret, novam

(1) Eorum errores exposuit et confutavit Bergier, *Traité de la vraie religion* t. VII-VIII. Ed. Tornac. 1827.

(2) Vid. *Introd gen.* p. 249, sqq.

excogitavit hypothesin toti traditioni inauditam, imo contrariam. Finxit nempe olim exstitisse primitivum quoddam Evangelium (Germanice *Ur-Evangelium*) prius aramaice scriptum, deinde græce translatum, quod immutatum et locupletatum per successivas additiones et recensiones, quas primo quinque deinde duodecim somniavit, efformaverit, diversis temporibus, Evangelia Matthæi, Marci et Lucæ (1). Eichhornii hypothesin in pluribus tamen immutatam Marsh et Gratz admiserunt. Sed surrexerunt alii, qui, repudiata hypothesi alicujus Evangelii primigenii scripti quod perierit, ei substituerunt hypothesin Evangelii primigenii ore traditi, quam diversissime rursus explicarunt. Hanc proposuit Eckermann, defenderunt Gieseler, Credner, Schott, De Wette, Schleiermacher, alii.

11. Si hujus sententiæ patroni hoc sibi tantum vellent, Evangelium scilicet ore ac prædicatione fuisse propagatum antequam litteris mandaretur, libentissime assentiremus; si vellent Marcum plura ex prædicatione Petri, Lucam plura ex prædicatione Pauli, hausisse, nos non haberent contradicentes; id enim et novum Testamentum insinuat et traditio asserit. Sed de aliquo Evangelio prototypo vel orali vel scripto, quod per successivas vices fuerit immutatum, donec obtineret quadruplicem illam Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis formam quam nunc habet, illius ne vestigium quidem reperitur in tota antiquitate, et omnibus inauditum fuit antequam rationalistica inveheretur critica.

12. *Ewald.* Præcipuus autem Scholæ Goettingensis patronus Ewald recentissime sibi visus est omni difficultati viam præclusisse. Juxta ipsum exstiterit primo quædam narratio de factis Christi, deinde alia efformata fuerit collectio effatorum ejus. Hæc variis atque variis modis fuere coadunata, donec tandem eam acciperent formam quam nostra Evangelia repræsentant. Hæc quidem extra Ewaldi phantasiam nullum fundamentum habent, ipse tamen simul admittit originem apostolicam nostrorum Evangeliorum et stultum pronuntiat eum qui de Evangelio Joannis dubitaret (2).

(1) Vid. De Wette, *Einleitung in das N. T.* § 84. 6ª ed. Berolini, 1860.

(2) Varias hypotheses de Evangelio primitivo exposuit et confutavit Ad. Maier, *Einleitung in die Schrift. d. N. T.* pars I, sect. I, § 3-8. Cfr. De Valroger, *Introduct. cit.* t. II, 538-543.

13. *Paulus.* Interim Paulus Heidelbergensis, vestigiis Semleri et Kantii insistens, novum excogitabat systema, *naturalismi* nomine insignitum, quo quidquid supernaturale est ab Evangeliis tollitur. Paulus suas doctrinas pandit in *Commentario in quatuor Evangelia*, quod ab anno 1800 prodiit, et in *Vita Jesu;* mortuus est anno 1851. Paulus, ut Semlerus, quatuor Evangelia ut vere historica habet; sed juxta ipsum Evangelia nihil differunt a libris profanis, nec quidquam divinum ipsis inest; atque idcirco Jesus nequaquam Deus prædicandus, sed vir dumtaxat ingenio atque virtute quam maxime conspicuus, qui præclarissima quidem gesta, sed mere humana, gessit. Porro ejus discipuli receptis tunc temporis apud Judæos notionibus præoccupabantur. Unde fiebat ut simul ac aliquid eximium aut stupendum oculis cernerent, causam ejus divinam mox decernerent. Quia autem Evangelistæ et ipsi ex discipulis Christi erant, de factis ab illo patratis judicarunt juxta receptas hac ætate apud Judæos notiones et narrationem evangelicam conformiter ad has notiones exornarunt. Unde factum est ut plura in Evangeliis occurrant taliter enarrata ut divino charactere insigniantur, quamvis realiter eo destituta judicari debeant a theologo, qui apprime discernere debet, Paulo docente, *factum* a *judicio* quod de facto tulit Evangelista. Porro pars illa, quæ in narratione ad rem mere naturalem reduci potest, ad *factum;* pars autem, quæ indolem supernaturalem prodit, ad *judicium* relegatur. *Factum* solum admittitur; *judicium* ad falsas Judæorum opiniones pertinet. Hinc omnia Christi miracula, ægrorum sanationes, mortuorum suscitationes, et alia hujus generis, non sunt nisi facta naturalia, quæ Christus sua medicinæ scientia operatus est. Deo illa tribuerunt falsæ, quibus Judæi detinebantur opiniones. Si quod autem miraculum ex scientia medicinæ Paulo explicandum non videatur, tunc illud tribuit secundæ fortunæ, vel aliis naturalibus causis. Ad hunc finem, nunc vim vocibus infert, nunc vocabulis inauditas significationes præbet, nunc circumstantias narrationis omittit, nunc denique ipsam narrationem immutat. Uno verbo Evangelia mutilat et arbitraria interpretatione corrumpit.

14. Paulus ad suam sententiam traxit plures. Alii tamen Rationalistæ recte observarunt hac ratione omnem veram historiam destrui, si unicuique pro libitu liceat narrationis circumstantias vel demere vel augere ut facti natura mutetur, si fas

sit, invitis vocibus, hanc depromere significationem, quæ præconceptæ sententiæ conveniat. Imo in hoc systemate, Christus, nedum eximius sit virtute vir, mendax efficitur; nam ex Pauli interpretatione sequitur Christum taliter se gessisse ut Messias reputaretur, quamvis ipse Messias non esset.

15. *Strauss*. Perspiciens igitur Straussius Pauli placita nulla ratione propugnari posse, simul tamen Paulo consentiens in negandis miraculis et rebus supernaturalibus, ipse Evangeliis applicavit *systema mythicum*, quod jam ab aliis usurpatum fuerat ad explicandas portentosas veteris Testamenti narrationes. Hoc systemate innixus non amplius allaborat Straussius ut naturaliter explicet facta, quæ in Evangeliis tanquam supernaturalia referuntur, quod conabantur *naturalistæ*, sed ea facta ipse eodem loco habet ac fabulas (μυθους) Jovis, Saturni, Herculis, etc. Unde fit ut Straussio Evangelia non distinguantur ab Homeri Iliade aut Hesiodis Theogonia. Hæc principia explicavit Strauss in *Vita Jesu*, anno 1835 primum edita, et pluries postea recusa.

16. Quomodo autem sese evolverit mythologia evangelica sic exponit Straussius. Mythi evangelici ex duplici præsertim fonte oriundi sunt ; ex notione scilicet Messiæ et ex ratione agendi Jesu. Quando Jesus natus est, Judæi Messiam expectabant venturum, et ipsi qualitates Deo competentes, miracula, sapientiam divinam, virtutes supernaturales, tribuebant. Jesus porro inter Judæos conversatus est , quum præconcepta hac Messiæ venturi notione tenerentur, et talia ipse gessit ex quibus nonnulli discipuli ipsi adhærentes sibi persuaserunt Jesum esse Messiam. Hæc persuasio labente primo sæculo magis magisque sese evolvit, donec, sæculo secundo vel tertio, eam formam acceperit, quam conspicimus in Evangeliis canonicis (1).

17. Quoniam mythi, juxta eorum patronos, non statim sese

(1) Gallicus Straussi interpres D. Littré totum doctoris germani opus sic contrahit : « Suivant Strauss, Jésus ayant inspiré pendant sa vie et laissé après sa mort la croyance qu'il était le Messie, et le type de Messie existant déjà dans les livres sacrés et dans les traditions du peuple Juif, il se forma parmi les chrétiens une histoire de la vie de Jésus, où les particularités de sa doctrine et de sa destinée se combinèrent avec ce type, et qui passa par des modifications successives jusqu'au moment où elle fut définitivement fixée dans les Évangiles canoniques. (Strauss, *Vie de Jésus traduite par M. Littré. Avertissement*).

efformant et evolvunt, sed pedetentim nascuntur, sese exornant, ore transeundo de una generatione ad aliam, donec tandem plene se dilatentur, intellexit Straussius necesse esse reponere Evangelii confectionem diu post mortem Christi et Apostolorum, ut haberetur tempus sufficiens ad formationem vitæ Jesu mythicæ. Idcirco Straussius negavit Evangelia esse authentica, et ingenue fassus est suum systema *prorsus convelli ab eo qui probaret Evangelia originis esse apostolicæ* (1).

18. Hæc porro inest Paulum inter et Straussium differentia : Paulus miracula in res naturales convertere satagit, Straussius in fabulas. Paulus servat traditionem quæ asserit nostra Evangelia ab Apostolis esse repetenda, Strauss omnia argumenta externa rejicit, et ex sola crisi interna, præsertim vero ex contradictionibus quas ubique se deprehendisse fingit, probare contendit Evangelia recentiora ac mythica esse. Non animadvertit auctor quod, etiamsi prætensæ, quas effutit, contradictiones revera in Evangeliis reperirentur, infringerent quidem eorum veracitatem, nequaquam vero authenticitatem; probarent Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem sibi contradixisse, nequaquam vero non scripsisse.

19. Alio defectu laborat Straussii opus. Admittit doctor ille aliqua vere historica occurrere in Evangeliis ; nullam vero regulam certam stabilire potest, qua partes historicæ a partibus mythicis discernantur. Quod enim asserit regulam certam desumi ex impossibilitate miraculorum, gratuita hypothesis est quam ipse non probavit (2).

20. *Renan*. Straussii cogitata mythica, paulisper tamen ope

(1) Nam postquam dixit mythos inesse debere in religione christiana sicut in religionibus paganis, ita ponit quempiam sibi objicientem : « Mais, répond-on, cette origine divine ne repose nulle part sur des documents aussi authentiques que dans les religions juive et chrétiennes. Tandis que les cycles mythiques chez les Grecs et les Latins sont formés par le recueil de légendes sans garanties, l'histoire biblique a été rédigée par des témoins oculaires ou du moins par des gens qui, d'une part, on été en raison de leurs rapports avec des témoins oculaires, en état de raconter la vérité, et d'autre part, ont une probité si manifeste, qu'il ne peut rester aucun doute sur leur intention de la dire. *Cet argument serait en effet décisif, s'il était prouvé que l'histoire biblique a été écrite par des témoins oculaires, ou du moins par des hommes voisins des événements* (*Vie de Jésus. Introduct.* § XIII, p. 80 2de éd. Paris 1853) »

(2) Systema mythicum confutavimus in *Introduct. gen.* p. 253.

explicationum naturalisticarum Pauli Heidelbergensis mitigata, ne nimium aures offenderent, abjecto etiam eruditionis germanicæ apparatu, nuperrime in Galliam invexit E. Renan, vir ex catholico impius, ex fideli infidelis, pantheista imo et atheus, in famosissimo libro : *Vie de Jésus* (1). In hoc opere contradictiones sophismatibus et falsis suppositis continuo miscens et testimonia pervertens aut erronee annotans vafer auctor apostolicam Evangeliorum originem dubiam facit, eorum auctoritatem prout opus est servat vel abjicit, historiam evangelicam in *legenda* (*légendes*, facta vera involucro fictitio induta et sic in prodigia mutata) convertit et totam Jesu Christi vitam, indolem ac doctrinam, destruit, docens, ut olim Ebionitæ, Jesum esse merum hominem Nazarethi ex Josepho et Maria natum, qui fuit quidem rudis et illiteratus, sed ex amœnitate regionis Galilææ suavissimam indolem facundissimumque sibi eloquium efformavit, ita ut tam facunde ac suaviter prædicaret regnum Dei seu cultum mere idealem, ut ad se attraxerit nonnullos discipulos nulla re nisi nativa quadam simplicitate conspicuos. Isti discipuli, quia Messiæ venturi idea præoccupabantur, sibi persuaserunt Jesum esse Messiam ipsique miracula tribuerunt. Hoc, quamvis sciret esse falsum, permisit Jesus, et successive ita ab idea sua illectus fuit, ut, jam non amplius mente sanus, in absurdissima quæque præceps rueret, adversus Pharisæos, legem, templum, sacerdotes, gubernium, verba faceret. Ex quo factum est ut quadam necessitate compulsi Pontius Pilatus et Judæi ipsum extremo crucis supplicio condemnarent. Collocatus in sepulcro Jesus nunquam potuit exinde se eripere; sed suo amore delusa Maria Magdalena et phantasia sua decepti discipuli eum ressuscitatum crediderunt et prædicarunt. Hæc sunt Renani absurdissima figmenta ex mixtis placitis Pauli et Straussii confecta, jam alibi a nobis confutata (2).

(1) « L'auteur de cet ouvrage, insouciant de la part qu'une main apostolique peut avoir prise à la rédaction de l'Evangile, et guidé par ses préjugés contre la révélation et les miracles, a, par une interprétation sans règle ni mesure, et une imagination pleine de frivolité, transformé en *caricature* l'histoire évangélique et son héros. » Tischendorf, *Wann wurden unsere Evangelien verfaszt ?* p. 2. 3ª ed. Lips. 1866.

(2) Vid. *L'Évangile et la critique. Examen de la Vie de Jésus de M. Ernest Renan.* Malines, 1864.

21. *Schola Tubingensis.* Evangeliis non magis pepercit ardens rationalismi negativi promotor, Baurius, anno 1862 defunctus. Is vix Christum fidei nostræ auctorem salutat, præcipuas in re christiana condenda partes Paulo Apostolo tribuit ; fingit enim luctam inter christianos ex Judæis et christianos ex gentibus, inter *Petrinos*, ut ipse ait, et *Paulinos*, quæ lucta usque ad sæculum secundum perseveraverit ; lassis autem partibus atque inita conciliatione, exinde ortus est, juxta Baurium, christianismus universalis. Porro Evangelia successivis evolutionibus efformata fuerint. Inita enim sæculo secundo pace inter duas christianismi partes, Evangelia Matthæi et Marci, utpote nimis Judaizantia, et Evangelium Lucæ, Paulo nimis inhærens, correcta fuere. Evangelium autem Joannis, ob suam de λόγῳ doctrinam, Gnosticis recentius esse Baurio apparet. Baurio adhærent Schwegler, Zeller, Ritschl, Volkmar, Keim, Hilgenfeld, Koestlin, Réville, D'Eichtal, alii, qui, quamvis se invicem acerbe sæpius impugnent, in negatione Evangeliorum conveniunt et efformant scholam sic dictam *Tubingensem*.

22. Rationalistis applicari possunt verba Tertulliani (1) : « Scripturas obtendunt et hac sua audacia quosdam movent ; in ipso vero congressu firmos fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. » Et adhuc : « Ista hæresis non recipit quasdam Scripturas; et si quas recipit, adjectionibus et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit; et si recipit, non recipit integras; et si aliquatenus integras præstat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum et corruptor stylus; variæ præsumptiones nolunt agnoscere ea per quæ revincuntur. His nituntur quæ ex falso composuerunt, et quæ de ambiguitate ceperunt. »

23. Porro rationalisticæ critices duo sunt præcipua vitia. Primum illud est, quo pro axiomate ponunt miracula esse impossibilia, et idcirco supposititia, fictitia aut interpolata habent omnia Evangeliorum testimonia, in quibus miracula referuntur. Quam graviter errent non est demonstrandum. Quis enim negare potest Deum summe liberum, potentem ac providum,

(1) *De præscript.* 15, 17.

qui naturam creavit eique leges imposuit, posse extra naturæ ordinem aliquid producere, adeoque miracula facere (1)?

24. Alterum neotericæ critices vitium consistit in eo quod ad inquirendum de auctore, origine, integritate atque veritate alicujus scripti, testimonia externa negligunt, parvipendunt ac rejiciunt, traditionem spernunt et rem argumentis internis fere unice definiendam volunt. Porro ex præconceptis ideis semper ratiocinantur, et, ubi opus est, verba immutant, sententias resecant aut evolvunt, donec in suum sensum textum trahant invitum.

25. Recensitis hisce erroribus, gravissimam aggredimur temporis præsentis quæstionem. Probanda enim nobis est Evangeliorum auctoritas, quam maxime impugnant Rationalistæ, quia recte sentiunt, stabilita historica Evangeliorum auctoritate, impossibile ipsis esse adhuc negare divinitatem Christi, quæ est lapis angularis religionis Christianæ. Ut nostra contra eos disputatio rite procedat, ordine probabimus Evangelia esse authentica, integra, vera, divina.

II. *Quatuor Evangelia sunt authentica.*

1. Hæc propositio demonstratur : 1° testimoniis externis ; 2° testimoniis internis seu indole intrinseca Evangeliorum ; 3° impossibilitate assignandi aliam epocham aut alios auctores, a quibus edita fuerint Evangelia.

§ 1°. *Testimonia externa.*

2. *Testimonia novi Testamenti.* Primum argumentum suppetunt ipsæ Evangeliorum inscriptiones, quæ, quamvis, ut diximus, non ab ipsis auctoribus, sed ex usu potius liturgico repetendæ sint, tamen per universam Ecclesiam receptæ erant diu ante finem sæculi secundi, ut constat ex Irenæo, Tertulliano et

(1) Tritum est illud J. J. Rousseau : « Dieu peut-il faire des miracles? Cette question sérieusement traitée serait impie si elle n'était absurde. Ce serait faire trop d'honneur à celui qui la résoudrait négativement que de le punir, il suffirait de l'enfermer. Mais aussi quel homme a jamais nié que Dieu pût faire des miracles? »

Clemente Alexandrino, ex canone Muratorii circa annum 160 edito, ex versione Itala, qua usi sunt Tertullianus et Irenæi interpres, et ex versione syriaca simplici, quæ ejusdem ætatis esse videtur. Porro isti tituli tanta auctoritate pollebant ut ex illis Tertullianus adversus Marcionem concluderet quatuor Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis Evangelia esse admittenda, rejiciendum vero illud a Marcione ex Luca confectum (1). Si igitur quo tempore auctores Evangeliorum facile nosci poterant, titulorum auctoritas tanta erat ut ipsi hæretici contradicere non possent, quæ sana critica eos hodie rejicere audeat?

3. Præter inscriptiones nihil in Evangeliis Matthæi et Marci habetur ex quo auctor aliquo modo colligi possit. Lucas in prooemio sui Evangelii Theophilum alloquitur et suæ narrationis fontes indicat, sed nomen suum non prodit. In *Actibus* vero Apostolorum (I, 1-2) eumdem Theophilum alloquens asserit se Evangelium conscripsisse : *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est.* Porro hisce verbis S. Lucas, quem probabimus Actuum esse auctorem, designat tertium Evangelium, quod solum ad Theophilum directum est, et in ascensione, ut indicat Lucas, desinit. Quum autem, ut diximus (pag. 230), Evangelium Lucæ supponat Evangelia Matthæi et Marci, illud Actuum testimonium probat tria priora Evangelia jam exstitisse quando liber Actuum exaratus fuit. Denique S. Joannes, etsi in suo Evangelio nomen suum non exprimit, satis tamen indicat se illius esse auctorem, quando scribit illud fuisse conscriptum a *discipulo quem diligebat Jesus* (2). Siquidem in Evangelio innui-

(1) *Adv. Marcion.* IV, 2 : « Marcion Evangelio, scilicet suo, nullum adscribit auctorem, quasi non licuerit illi titulum quoque affingere, cui nefas non fuit ipsum corpus evertere. Et possem hic jam gradum figere, non agnoscendum contendens opus, quod non erigat frontem, quod nullam constantiam præferat, nullam fidem repromittat de plenitudine tituli, et professione debita auctoris. » Titulos explicavi, *p.* 210, seqq.

(2) *Joan.* XXI, 20 24. Joannes etiam de suo Evangelio loqui videtur quando in *I Epist.* I, 1-3 dicit : *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, et vita manifestata est, et vidimus et testamur et annuntiamus vobis vitam æternam.* Etenim ista annuntiatio historicæ apparitionis Verbi incarnati non fit præcise in Epistola ; bene vero in Evangelio, cujus prima Joannis Epistola fuerit quasi dedicatio et præfatio.

tur (1) et ex traditione certum est dilectum illum discipulum esse Joannem (2).

4. *Testimonia Patrum.* Apostolica Evangeliorum origo invicte demonstratur ex testimoniis totius antiquitatis christianæ.

5. *Patres apostolici.* Patres apostolici, quia et pauci sunt et pauca reliquerunt scripta; quia insuper ea vivebant ætate, qua edita fuerant Evangelia, non adeo multa præbent testimonia. Hoc quippe necessarium non erat. Adhuc enim superstites erant et Joannes Evangelista et alii ex Apostolis plurimique eorum discipuli, quibus omnino supervacaneum fuisset indicare auctores Evangeliorum. Servabantur in ecclesiis Evangelia et tanta quidem cum veneratione ut in officiis liturgicis loco Legis Moysi recitarentur. Citarunt tamen Patres apostolici Evangelia ubi occasio opportuna se obtulit, sed, juxta morem ab iis receptum in alleganda Scriptura, tacito auctoris nomine, et sæpius non ipsissima verba sed sensum dumtaxat memoriter recitabant. Fatemur ambigi quandoque posse an ex traditione orali vel ex scriptis Evangeliis Patres testimonia ab ipsis recitata deprompserint; attamen, si attendatur ad omnia quæ adducunt historiæ evangelicæ testimonia, impossibile est negare illos Patres ante oculos habuisse scripta Evangelia.

6. *S. Clemens Romanus* in *I ad Corinthios Epistola* cap. 13 adhortans Corinthios ait : « Humiles simus... memores *sermonum Domini* quos locutus est docens mansuetudinem et æquanimitatem. Sic enim dixit : *Estote misericordes, ut misericordiam consequamini; dimittite, ut dimittatur vobis; sicut facitis ita vobis fiet; sicut datis, ita dabitur vobis; sicut judicatis, ita judicabimini; sicut indulgetis, ita vobis indulgebitur; qua mensura metimini, in ea mensurabitur vobis.* Hæc simillima sunt iis quæ leguntur *Luc.* VI, 36-38; *Matth.* VII, 1-2. Equidem fieri potest ut Clemens hæc ex traditione orali recitaverit; attamen quum immediate ante Corinthios adjuraverit ut facerent quod *scriptum est*, et quum immediate post, verba Isaiæ recitet sub nomine *sancti Sermonis*, dixerim hic etiam allegari sermones Domini scriptos.

(1) Cfr. *Joan.* I, 14; XIII, 23; XIX, 26; XXI, 2, 20, 24.

(2) Cfr. S. Clement., *I ad Virg.* 6; Iren., *Contra hær.* III, I, 1; Origen., *In Joan.* t. 33, n. 13; Ambros., *In Luc.* lib. VII, 23; Augustin., *In Joan.* tract. 113 n. 2, tract. 124 n. 4; Hieron., *De Vir. ill.* 9; etc.

Ejusdem Epistolæ cap. 46 fere verbotenus recitat verba Christi, quæ referuntur *Matth.* XVIII, 6; *Marc.* IX, 41; *Luc.* XVII, 2. Idem Pater in secunda ad Corinthios Epistola et in Epistolis ad Virgines, quæ tres Epistolæ, etsi ab omnibus non probentur, sunt tamen antiquissimæ et ut genuinæ a doctis auctoribus habentur, plures ex Matthæo, Marco et Luca, sententias refert, præmissa quandoque formula : *Scriptura dicit*, vel : *ait Dominus in Evangelio* (1).

7. *S. Barnabas*, cujus Epistola antiquissima certe est et a doctioribus authentica habetur, provocat ad *Matth.* XX, 16 hisce verbis : « Attendamus ergo, ne forte, sicut scriptum est, *multi vocati, pauci electi*, inveniamur (2). » In Epistola de Martyrio S. Andreæ Apostoli, presbyteri Achaiæ referunt plura quæ S. Andreas dixit; porro quum hæc verbotenus referantur etiam in Evangeliis, probant saltem vera esse quæ Evangelistæ Christo tribuerunt.

8. *S. Ignatius*, Joannis Apostoli auditor et ecclesiæ Antiochenæ episcopus, qui, ineunte sæculo secundo, martyrium passus est, in suis septem genuinis Epistolis, quas paulo ante martyrium conscripsit, sæpius provocat ad Evangelia scripta. Sic scribens ad Philadelphenses (3) ait : « Oratio vestra ad Deum me perficiet ut sorte per misericordiam mihi assignata potiar, confugiens ad *Evangelium* tanquam ad corporaliter præsentem Christum et ad *Apostolos* tanquam ad præsens Ecclesiæ presbyterium. Sed et *Prophetas* diligamus. » Et infra : « Eximium autem quoddam habet *Evangelium*, nimirum adventum Domini nostri Jesu Christi, passionem ejus ac resurrectionem. Dilecti namque *Prophetæ* annuntiaverunt eum. » Et ad Smyrnæos (4) de Docetis agens, ait : « Quibus nec *Prophetiæ* persuasere, nec Moysis *Lex*, sed nec *Evangelium* in hunc usque diem. » Et

(1) Cfr. S. Clementis *II Epist. ad Cor.* cap. 2-6 cum *Matth.* VII, 21, 23; IX, 13; X, 16, 32; XVI, 26 et cum locis Lucæ et Marci parallelis. Cap. 8 cum *Luc.* XVI, 10-11. *I Epist. ad Virg.* cap. 2 cum *Matth.* V, 16; cap. 3 cum *Luc.* VI, 44, cap. 12 cum *Matth.* XVII, 20; *II Epist. ad Virg.* cum *Joan.* IV, 27.

(2) Cfr. Barnabæ *Epist.* 4. Conformis est versio latina textui græco quem primus invenit et edidit Tischendorfius in *Codice sinaitico* t. IV, p. 136, col. 3. Petropoli. 1862.

(3) *Epist. ad Philad.* cap. 5 et 9.

(4) *Epist. ad Smyrn.* cap. 5 et 7.

rursus : « Decet itaque abstinere a talibus (hæreticis); attendere autem *Prophetis*, præcipue vero *Evangelio*, in quo passio nobis ostensa, et resurrectio perfecte demonstrata est. » Ex his verbis colligimus S. Ignatium distinguere scripta novi Testamenti in *Evangelium* et *Apostolos*, sicut distinguit scripta veteris Testamente in *Legem* et *Prophetas*. Agere autem S. Martyrem de Evangelio scripto, non autem ore tradito, patet ex eo quod opponit Evangelium Legi Moysi et Prophetis. Porro per *Evangelium* intelligit, ut S. Melito et Clemens Alexandrinus (1), nostra quatuor Evangelia, quæ in unam coalescunt historiam qua narrantur, ut ait S. Ignatius, adventus, passio ac resurrectio Christi. Quia autem Evangelia nostra jam habebat S. Ignatius, in suis Epistolis ad ea alludit aut etiam ipsissima eorum verba profert (2).

9. Alter Joannis auditor, S. Polycarpus, ecclesiæ Smyrnensis episcopus, statim post martyrium S. Ignatii, ad Philippenses Epistolam scripsit in qua plura refert Christi dicta quæ in Evangeliis referuntur (3). Si authentica sint fragmenta a Victore Capuano circa medium sæculi VI sub nomine S. Polycarpi in sua *Catena in IV Evang.* inserta, S. Martyr nominatim citaverit quatuor Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis, Evangelia (4). Hermas in *Pastore* etiam pluries alludit ad Evangelia, ea tamen non recitat quia res illa ad ejus institutum minus congruebat (5).

10. *Papias*, Hierapoleos in Phrygia episcopus, Joannis Apostoli auditor, vel saltem ætati apostolicæ proximus (6), in fragmento

(1) S. Melito in *Clavi* ap. Migne, *Patrol. gr.* t. V, col. 1223-1226; Clemens Al., *Strom.* VII.

(2) Cfr. Ignatii *Epist. ad Ephes.* 14 cum *Matth.* XII, 33; *Luc.* VI, 43; *Epist. ad Smyrn.* I cum *Matth.* III, 15; *Epist. ad Polycarp.*, 2 cum *Matth.* X, 16; *Epist. ad Rom.* cum *Matth.* XVI, 26; *Marc.* VIII, 36; *Epist. ad Philad.* cum *Joan.* III, 8; *Epist. ad Smyrn.* 3 cum *Luc.* XXIV, 39. De quo loco vide Demaret, *Lib. cit.* p. 115-116.

(3) Cfr. Polycarpi *Epist. ad Philipp.* 2 cum *Matth.* V, 3-10; VII, 1-2; *Luc.* VI, 20, 36 38; *Epist. ad Philip.* 7 cum *Matth.* XXVI, 41; *Marc.* XIV, 38.

(4) Ap. Migne, *Patrol. gr.* t. V, col. 1022-1027.

(5) Cfr. *Pastor*, visio II, 2 cum *Matth.* X, 33; *Visio* III, 9 cum *Matth.* XXIII, 6; *Marc.* XII, 30; *Luc.* XI, 43; Visio IV, 2 cum *Matth.* XXVI, 24; *Marc.* XIV, 21; *Mandat.* IV, 1 cum *Matth.* V, 32; XIX, 9; *Marc.* X, 11; *Mandat.* XII, 6 cum *Matth.* X, 28; *Luc.* XII, 5; *Similitud.* IV, 1 cum *Matth.* III, 10; VII, 19; *Similit.* IX, 20 cum *Matth.* XIII, 22; XIX, 23; *Marc.* X, 23; *Luc.* XVIII, 24.

(6) S. Irenæus, *Contra hær.* V, XXXIII, 4; S. Hieronymus, *Epist. ad Theod.*

libri de *Interpretatione oraculorum Dominicorum,* quod nobis servavit Eusebius (1) diserte asserit apostolicam Evangeliorum originem. Papias igitur, postquam dixit se « nunquam sectatum esse eos qui verbis affluerunt, sed eos potius qui verum docerent » addit : « Quod si quis interdum mihi occurrebat, qui cum senioribus versatus fuisset, ex eo curiose sciscitabar quænam essent seniorum dicta. Quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, quid ceteri discipuli Domini? quidnam Aristion et presbyter Joannes discipuli Domini prædicarent. Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam ex hominum adhuc superstitum viva voce. » Deinde hæc de Matthæo et Marco tradit : « Aiebat presbyter ille (Joannes de quo supra) Marcum, Petri interpretem, quæcumque memoriæ mandaverat, diligenter perscripsisse : non tamen ordine pertexuisse quæ a Domino aut dicta aut gesta fuerant. Neque enim ipse Dominum audiverat aut sectatus fuerat unquam. Sed cum Petro, ut dixi, postea versatus est; qui pro audientium utilitate, non vero ut sermonum Domini historiam contexeret, Evangelium prædicabat. Quocirca nihil peccavit Marcus, qui nonnulla ita scripsit, prout ipse memoria repetebat. Id quippe unum studebat, ut ne quid eorum quæ audierat prætermitteret, aut ne quid falsi eis affingeret. » De Matthæo autem ait : « Matthæus quidem hebræo sermone divina scripsit oracula. Interpretatus est autem illa unusquisque prout potuit. »

11. Præclarum istud Papiæ testimonium variis modis infringere conantur, duce Schleiermachero, plurimi Rationalistarum. Dicunt 1° : Papiam, juxta Eusebium (2), virum fuisse *mediocris ingenii,* cujus idcirco tesimonium nullius est valoris. Sed, etiamsi Papias exili admodum ingenio fuisset præditus, exinde non sequeretur illum non potuisse assequi veritatem circa originem Evangeliorum. Etenim non requiritur acutum adeo ingenium ut quis certior fiat de factis historicis. Idque

LXXV, 3; Anastasius Sinaita, aliique (ap. Migne, *Patrol. gr.* V, 1252.) Papiam Joannis Apostoli auditorem et Polycarpi contubernalem faciunt; Eusebius vero eum dicit auditorem virorum apostolicorum, maxime Aristionis et Joannis presbyteri.

(1) *Hist. Eccl.* III, 39.

(2) Ibid.

eo magis de Papia valet quod asserit se diligentem præmisisse de hac re inquisitionem. Eusebius quidem referens Papiam errori millenariorum adhæsisse ait ipsum *exilis admodum fuisse ingenii*, quia scilicet errore siverat se decipi. At idem Eusebius, si locus non sit interpolatus, paulo ante dixerat : « Papias quoque, Hierapolitanus episcopus, eadem ætate celebris fuit, *vir imprimis disertus et eruditus ac Scripturarum peritus.* »

12. Dicunt 2° : Matthæum, juxta Papiam, nihil de gestis Christi, sed solum ejus *sermones* (τὰ λόγια) scripsisse. Sed non intelligunt sensum verborum Papiæ. Etenim Papias, sicut et alii scriptores ecclesiastici (1), latiorem præbet significationem locutioni τοῖς λόγοις. Quando Papias ait Matthæum scripsisse *sermones* (λόγια) Christi, non idcirco excludit facta quæ illis sermonibus occasionem dederunt, vel quæ sermones comitata aut secuta fuerunt. Imo contrarium ex ipso Papia colligitur. Nam ipse asserens Marcum scripsisse *dicta et gesta Christi* juxta Petri prædicationem, addit Petrum prædicavisse juxta utilitatem audientium, non vero ut historiam *sermonum* (λόγων vel λογίων) (2) *Domini* contexeret, ubi vides vocem λόγοι vel λόγια de universa historia evangelica, prout *dicta* et *facta* complectitur, usurpari. Præterea Papias libro suo titulum fecerat : *Interpretatio* seu *enarratio sermonum dominicorum* (λογίων κυριακῶν). Quis dicet Papiam egisse solummodo de *sermonibus Domini*, seclusis factis ? Contrarium apparet ex paucis, quæ ad nos pervenerunt fragmentis, in quibus Papias agit de historia mulieris plurium criminum accusatæ et de morte Judæ proditoris.

13. Eusebius nullum ex libris Papiæ testimonium de Evan-

(1) Voces λόγια κυρίακα *sermones Domini* latiori sensu de nostris Evangeliis sumuntur ap. Photium, *Biblioth.* cod. 228, *Patrol. gr.* CIII, col. 965, ubi agens de S. Ephræmo ait : « *Scripturæ ipsi sunt vetus Testamentum, et oracula Dominica* (κυρίακα λόγια) *et apostolicæ prædicationes,* quibus verbis cum universus Scripturæ ambitus circumscribatur,, per τὰ λόγια totum Evangeliorum corpus ab argumento principali designatur. Eodem sensu has voces jam usurpavit S. Irenæus *Contra hær.* I, VIII, 1. Nec mirum. Vox enim λόγος ad imitationem hebr. דבר in N. T. non semel tam de narratione facti quam de *sermone* adhibetur. Cfr. *Marc.* I, 45; IX, 10; *Luc.* I, 4; *Act.* VIII, 21. Nec desunt exempla ejusdem significationis apud auctores profanos. Vide Demaret l. c. p. 129-130.

(2) Quidam enim codices habent λογίων, ut observat H. Lämmer in sua nova editione *Hist. Eccl. Eusebii.* Scaph. 1862.

gelio Joannis protulit. Ergo, inquiunt adversarii, illud Evangelium nondum exstabat, alioquin Papiæ ignotum non fuisset. Falsa conclusio. Eusebius nihil ex Papia de Evangelio Joannis protulit, quia Papias nullam peculiarem traditionem de origine, ætate aut confectione Evangelii recitaverit, non quia Papias istud Evangelium ignoraverit. Etenim, quum Eusebius in sua Historia Ecclesiastica (1) solummodo indicet quinam scriptores usi sint auctoritate Scripturarum de quibus ambigebatur, de libris vero omnium consensu receptis ea tantum testimonia recitet, quæ peculiares de eorum confectione circumstantias exhibent, ex silentio Eusebii concludi nequit Papiam Evangelio Joannis usum non fuisse. Imo, si fides est Prologo alicujus codicis latini vaticani (*vat. Alex.* n. 14), qui prologus ante Hieronymum conscriptus videtur, Papias in suis scriptis de Evangelio Joannis locutus fuerit (2).

14. *S. Justinus,* Polycarpi atque Papiæ coævus, ex philosopho christianus, postquam celeberrimas orbis ecclesias, Alexandrinam, Palæstinensem, Ephesinam, adiisset, Romam venit ibique, circa annum 150, Imperatori Antonino ejusque filiis et senatui populoque Romano *Apologiam* pro Christianis obtulit, in qua, sicut et in *Dialogo* quem Ephesi cum Judæo Triphone habuit, sæpius Evangeliis utitur. Porro in hisce operibus S. Martyr præcipua historiæ evangelicæ facta allegat, et ita eorum veritatem certam habet ut fere continuo, præsertim ubi agit cum Triphone, probet prophetias veteris Testamenti suam adimpletionem habere in factis et dictis in Evangelio recitatis. Tot autem ac tanta ex Evangeliis adducit ut vix ullus sit Christi sermo ex quo unam alteramve sententiam non proferat.

15. Justinus pluries asserit se ex Evangeliis desumpsisse ea quæ refert; asserit etiam Evangelia ab Apostolis eorumque discipulis conscripta fuisse. Quum vero rem agebat cum ethnicis et Judæis, quorum parvi intererat novisse quinam Evangelia scripsissent, propria Evangelistarum nomina non prodit; quod vix aliquid ponderis addidisset ejus contra illos argumentationi. Recitat autem Evangelia nunc verbotenus, nunc memoriter, ut

(1) *Hist. Eccl.* III, 3. Cfr. Tischendorfius, *Loc. cit.* p. 113 sqq.

(2) Cfr. Tischendorf., *Loc. cit.* p. 118-119; Aberle, *Quartalschrift Tubing.* 1864, p. 1-47.

Patres apostolici, nunc abbreviando et semel aut iterum ex traditione aliquam circumstantiam addit. Age vero hæc omnia probemus.

16. Et primo quidem S. Martyr Evangelia ipsa designat. In *Apol.* I, 33, volens probare Christum juxta prophetias ex Virgine natum, ait : « Virtus Dei superveniens Virgini obumbravit eam, fecitque ut tum, cum esset Virgo, prægnaret. Et qui tunc ad ipsam Virginem missus est Angelus Dei, sic lætum ei nuntium attulit : *Ecce concipies in utero ex Spiritu sancto, et paries filium, et Filius Altissimi vocabitur : et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum,* quemadmodum docuerunt *qui omnia ad Salvatorem nostrum Jesum Christum pertinentia litteris mandarunt,* quibus et credimus (1). Hæc autem habentur apud *Matth.* I, 21; et *Luc.* I, 31, 32. Deinde *Apol.* I, 66-67, Eucharistiæ institutionem referens, ait : « Apostoli in *Commentariis suis, quæ vocantur Evangelia,* ita sibi mandasse Jesum tradiderunt : eum scilicet accepto pane, cum gratias egisset, dixisse : *hoc facite in meam commemorationem* (2), actisque gratiis dixisse : *hic est sanguis meus* (3), ipsisque solis tradidisse. » Addit S. Justinus illa Apostolorum commentaria seu Evangelia singulis diebus dominicis in conventu fidelium, durante liturgia, perlegi cum scriptis Prophetarum.

17. Ex quo facile est colligere quantam hoc medio sæculo secundo auctoritatem habebant nostra quatuor Evangelia; siquidem cum scriptis divinis Prophetarum legebantur in liturgia. Quod autem S. Justinus eo loco de nostris Evangeliis agat, negari nequit. Mavult quidem ea vocare *commentaria,* seu *memorabilia,* ad morem Xenophontis, quia alloquebatur gentiles qui non intelligebant vocem *Evangelia ;* sed exinde nulla diffi-

(1) Græce « οἱ απομνημονεύσαντες πάντα τὰ περὶ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ : *qui commentaria fecerunt* omnium eorum quæ ad Salvatorem nostrum Jesum Christum pertinent. » Infra S. Justinus Evangelia appellat *commentaria,* hic Evangelistas vocat απομνημονεύσαντες *commentatores.* Tertullianus (*Adv. Marcion.* IV, 2) eodem nomine utens Evangelistas *commentatores* appellat. Pariter Eusebius (*Hist. Eccl.* III, 25), ait Matthæum et Joannem solos ex Apostolis nobis reliquisse ὑπομνήματα, *commentaria* gestorum Salvatoris.

(2) *Luc.* XXII, 19.

(3) *Matth.* XXVI, 28.

cultas ; nam ipse controversiæ viam præcludit : *Apostoli in suis commentariis quæ vocantur Evangelia.*

18. Distinctius auctores Evangeliorum designat in *Dial. cum Triph,* n. 88, ubi, postquam retulit Jesum a Magis fuisse adoratum, quod solus Matthæus narrat, et addidit Jesum communi hominum more crevisse et ignotum usque ad annum trigesimum vixisse, quod solus Lucas refert, recitat baptismum Jesu narrationemque suam componit ex iis quæ a quatuor Evangelistis narrantur atque subjicit : « Jesu ex aqua prodeunti Spiritûm sanctum ad instar columbæ involasse, *scripserunt hujus ipsius Christi nostri Apostoli.* » Et n. 103, postquam dixit de cæde infantium et fuga in Ægyptum, de baptismo et tentatione Christi (1), pergit : « *in Commentariis quos ab ejus Apostolis eorumque discipulis scriptos dico,* proditum est sudorem veluti guttas sanguinis ex eo defluxisse cum precaretur ac diceret : *Si fieri potest transeat a me calix iste* (2). » Ubi manifestum est designari eadem ipsa Evangelia quæ habemus eorumque auctores *Apostolos,* Joannem scilicet et Matthæum, Apostolorumque *discipulos,* Marcum nempe et Lucam. Et n. 106 narrans Christum dedisse Joanni et Jacobo nomen Boanerges, quam circumstantiam solus Marcus (III, 17) prodit, et mutavisse nomen Simonis in Petrum, ait : *id quoque in ejus* (Petri) *commentariis refertur.* Quibus verbis designat Evangelium Marci juxta prædicationem Petri, ut tradunt antiqui, scriptum et idcirco identidem sub ejus nomine designatum.

19. Ex his jam sufficienter demonstratum est Justinum nostra Evangelia eorumque auctores designavisse iisque tanquam verissimis usum esse. Res magis adhuc patebit si rationem examinaverimus qua S. Doctor recitat Christi tum gesta tum dicta.

20. Ad gesta quod attinet, S. Justinus præcipua historiæ evangelicæ capita recitat. In sua autem narratione nunc Matthæum sequitur, nunc Marcum, nunc Lucam, nunc Joannem, nunc simul congerit ea quæ a diversis recitantur. Et quidem quandoque verbotenus quandoque liberius textum Evangeliorum exscribit. Frequenter allegat eas partes, quas Rationalistæ repudiare amant, quales sunt : annuntiatio Mariæ facta ab

(1) *Matth.* II-IV.
(2) *Luc.* XXII, 44; *Matth.* XXVI, 39.

angelo, nativitas Christi in Bethleem, quam ex recensione facta sub Cyrino probat, adoratio magorum, fuga in Ægyptum et cædes infantium (1). Memorat præterea Justinus prædicationem Joannis, baptismum Christi, ejus jejunium ac tentationem (2), confessionem Petri de Christo, Christi asino insidentis ingressum in Jerosolymam , ejus agoniam sudoremque sanguineum in horto olivarum (3), varias ejus passionis circumstantias, ejus silentium coram Pilato, subsannationes Judæorum, sortem jactam de Christi vestimentis, mortem in cruce, prolata ibi verba : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum,* denique Christi resurrectionem ejusque redivivi ad discipulos apparitionem (4), et frequenter admonet se ea decerpsisse ex Commentariis Apostolorum eorumque discipulorum (5).

21. Ad effata quod spectat, vix est ullus Christi sermo ex quo S. Justinus aliquam sententiam non producat, et frequenter quidem verbotenus, sæpius fere verbotenus aliquando autem memoriter. Sæpe autem congerit in unum ea, quæ a diversis Evangelistis diversis in locis referuntur (6). Imo aliqua allegat vaticinia, non quomodo in versione LXX leguntur, sed quomodo Evangelistæ ea exscribunt (7). Ex quo rursus patet Evangelia a Justino adhibita nostris non fuisse diversa.

(1) Cfr. *Apol.* I, 33-34; *Dial. cum Triph.* n. 78, 88, 100, 102, 103 cum *Matth.* I-II; *Luc.* I-II. Hæc autem capita Matthæi et Lucæ rejicienda volunt Rationalistæ.

(2) *Dial. cum Triph.* n. 88, 103. Agens de baptismo Christi addit ignem in Jordane accensum fuisse quando Christus descendit in aquam, quam circumstantiam aut ex traditione aut ex Evangelio secundum Hebræos aut ex nota ad marginem sui codicis apposita ipse hauserit.

(3) *Dial. cum Triph.* 88, 100, 103. Advertas præsertim expressam sudoris sanguinei (*Luc.* XXII, 44) mentionem.

(4) *Dial. cum Triph.* 100, 102, 105-106.

(5) *Ibid.* n. 88, 102, 103, 104, 105, 106, etc.

(6) Verbotenus *Apol.* n. 16 allegat *Matth.* VII, 19, 21; *Dial.* n. 76 allegat *Matth.* VIII, 11-12; n. 100 verba *Luc.* I, 38; n. 125 verba *Matth.* IV, 10; n. 140 verba *Matth.* VIII, 12; n. 105 verba *Matth.* V, 20; n. 120 verba *Matth.* VIII, 11; *Luc.* XXIII, 46. Fere verbotenus *Apol.* n. 15-16 allegat *Matth.* V, 28-29, 32, 34, 42, 44, 46; VI, 19-20, 25; XVI, 26; XIX, 6, 17; *Marc.* XII, 30; *Luc.* VI, 28, 30, 34, 36. Alia ibi in unum congerit. Longius esset ex libris Justini congerere alia multa quæ videri possunt apud De Wette, *Einleit. in N. T.* § 66. 6ª ed. Berolini 1860.

(7) Cfr. *Apol.* n. 34, 35 cum *Matth.* II, 6; XXI, 5; *Apol.* I, 52 et *Dial.* 14 et 33

22. Ex his omnibus luce clarius patet S. Justinum originem apostolicam nostrorum Evangeliorum quam certissimam habuisse, eumdemque plane textum allegavisse quem nunc habemus. Quare merito De Wette (1), quamvis et ipse Evangeliis infensus, eorum sententiam rejicit qui vel cum Schwegler tenent Justinum solo Evangelio *secundum* Hebræos usum esse, vel cum Storr tenent Justinum usum esse aliqua istius Evangelii cum illo Lucæ concordantia, vel cum Paulo Heidelbergensi aliqua concordantia evangelica, vel cum Zeller aliquo Evangelio Synopticis anteriore, vel cum Eichhorn speciali Evangelio multum Matthæo et Lucæ affini, et recte cum catholicis concludit admittendam antiquorum sententiam qui docent S. Justinum nostra canonica Evangelia allegavisse.

23. *Tatianus,* origine Syrus vel Assyrius atque S. Justini discipulus, ex quatuor Evangeliis unum fecerat, quod διατεσσαρων vocaverat, hoc ipso nomine testans quatuor esse Evangelia. In hanc Tatiani harmoniam evangelicam, quæ tempore Theodoreti (2) in ejus diœcesi adhuc omnium manibus terebatur, commentaria edidit S. Ephræmus, quæ ab illis vocibus incipiunt : *In principio erat Verbum,* ut testatur Dionysius Barsalibi (3). In *Oratione ad Græcos,* Tatianus tria dumtaxat Scripturarum testimonia producit, quorum duo ad Evangelium Joannis pertinent (4).

24. *Athenagoras,* scriptor coævus, parce Scripturis utitur in *Legatione pro christianis* et Evangelistas non nominat; adducit tamen veluti ex Scriptura quatuor Matthæi effata (5).

25. Alius ejusdem ætatis scriptor, *Theophilus,* Antiochenæ

refert prophetiam *Zach.* XII, 10 non quomodo LXX sed quomodo Joannes XIX, 37. Cfr. Tischendorf., *Wann wurden unsere Evang. verfaszt,* p. 34.

(1) De Wette, *Einleit. in N. T.* § 66-67.

(2) *Hæret. fab. compend.* I, 20 : « Hic, quod διατεσσαρων dicitur, composuit, amputatis genealogiis et aliis omnibus, quæ Dominum ex semine David secundum carnem natum ostendunt. Eoque usi sunt, non modo qui ejus erant sectæ, sed ii etiam qui apostolica dogmata sequebantur, compositionis fraudem non cognoscentes, sed simplicius tanquam compendiario libro utentes. Nactus sum ego libros hujusmodi supra ducentos in honore habitos in ecclesiis nostris, quos omnes in unum congestos seposui, et pro his quatuor Evangelistarum Evangelia introduxi. »

(3) Ap. Assemanum, *Biblioth. orient.* t. II, p. 159-160.

(4) Cfr. *Orat. ad gent.* n. 13, 19 cum *Joan.* I, 3, 5.

(5) Cfr. *Legat. pro Christ.* n. 11, 12, 32, 33 cum *Matth.* V, 28, 44, 46; XIX, 9.

ecclesiæ septimus post Petrum episcopus, commentarios fecerat in quatuor Evangelia, ut scribit Hieronymus, qui nobis servavit explanationem hujus S. Doctoris in parabolam de *villico iniquitatis* (*Luc.* XVI). Præterea Theophilus *Ad Autolycum* l. II, 22 ait : « Hæc nos docent Scripturæ sanctæ et quotquot Spiritu sancto afflati fuere, ex quibus Joannes dicit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum,* significans ab initio solum fuisse Deum et in ipso Verbum. Deinde addit : *Et Deus erat Verbum : omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil.* » Libro autem III, 12, postquam dixerat « de justitia, quam *Lex* præcipit, consentaneas inveniri *Prophetarum* et *Evangeliorum* sententias; propterea quod omnes uno Dei Spiritu afflati locuti sunt, » recitat verba *Matth.* V, 28, 44; VI, 3.

26. *S. Melito,* Sardensis episcopus, eodem fere tempore ac S. Justinus, plura ex nostris Evangeliis, in *Clavi* (1) nuper ab Em. card. Pitra detecta, producebat hoc modo : *Digitus Dei,* Spiritus sanctus (est)... in *Evangelio : si in digito Dei ejicio dæmonia* (*Luc.* XI, 20). Eodem modo plura adducit ex Matthæo, Marco et Joanne (2).

27. *Claudius Apollinaris,* Hierapoleos episcopus, qui, imperante Marco Aurelio, vivebat, in libro *De Paschate* (3) scribit : « Aiunt (quidam) 14ª agnum cum discipulis manducasse Dominum, magna vero Azymorum die passum esse, atque ita dicere *Matthæum* ut illum intelligunt; unde Legi contraria est eorum interpretatio iisque adversari videntur Evangelia. »

28. *Canon Romanus.* Paulo post medium sæculi II, Romæ edebatur Scripturarum canon, cujus fragmentum in bibliotheca Mediolanensi invenit Muratorius (4). In isto fragmento recensentur duo Evangelia Lucæ et Joannis et talia dicuntur ut manifestum sit auctorem fragmenti antea locutum fuisse de Matthæo et

(1) Edita est in *Spicilegio Solesmensi* t. II. Paris. 1855.

(2) Cfr. *Spicil. Solesm.* t. II, p. 8, 46, 100, 125 cum *Matth.* XXII, 44; XII, 45; V, 14; XIII, 14; *Ibid.* p. 15, 82 cum *Marc.* X, 49; III, 17; *Ibid.* p. 12 cum *Joan.* X, 1; etc.

(3) Ap. Migne, *Patrol. gr.* V, col. 1286-1300.

(4) Habetur in *Patrol. lat.* t. III, col. 170-179 et alibi. Canonis ætas definitur ex iis quæ ibi dicuntur de *Pastore* : « Pastorem *nuperrime temporibus nostris* in urbe Roma Herma conscripsit, *sedente cathedra urbis Romæ ecclesiæ Pio* e[illegible] *o fratre ejus.* »

Marco. Sic enim incipit : « Quibus tamen interfuit, et ita posuit. *Tertio* Evangelii librum secundo Lucam... Quarti Evangeliorum Joannis ex discipulis (1).

29. *S. Irenæus,* ab anno 177 Lugdunensis episcopus et anno 202 corona martyrii ornatus, omne negat effugium iis qui Evangelia sæculo secundo confecta volunt. In sua enim adolescentia S. Polycarpo usus est magistro, qui « non solum ab Apostolis edoctus est et conversatus cum multis qui Dominum nostrum viderunt, sed præsertim Joanni Apostolo familiaris fuit (2). Porro Irenæus testatur se sæpius audivisse Polycarpum commemorantem ea quæ a Joanne aliisque discipulis de Domino audierat. Polycarpus autem, inquit Irenæus, *Christi miracula et dicta eodem modo, quo ab Apostolis audiverat, referebat, in omnibus cum Scriptura sacra consentiens.* Addit Irenæus : « Hæc ego, divina mihi largiente clementia, tunc studiosus audiebam, non in charta, sed in corde meo audita describens, eademque per Dei gratiam sæpius repeto ac revolvo (3). »

30. S. Doctor in libris *contra hæreses,* postquam varia Gnosticorum exposuit systemata, libro tertio incipit ea confutare ex Scripturis et ex traditione. Et statim in limine docet Apostolos non prius Evangelium prædicasse scriptisque mandasse, quam Spiritus Sancti donis instructi essent. « Apostoli per prædicationem incœperunt, postea vero per Dei voluntatem Evangelium in Scripturis nobis tradiderunt, columnam et fundamentum fidei nostræ futurum. » Pergit Irenæus (4) : « Ita Matthæus in Hebræis ipsorum lingua scripturam edidit Evangelii, cum Petrus et Paulus Romæ evangelizarent et fundarent Ecclesiam. Post vero horum excessum, Marcus discipulus et interpres Petri, et ipse quæ a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit. Et Lucas autem sectator Pauli quod ab illo prædicabatur Evangelium in libro condidit. Postea et Joannes, discipulus Domini, qui et supra pectus ejus recumbebat, et ipse edidit Evangelium, Ephesi Asiæ commorans. »

31. Deinde docet contra eos, qui somniabant Apostolos cum hypocrisi fecisse doctrinam secundum audientium capacitatem,

(1) Latinitas mendis scatet.
(2) *Contra hær.* III, III, 4.
(3) *Epist. ad Florin.* ap. Euseb. *Hist. Eccl.* V, 20.
(4) *Contra hær.* III, I, 1.

in via ad discipulos suos quæ locutus est, et quemadmodum cognoverunt eum in fractione panis. »

33. Per reliquam libri partem perplura adducit præsertim ex Marco et Joanne testimonia prout hodie in nostris Evangeliis leguntur. Tot denique et tanta ex Evangeliis recitat Irenæus ut ex ipso colligere possemus fere universam narrationem evangelicam.

34. *Tertullianus.* Dum Evangeliorum veritatem ita asserebat in Gallia Irenæus, Tertullianus in Africa contra Marcionem, qui solum Lucæ Evangelium idque decurtatum et interpolatum admittebat, auctoritatem Evangeliorum his verbis adstruebat (1): « Constituimus imprimis, Evangelicum Instrumentum Apostolos auctores habere, quibus hoc munus Evangelii promulgandi ab ipso Domino sit impositum; si et apostolicos, non tamen solos, sed cum Apostolis, et post Apostolos. Quoniam prædicatio discipulorum suspecta fieri posset de gloriæ studio, si non adsistat illi auctoritas magistrorum, imo Christi, qui magistros Apostolos fecit. Denique, nobis fidem ex Apostolis Joannes et Matthæus insinuant; ex apostolicis Lucas et Marcus instaurant.... Marcion Evangelio, scilicet suo, nullum auctorem adscribit, quasi non licuerit illi titulum quoque affingere, cui nefas non fuit ipsum corpus pervertere. Et possem hic jam gradum figere, non agnoscendum contendens opus quod non erigat frontem, quod nullam constantiam præferat, nullam fidem repromittat de plenitudine tituli, et professione debita auctoris. Ex iis *commentatoribus* (Evangelistis) quos habemus, Lucam videtur Marcion elegisse quem cæderet. »

35. Deinde probat Tertullianus Marcionem se ipsum confutare. Nam vel admittit Apostolos Evangelium adulteravisse et eo ipso jam Christum accusat qui Apostolos elegit, vel admittit Apostolos integrum Instrumentum habuisse, pseudoapostolos vero illud adulteravisse. Sed quomodo tunc certior evadit suum Evangelium ab Apostolis profectum? Pergit Tertullianus (2): « Ego meum dico verum, Marcion suum; ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei præscribens auctoritatem, quod antiquius

(1) *Adv. Marcion.* IV, 2.
(2) *Ibid.* IV, 4.

reperietur et ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur? in quantum enim falsum corruptio est veri, in tantum præcedat necesse est veritas falsum. Adeo antiquius Marcione est, quod est secundum nos, ut *ipse illi Marcion aliquando crediderit.* » Demonstrat deinde Tertullianus Marcionem eo ipso quod contendit se in suo evangelio priora emendavisse, confiteri suum Evangelium esse novum, Tertulliani vero Evangelia prius exstitisse.

36. Denique præclaris hisce verbis concludit (1) : « In summa, si constat id verius quod prius, id prius quod ab initio, id ab initio quod ab Apostolis; pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus quod lac a Paulo Corinthii hauserint; ad quam regulam Galati sint correcti, quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesii, quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium et Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt. Habemus et Joannis alumnas ecclesias. Nam etsi Apocalypsim ejus Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensus, in Joannem stabit auctorem. Sic et ceterarum generositas recognoscitur. Dico itaque apud illas nec solas jam apostolicas, sed apud universas, quæ illis de societate sacramenti confœderantur, id Evangelium Lucæ ab initio editionis suæ stare, quod cum maxime tuemur. Marcionis vero plerisque nec notum, nullis vero notum, ut non eo damnatum. Habet plane et illud ecclesias, sed suas, tam posteras quam adulteras; quarum si censum respicias, facilius apostaticum invenias quam apostolicum, Marcione scilicet conditore, vel aliquo de Marcionis examine. Faciunt favos et vespæ; faciunt ecclesias et Marcionitæ. *Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum cæteris quoque patrocinabitur Evangeliis, quæ proinde per illas et secundum illas habemus, Joannis dico et Matthæi, licet et Marcus quod edidit Petri affirmetur, cujus interpres Marcus : nam et Lucæ Digestum Paulo adscribere solent.* Vix monendum est Tertullianum plusquam trecenta Evangeliorum effata in variis suis scriptis recitare.

37. *Clemens Alexandrinus.* Eodem fere tempore, ad finem scilicet sæculi II, Alexandriæ florebat Clemens Alexandrinus,

(1) *Advers. Marcion.*, IV, 5.

scholæ hujus ecclesiæ insignis magister. Ipse etiam continuo Evangelia recitat, eorumque auctoritatem tanquam Scripturæ divinæ invocat. Sæpius quidem utitur hac vel simili formula : *in Evangelio scriptum est,* quandoque tamen Evangelia discernit eorumque auctores nominat. Sic, referens (1) dictum quoddam Domino tributum, monet istud dictum *in nobis traditis quatuor Evangeliis non haberi,* sed in eo quod est *secundum Ægyptios*. Quaternarium numerum accepisti : audi nomina : « In Evangelio secundum Matthæum, ait Clemens (2), quæ ab Abraham deducitur genealogia, usque ad Mariam matrem Domini terminatur : *sunt enim,* inquit, *ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim, et a David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim, et a transmigratione Babylonis usque ad Christum similiter aliæ generationes quatuordecim.* » Rursus : « Natus est Dominus noster, quum primum jusserunt descriptiones (αποyραφας) fieri, tempore Augusti. Quod autem hoc verum sit, sic scriptum est in Evangelio secundum Lucam : *Anno autem quintodecimo Tiberii Cæsaris , factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium.* » Et rursus in eodem : *Erat Jesus veniens ad baptisma , quasi triginta annorum.* Et iterum : « Alibi quoque, ait, Dominus in Evangelio secundum Joannem aliter hoc per symbola ac signa exposuit, quum dixit : *Comedite carnes meas, et bibite meum sanguinem.* » Alibi postquam retulit ea quæ *Marc.* X, 17-30 habentur, addit : « Hæc quidem in Marci Evangelio scripta sunt. »

38. *Versio Itala et versio syriaca simplex.* Denique jamdiu ante finem sæculi II Evangelia nostris similia fuisse invicte probat versio *Itala,* qua usi sunt Tertullianus et vetus Irenæi interpres. In ea namque habentur Evangelia prout hodie exstant. Quod idem confirmatur pro ecclesia Syrorum ex versione *Simplici*, quæ ad finem sæculi II exstitisse videtur.

39. His superfluum videtur addere testimonia eorum scriptorum, qui inde a sæculo III Evangeliorum textum recensuerunt aut commentati sunt. Etenim nullus, quod sciam, hucusque ausus est asserere Evangelia nostra sæculo III esse recentiora, aut Origenem et Cyprianum ad manum non habuisse ea ipsa

(1) *Strom.* III, c. XIII.
(2) *Strom.* I, c. XXI.

Evangelia quæ ad nos pervenerunt. Ostendimus ex scriptoribus sæculi II jam hac ætate Evangelia ubique fuisse recepta, in Ecclesia Romana, Alexandrina, Palæstinensi, Antiochena, Asiatica, Africana, Gallica, uno verbo, in universo orbe christiano.

40. Merito igitur asserebat Origenes (1) : « Ex traditione accepi de quatuor Evangeliis, *quæ sola in universa Dei Ecclesia quæ sub cœlo est citra controversiam admittuntur;* primum scilicet Evangelium scriptum esse a Matthæo, prius quidem publicano, postea vero Apostolo Jesu Christi, qui illud hebraico sermone conscriptum, Judæis ad fidem conversis publicavit. Secundum fuisse accepimus Evangelium Marci, qui, prout Petrus ipsi exposuerat, in litteris retulit. Tertium Evangelium Lucæ, quod a Paulo commendatur, in gratiam Gentilium conscriptum. Postremum vero Evangelium Joannis. » Merito ante Origenem asseruerat Tertullianus illa quatuor Evangelia ubique in ecclesiis apostolicis sola recipi ; merito S. Justinus coram paganis prædicabat illa eadem Evangelia publice in cœtibus christianorum recitari eamdemque auctoritatem cum scriptis divinis Prophetarum obtinere ; merito denique S. Irenæus affirmabat Evangelia fidei esse columnas atque fundamentum tantæque esse firmitatis, ut et ipsi hæretici testimonium eis redderent, et ex eis egrediens unusquisque eorum conaretur exinde suam firmare doctrinam.

41. *Testimonia hæreticorum* (2). Ab initio usque ad mediam partem sæculi II plures prodierunt hæreticorum sectæ, vulgo Gnosticæ, quæ, etsi aut non omnia Evangelia receperint aut ea alia atque ratione nunc addendo, nunc minuendo, nunc sensum immutando, perverterint, tamen hac sua agendi ratione probarunt Evangelia ad finem primi sæculi jam exstitisse et originis esse apostolicæ. Equidem perierunt pleraque horum hæreticorum opera; ex iis autem quæ nobis servata sunt ab Irenæo, Tertulliano, Epiphanio aliisque scriptoribus qui eos impugnarunt assertio nostra abunde firmatur.

42. *Valentiniani.* Post Ebionitas et Cerinthianos, de quibus ante diximus, primo loco occurrunt Gnostici, quorum præcipui

(1) Ap. Euseb. *Hist. Eccl.* VI, 25.

(2) Ea docte expenderunt Demaret, *loc. cit.* p. 164-188; Tischendorf, *loc. cit.* p. 42-75.

fuere Valentinus (circa an. 140) ejusque sectatores : Ptolemæus et Heracleon, Basilides, qui juxta Eusebium sub Adriano (117-138) floruit, Naasseni, Peratæ et Ophitæ, quos ceteris Gnosticis antiquiores facit auctor *Philosophumenon* (lib. V, n. 6). Systema Valentini et Valentinianorum tam arcte cohæret cum Evangeliis, præsertim cum illo Joannis, ut dicendum sit vel Joannem ex Valentino sua deduxisse, quod falsum esse ex superioribus constat, vel Valentinum quæ Joannes tradit sua fecisse, quod ultimum verum esse negari nequit. Hæc a S. Irenæo, systema Valentini exponente, edocemur. Valentiniani systema suorum eonum ædificabant super verba Evangelii Joannis : *In principio erat Verbum*, etc. Abutebantur tamen et aliis Evangeliis. Dicebant enim triginta eones significari per triginta annos vitæ Christi absconditæ (*Luc.* III, 23) et per parabolam vineæ (*Matth.* XX, 2); duodecadem vero eonum significari per duodecim annos quos vixerat Christus, quando cum doctoribus disputavit in templo (*Luc.* II, 42), et per hoc quod Christus duodecim elegit Apostolos (*Luc.* VI, 13); decem vero eones significari per illud *Matth.* V, 18 : *iota unum aut unus apex non præteribit a Lege.* Ad suos errores aptare etiam conabantur historiam Simeonis, baptismi Christi, servi centurionis, filiæ Jairi, Zachæi, tristitiæ in hortu Gethsemani et passionis sicut et parabolas Dominicas. Refert autem S. Irenæus plures textus Evangeliorum quibus abutebantur Valentiniani ; exinde patet hos hæreticos non solum Joannis sed et Matthæi et Lucæ Evangelia recepisse (1).

43. *Ptolemæus,* Valentini discipulus, qui non est anno 160 recentior, plura etiam ex Evangelio adducit in sua epistola ad Floram. Heracleon, ejusdem æqualis atque Valentino stricte addictus, scripserat integrum commentarium in Joannis Evangelium, cujus plura fragmenta refutando nobis servavit Origenes in suo tractatu in Joannem.

44. *Basilides* scripsit commentarium in 24 libros distributum in *Evangelium ;* quo nomine ipse, ut Melito et Ignatius, qua-

(1) Irenæus, *Contra hær.* I, IV-VIII. Cfr. Epiphanius, *Hær.* XXXI, 14-15, 25-28 ; *Philosophumena* V, 1-19 ; VI, 21, sqq. *Patrol. gr.* XVI, part. 3. Qui curiosus scire desiderat quomodo Valentiniani Evangelium corrumpebant adeat opus Gnosticum πιστις σοφια, anno 1851, Berolini editum a Schwartze. Specimina præbet Demaret l. c. p. 167 sqq.

tuor Evangelia designabat. Hoc opus confutavit Agrippa Castor (1). Clemens Alexandrinus, Epiphanius et Auctor *Philosophumenon* nobis quædam servarunt testimonia ex Matthæo, Luca et Joanne a Basilide usurpata (2). Naasseni, Peratæ et Ophitæ, ut ceteri Gnostici, abutebantur Evangeliis ad suos errores cohonestandos, ut constat ex iis quæ refert auctor ignotus *Philosophumenon* (3).

45. *Marcion*, Synope in Ponto ineunte sæculo II natus, errores suos Romæ propagare satagebat circa annum 130 vel 140. Marcion, dignus qui scholæ Tubingensis præcursor fieret, contendebat Apostolos admiscuisse ea quæ sunt legalia Salvatoris verbis, Paulum tamen, eo quod Petrum reprehendisset in Epistola ad Galatas, puriorem tradidisse doctrinam. Idcirco ipse solum admittebat Pauli Epistolas et Lucæ Evangelium, quæ tamen decurtaverat et, prout ipsi opus erat, vitiaverat (4). S. Epiphanius (5) summatim indicavit capita Evangelii Lucæ a Marcione servata. Ex quo summario decepti Eichhorn, et post eum Bertholdt, Schwegler atque Ritschl, contenderunt scriptum istud primigeniam referre formam Evangelii Lucæ ad usum Christianorum non judaizantium confecti, nostrum vero Lucæ Instrumentum per interpolationem ex illo derivari adeoque illo recentius esse. Sed Epiphanium non intellexerunt. Ipse enim ait : « Marcionis liber Evangelium secundum Lucam stylo ipso referre videtur; ut autem ab eo mutilatus est, initio, medio ac fine decurtatis, corrosi a tineis undique vestimenti simillimus est. Etenim ab ipso statim initio ea unde Lucas exorsus est, nimirum, *quoniam multi quidem conati sunt ordinare narrationem*, etc., una cum Elisabethæ et angeli Mariæ nuntium afferentis historia, Joannis item ac Zachariæ, adeoque nati apud Bethleem Domini cum ejusdem genealogia ac baptismate : hæc, inquam, omnia circumcidens ac transiliens inde Evangelium exorditur : *anno XV Tiberii Cæsaris*, etc. Neque tamen cetera

(1) Euseb. *Hist. Eccl.* IV, 7. Cfr. Hofstede de Groot, *Basilides als erster Zeuge für Auctorität Neutest. Schrift.* Lipsiæ, 1868.

(2) Cfr. Clemens Al., *Strom.* III, 1; Epiphan., *Hær.* XXIV, 5; *Philosophumena* VII, 22, 26, 27.

(3) *Philosophumena* V, 8-9, 12, 16.

(4) Cfr. Irenæus, *Contra hær.* III, II, 2; XII, 12.

(5) *Hær.* XLII, 11-12.

ordine pertexit; verum quædam, ut diximus, amputat, addit alia susdeque, quod aiunt, omnia perturbans nec recte gradiens, sed malitiose huc illucque cursitans. » Ex his jam patet Epiphanium merum indiculum referre non autem Marcionis textum integrum. Quod confirmatur verbis « καὶ τὰ ἑξῆς et cetera » quæ plus semel in decursu occurrunt. Ceterum sufficit legere Epiphanium ut res manifesta fiat. Sic sub n. 13 Epiphanius habet : *Navigantibus ipsis obdormivit, at ille surgens increpavit ventum et mare.* Quinam vero navigabant, quis obdormivit, cur increpatum mare, nec in antecedentibus nec in sequentibus dicitur. Manifestum est igitur his verbis solummodo indicari argumentum alicujus capituli Evangelii Marcionis.

46. Ceterum S. Irenæus et Tertullianus diserte probarunt Evangelium Lucæ illo Marcionis antiquius esse. « Quod pertinet ad Evangelium Lucæ, inquit Tertullianus (1), adeo antiquius Marcione est quod est secundum nos, ut et ipse illi Marcion aliquando crediderit.... Si id Evangelium, quod Lucæ refertur, penes nos ipsum est quod Marcion per *antitheses suas* arguit ut interpolatum a protectoribus Judaismi... utique non potuisset arguere, nisi quod invenerat. Nemo post futura reprehendit quæ ignorat futura : emendatio culpam non antecedit... Itaque dum emendat, utrumque confirmat; et nostrum anterius, id emendans quod invenit; et id posterius, quod de nostri emendatione constituens, suum et novum fecit. » Deinde decurrit per singula Tertullianus Marcionem ex locis ab eo servatis confutans. Objicit quidem Eichhornius ex hoc Marcionem videri Evangelium non adulteravisse, quia servaverat talia quæ adversus eum retorsit Tertullianus. Sed respondetur Marcionem, quia fucum facere volebat, non ausum fuisse omnia quæ sibi negotium facessebant adulterare, quod ipsi cum Rationalistis commune est.

47. *Testimonia paganorum.* Evangeliis testimonium præbuerunt et ipsi pagani. Unum dumtaxat eumque præcipuum adducam testem, Celsum philosophum, paucis annis natum postquam Joannes suum Evangelium ediderat. Is in *Sermone vero,* cujus scripti deperditi fragmenta nobis servavit Origenes in libris *Contra Celsum,* inducebat judæum fidem christianam totamque

(1) *Adv. Marcion.* IV, 4.

historiam evangelicam irridentem. Porro, etsi Celsus in iis quæ nobis servata sunt, nomina Evangelistarum non prodit, provocat tamen ad *ea quæ Jesu discipuli scripserunt* audetque christianos accusare quod corruperint *contextum Evangelii*, eo ipso confitens Evangelium a Christi discipulis fuisse conscriptum (1).

48. Pergit Celsus et christianos sub judæi persona irridendo memorat nativitatem Jesu in vico judaico, et quidem ex virgine, apparitionem stellæ, adorationem magorum, cædem infantium Bethleemiticorum, fugam in Ægyptum post admonitionem ab angelo factam. Carpit insolentiam *eorum* qui genealogiam Jesu texuerunt, quum illum a primo homine Judæorumque regibus oriundum esse *scripserunt;* quasi ignorasset, ait, fabri uxor tanto se genere ortam (2). Meminit baptismatis Jesu a Joanne, descensus columbæ in ipsum, vocisque de cœlo filium Dei declarantis, miraculorum a Christo patratorum, ut sunt curationes claudorum, cæcorum, suscitationes mortuorum, quæ omnia non negat, sed prestigiis et magicis artibus tribuendo calumniatur (3), denique prophetiarum ab eodem editarum sive de proditione Judæ et negatione Petri, sive de pseudochristis et pseudoprophetis qui venturi sunt et miracula patraturi, sive de sua ipsius a mortuis resurrectione, pluribusque aliis (4). Notas habet omnes passionis et resurrectionis circumstantias; irridet Jesum in horto agonizantem tristemque factum, ab hostibus captum, a Judæis convictum atque damnatum, flagris deinde cæsum, eum quem christiani captiosis argutiis freti, ait, Filium Dei asserunt proprium esse Dei Verbum. Carpit chlamydem coccineam, coronam e spinis et arundinem in manu Jesu impositam. Exprobrat sitim Christi in cruce, fel et acetum ei porrectum. Figmentum dicit terræ motum et tenebras et vocem emissam, dum Jesus extremum spiritum in cruce reddebat (5). Ad fabulas revocat quod Christus resurrexerit a mortuis, quod monstraverit in corpore supplicii notas, in manibus clavorum vestigia. Tandem animadvertit ad sepulchrum Jesu

(1) Origenes, *Contra Cels.* II, 13, 15, 27.
(2) *Ibid.* I, 28, 34, 40, 58, 61, 66; II, 32.
(3) *Ibid.* I, 28, 38, 41; II, 48.
(4) *Ibid.* II, 13, 15, 18, 49, 53, 54.
(5) *Ibid.* II, 24, 19, 31, 34, 36, 37.

venisse, juxta quosdam, duos angelos, juxta alios, dumtaxat unum. Per *quosdam* designare voluerit Celsus Lucam et Joannem, per *alios* Matthæum et Marcum, ut opinatur Origenes (1).

§ 2. *Testimonia interna.*

49. Quæ hucusque protulimus argumenta externa internis mire fulciuntur. Sive enim ratio habeatur rerum quas narrant Evangelistæ, sive eorum attendatur loquendi modus, omnia innuunt scriptores quales erant Apostoli eorumque discipuli.

50. Et primo quidem lingua et stylus Evangeliorum innuunt Judæos græce scribentes, quales sunt nostri Evangelistæ. Omnes Evangelistæ, Matthæo excepto, græce scripserunt. Nequaquam autem adhibuerunt sermonem illum comptum, elegantem, quo eminuere auctores classici, Aristoteles, Plato, Demosthenes, ceterique qui dictorum suavitate aures demulcere conati sunt; sed usi sunt sermone illo, qui, inde a temporibus Alexandri Magni, fuit in usu vitæ communis per varias regiones quas Græci obtinuerunt. Si quis attente perlegerit Evangelia, persuasum habebit eorum auctores non fuisse viros humanioribus litteris excultos, sed potius rudes, illiteratos, qui, prout poterant, facta quæ viderunt simpliciter enarrarunt absque fuco aut delectandi studio. Nullibi siquidem aut elegantiæ student aut monumenta litterarum profanarum invocant. Porro tales præcise fuerunt Evangelistæ. Eorum oratio colorem quemdam habet aramaizantem; abundat vocabulis, locutionibus, metaphoris, structuris ex indole linguæ hebraicæ petitis, qualia adhibere poterant viri origine Judæi græce scribentes. Quod rursus in Matthæum et Joannem optime quadrat, qui, e communi plebe in Galilæa aut Judæa nati, propriæ linguæ indolem non penitus exuerant etiam græce scribendo. Lucas tamen ceteris præstat stylo comptiori et revera ex traditione discimus ipsum, utpote medicum, litteras græcas ceteris melius calluisse. Pariter in Evangelio Marci plura vocabula occurrunt quæ indicant Judæum græce scribentem pro talibus, qui Romanorum usus atque mo-

(1) Origen., *Contra Cels.* II, 55-56. Vide Demaret, *De origine Evang.* p. 183-187, quem fere transcripsi.

netam apprime cognoscebant, regionem autem Judææ non viderant. Et revera scimus Marci Evangelium Romanis destinatum fuisse. Denique cognitio librorum veteris Testamenti quam produnt Evangelistæ apprime quadrat in Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem.

51. Materia Evangeliorum æque bene quadrat in auctores quos Evangeliis assignamus. Quæ enim in Evangeliis de Christo referuntur indicant auctores, qui cum Christo vixerunt aut saltem ab ejus discipulis fuerunt edocti. Referunt enim Christi res gestas prolatosque sermones, notatis minutis circumstantiis et recitatis propriis ejus verbis. Porro hæc referendo ita accurate loquuntur Evangelistæ de statu Judææ tempore Christi, de monetis tunc usitatis, de rebus ad geographiam spectantibus, ut manifestum sit eos non scripsisse sæculo secundo aut tertio, quod somniant mythologi.

52. Produnt enim Evangelistæ exactissimam notionem rerum Judaicarum, quales exstabant tempore Christi. Sic quæcumque referuntur de imperatoribus romanis, Cæsare Augusto et Tiberio, de familia Herodis, nempe de Herode Magno, de Archelao Judææ, de Antipa Galilææ, de Philippo Ituræ præposito, de Pontio Pilato Romanorum in Judæa procuratore, de potestate Synedrio relicta cognoscendi de causis gravioribus, non tamen infligendi pœnam mortis, de confluxu hominum ad festa Jerosolymis celebranda, de Synagogis, de Pharisæis et Sadducæis eorumque moribus et placitis, de odio inter Judæos et Samaritanos existente, de expectatione Messiæ et terrenis Judæorum de ejus regno opinionibus, hæc omnia adamussim, conveniunt cum iis quæ traduntur a Josepho et Philone et paganis scriptoribus, quamvis Evangelistæ de hisce rebus nunquam ex proposito agant, sed potius quasi fortuito, occasione unius aut alterius Christi actionis vel dicti.

53. Ob frequens cum Romanis commercium, Judæi tunc temporis usibus, quos a Græcis acceperant, alios a Romanis acceptos conjunxerant. Sic in usu erat triplex moneta judaica, græca et romana. Vectigalia ante Romanorum dominatum imposita græca moneta æstimabantur (1). Hæc omnia accurate observant Evangelistæ. Sic dona templo oblata græca moneta

(1) Flav. Joseph., *De bello jud.* VII.

æstimantur (1). Pecunia vero Judæ proditori soluta pondere sanctuarii numeratur (2). Alia autem reipublicæ negotia emptiones, venditiones, moneta romana perficiuntur. Nova etiam vectigalia romana moneta solvuntur (3).

54. Nec minus accurate se habent Evangelistæ in rebus ad geographiam spectantibus. Quæ enim ab ipsis gesta Christi referentibus casu memorantur Palæstinæ in provincias divisio, fines, urbium pagorumque nomina, situs, distantia et commercium, eodem modo commemorata occurrunt apud Josephum, Thalmudistas, Tacitum, Strabonem recentioresque Palæstinæ exploratores. Memorant v. g. Evangelistæ publicanos fuisse in Capharnaum et Jericho ; ex auctoribus profanis (4) discimus urbes illas ob commercium fuisse valde frequentatas adeoque sedi eorum qui vectigalia percipiebant opportunissimas. Pariter quæ ab Evangelistis de habitatione Pilati deque ejus tribunali referuntur conveniunt cum traditis a Flavio Josepho. Jam autem tam accurata rerum etiam minutissimarum cognitio et descriptio innuit viros qui ætate Christi vixerunt et in nostros Evangelistas perfecte quadrat. Quum autem res Judæorum statim post mortem Christi fuerint turbatæ et, templo everso, urbe incensa populoque disperso, diversus exorsus sit in Judæa rerum status; si auctores Evangeliorum sæculo secundo vel tertio vixissent, vix concipitur quomodo tam accurrate locuti fuissent (5).

§ 3. *Argumentum ductum ex impossibilitate suppositionis.*

55. Evangelia vel sunt authentica, vel supposititia. Atqui Evangeliorum suppositio admitti nequit; ergo eorum authentia admittenda est. Dico Evangeliorum suppositionem admitti non posse. Nam, quum fides constans et perpetua omnium ecclesiarum traditio semper Evangelia ut authentica receperit,

(1) *Marc.* XII, 42; *Luc.* XXI, 2.
(2) *Matth.* XXVI, 15.
(3) *Matth.* X, 29; XX, 2; XXII, 19; *Marc.* XII, 15; XIV, 5; *Luc.* XII, 6; XX, 24; *Joan.* VI, 7; XII, 5.
(4) Justin., *Epitome Trogi Pompei* XXXVI, 3; Strabo XVI.
(5) Cfr. Ill. D. Meignan, *Les Évangiles et la critique* p. 217-281; De Valroger, *Introduct.* I, 354-373.

qui ea supposititia esse contendunt, suum assertum debent probare. Alioquin contra eos stat vulgare axioma : quod gratis asseritur, gratis negatur. Porro hucusque nullum suppositionis indicium afferre potuerunt adversarii, nullum locum, nullum auctorem, tempus nullum nullumque quo facta fuerit modum indicare potuerunt.

56. Et primo quidem nullus suppositionis auctor excogitari potest. Etenim nemo judæus vel ethnicus voluerit ea quæ in Evangeliis referuntur describere, nam ipse se suo gladio jugulasset. Sed nec hæreticus Evangelia supposititia obtrudere potuerit, reclamassent enim catholici, reclamassent pastores gregem a venenatis herbis sedulo arcentes. Fraudem meditati sunt Valentiniani, *veritatis Evangelium* proferentes, fraudem meditatus est Marcion non Evangelia fingendo sed resecando; sed fraus detecta statim ac nata prævalere non potuit. Mendacium nudaverunt Irenæus ac Tertullianus, qui antiquam Ecclesiæ possessionem defendens, sic hæreticos objurgabat : « Qui estis vos? Quando et unde venistis? Quid in meo agitis, non mei? Quo denique, Marcion, jure sylvam meam cædis? Qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? Qua potestate, Appelles, limites meos commoves? Quid hic ceteri ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Mea possessio est; olim possideo; habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo (1). » Verba Tertulliani post sexdecim sæcula, firmiora adhuc stant contra Rationalistas.

57. Sed neque catholicus Evangelia fingere potuit. Nam, præterquam quod reclamassent infideles, judæi et hæretici, non potuissent omnes ecclesiæ in unam sententiam convenire, ut Apostolis tribuerent quod ab ipsis profectum non esse sciebant. Porro nullum vestigium talis fraudis ex parte catholicorum ullibi inventum est.

58. Nullum præterea tempus assignari potest Evangeliorum suppositioni. Etenim talis suppositio fieri non potuit, viventibus adhuc Apostolis. Admitti quippe nequit Apostolos summa cura ecclesiis invigilantes talem suppositionem ignoravisse aut tole-

(1) *De præscript.* 37.

ravisse. Num passi fuissent Apostoli ut impius impostor eorum auctoritate abuteretur? Sed neque talis suppositio fieri potuit, Apostolis vita functis. Nam testimonia Patrum et totius traditionis probant Evangelia inde ab Apostolorum discessu jam in ecclesiis apostolicis nota , possessa , perlecta et summa cura servata fuisse tanquam verus Apostolorum fœtus. Quis persuadere potuisset ecclesiis Ægypti, Judææ, Syriæ, Asiæ, Græciæ, Romæ et Africæ, Evangelia recenter fabricata, Evangelia nemini hucusque nota, esse proprium Apostolorum opus? Apostoli plurimos efformaverant discipulos, quibus ecclesias et veram doctrinam custodiendam tradiderant, an potuisset quis eos ita decipere ut reputarent se ab Apostolis accepisse quæ recenter inventa sciebant, aut crederent magistris suis tribuenda ea de quibus Apostoli nunquam erant locuti? An ecclesiæ a se invicem longius dissitæ, Romana, Africana, Alexandrina, Hierosolymitana, Antiochena, Ephesina, aliæ, adduci potuissent ut unanimi consensu reciperent, in liturgia recitarent, summa cura et reverentia custodirent tanquam ab Apostolis profectos libros, quos ab Apostolis non fuisse exaratos perfecte sciebant?

59. Quis autem fraudem moliri potuisset? An unus, an plures? Si dumtaxat unus, quidni unus iste unum etiam tantum confecit Evangelium? cur quatuor scripta eaque diversa? Quomodo autem unus homo ea ubique obtruderit? Quis tam potens, tantoque ingenio præditus? Si vero plures machinati sunt suppositionem, hanc vel seorsim vel ex condicto egerint necesse est. Si seorsim, quomodo quatuor Evangelia tam mire consonant? Quomodo unanimi consensu ubique quatuor recepta? Quomodo quatuor ubique æqualiter Apostolis tributa? Si ex condicto, undenam inter Evangelia istæ discrepantiæ apparentesque contradictiones? Nonne falsarii eas e suis libris auferendas curavissent? Quæcumque igitur fingatur hypothesis, admitti nequit Evangelia esse supposititia.

60. Sed replicant adversarii primis Ecclesiæ sæculis christianos omnes fuisse ex infima plebe, rudes, illiteratos, artis criticæ ignaros, credulos nimium nimiumque ad pias fraudes propensos, adeoque facile fuisse ut eis Evangelia falsa pro veris obtruderentur.

61. Quantum errent, vix dicendum est. Quamvis enim initio non fuerint inter christianos multi divites, multi nobiles, multi

sapientes, ut ait Apostolus, fatendum tamen est primos fideles non minus idoneos fuisse scriptis apostolicis distinguendis quam distinguendæ eorum doctrinæ; nec tam acutum requirebatur ingenium ut quis certo sciret se habere verum alicujus Apostoli scriptum. Ceterum inter eos non deerant viri litteris humanis perfecte exculti, et artis criticæ valde periti. Critica rationalistica adhuc, ni fallor, exspectat suum Hieronymum suumque Origenem. Sed ne forte dicant Origenem sæculo III scribentem recentiorem videri, ab eis quæro : An artis criticæ ignarus, an credulus aut ad pias fraudes proclivis fuit Justinus martyr ac philosophus, qui, antequam nomen Christo daret, omnes philosophorum scholas adiit omniaque systemata perscrutatus est? An creduli, Tatianus, Athenagoras, Theophilus Antiochensis, qui omnes litteris exculti ab infidelitate ad Evangelium transierunt? An arte critica destituti erant Tertullianus et Irenæus qui cum tanta solertia fraudes hæreticorum detexerunt? Quas autem cautiones Ecclesia statim ab initio adhibuerit ne scripta falso sub nomine Apostolorum obtrusa pro veris eorum scriptis reciperet diximus supra.

62. Sed urgent Evangelia *apocrypha*, et dicunt : si falso sub nomine Apostolorum apocrypha edita fuerunt Evangelia, quibus interdum usi sunt antiqui Patres, fieri etiam potuit ut falso sub nomine Matthæi, Marci, Lucæ aut Joannis, canonica Evangelia prodierint et a Patribus laudata sint.

63. Respondetur. Duplex distinguenda est species Evangeliorum apocryphorum. Ab initio quidem plures viri absque divina inspiratione (*Luc.* I, 1) conati sunt Evangelia conscribere, quæ eo sensu erant apocrypha quod debita seu divina carebant auctoritate. Exinde tamen non sequitur falsa fuisse omnia, quæ in istis Evangeliis recitabantur. Postea vero sub nomine Apostolorum alia edita fuerunt Evangelia ab hæreticis ut falsa sua dogmata defenderent. Patres autem nullam unquam auctoritatem tribuerunt Evangeliis apocryphis, sed e contra illa tanquam spuria unanimi voce rejecerunt. Quod si apocryphis primæ speciei interdum usi sint, hoc idcirco fecerint quod ex traditione sciebant factum aut effatum quod memorabant esse verum, quod ipsis sufficiebat ut effatum recitare possent. Iidem autem Patres continuo affirmant quatuor dumtaxat esse Evangelia neque plura aut pauciora. Dum hæc affirmant Patres,

asserunt talem esse Ecclesiarum traditionem : « *Ex traditione accepi,* inquit Origenes (1), de quatuor Evangeliis quæ sola in *universa Dei Ecclesia, quæ sub cœlo est, citra controversiam admittuntur.* » Nedum igitur apocrypha authenticis noceant, ea potius confirmant. Quomodo enim potuerunt Patres et antiqua Ecclesia apocrypha a canonicis distinguere, nisi quia ipsis certo constabat de apostolica Evangeliorum canonicorum origine, non sic de ortu aliorum ?

64. Tischendorfius, vir rei criticæ valde peritus, postquam de origine et usu Evangeliorum apocryphorum docte disseruit, statuit canonicorum authentiam apocryphis sustentari tribus modis : primo, eo quod apocrypha testantur canonicorum auctoritatem jam ante medium sæculum secundum in Ecclesia magnam fuisse. Secundo, eo quod miraculorum indoles in utrisque multum differt. In canonicis miracula elucent divina quadam dignitate et beneficia in homines continent; in apocryphis vero portentum sapiunt et utilitatem nullam secum afferunt. Tertius modus consistit in diversa textus ratione critica. Ex mira, qua laborant apocrypha, textus ambiguitate et inconstantia, fraudis convincuntur; quia enim ab initio nullam habebant auctoritatem, unusquisque pro libitu ea immutavit. Canonica autem, quia statim ac edita fuerunt, cum veneratione apostolicæ originis suscepta fuere, immutata servata sunt et eorum textus ea solum menda contraxit quæ ex defectu amanuensium proveniunt (2).

Conclusio.

65. Hic gradum figere possumus. Demonstravimus internam Evangeliorum indolem innuere auctores quales sunt Apostoli eorumque discipuli ; demonstravimus impossibile esse aliam ætatem Evangeliis supponere quam ævum apostolicum aut alios auctores quam nostros Evangelistas ; demonstravimus testimoniis historicis, quæ testimonia sunt in hac re omni exceptione

(1) Apud Euseb. *Hist. Eccl.* VI, 25.

(2) Cfr. Tischendorf., *De Evangeliorum apocryphorum origine et usu.* Hagæ Comit. 1851. part. 2, § 6-8. Vide etiam Ill. D. Freppel, *Les Pères apostoliques,* 2e leçon, p. 28-47.

majora, quatuor nostra Evangelia, inde a temporibus apostolicis, constanter in omnibus ecclesiis ab universis Christi fidelibus fuisse recepta tanquam authenticum Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis fœtum. Nulla ecclesia particularis, nullus scriptor antiquus, aliud agnovit Evangelium. His quatuor Evangeliis testimonium præstitit ecclesia Palæstinensis cum S. Justino, cum Origene, cum Eusebio, Antiochena cum Ignatio, Theophilo et Athenagora, Smyrnensis cum Polycarpo, Hierapolitana cum Papia, Sardensis cum Melitone, Romana cum S. Clemente, Lugdunensis cum S. Irenæo, Africana cum Tertulliano, Alexandrina cum Clemente; omnes denique totius orbis ecclesiæ quatuor Evangelia, neque plura aut pauciora, constanti traditione susceperunt.

66. Tanta autem fuit tamque firma hæc ecclesiarum traditio, ut et ipsi hæretici testimonium illis redderent et in illis, corruptis tamen et mutilatis aut interpolatis, suam conarentur firmare doctrinam. Quod recte jam observabat Irenæus (1) : « Tanta est, inquiebat S. Doctor, circa Evangelia hæc firmitas, ut et ipsi hæretici testimonium reddant eis, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam. Ebionæi eo Evangelio, quod est secundum Matthæum, solo utentes, ex ipso illo convincuntur non recte præsumentes de Domino. Marcion autem id quod est secundum Lucam circumcidens, ex his quæ adhuc servantur penes eum, blasphemus in solum existentem Deum ostenditur. Qui autem Jesum separant a Christo, et impassibilem perseverasse Christum, passum vero Jesum dicunt, id quod secundum Marcum est præferentes Evangelium, cum amore veritatis legentes illud corrigi possunt. Hi autem qui a Valentino sunt, eo quod est secundum Joannem plenissime utentes, ad ostensionem conjugationum suarum; ex ipso detegentur nihil recte dicentes, quemadmodum ostendimus in primo libro. Cum ergo hi, qui contradicunt, nobis testimonium perhibeant, et utantur his, firma et vera est nostra de illis ostensio. »

67. Possumus negativæ criticæ discipulos his compellere verbis quibus S. Augustinus (2) Manichæos premebat : « Infe-

(1) *Contra hær.* III, XI, 7.
(2) *Contra Faustum* lib. XXXIII, cap. 6.

lices inimici animæ vestræ, quæ unquam litteræ ullum habebunt pondus auctoritatis, si evangelicæ, si apostolicæ non habebunt? De quo libro certum erit cujus sit, si litteræ quas Apostolorum dicit et tenet Ecclesia, ab ipsis Apostolis propagata et per omnes gentes tanta eminentia declarata, utrum Apostolorum sint incertum est?... Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi auctorum libros, unde noverint homines quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua? Multi multa de litteris ecclesiasticis conscripserunt, non quidem auctoritate canonica sed aliquo adjuvandi studio, sive discendi. Unde constat quid cujus sit, nisi quia his temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit insinuavit atque edidit, et inde in alios atque alios continuata notitia latiusque firmata ad posteros, etiam usque ad nostra tempora pervenerunt; ita ut interrogati cujus quisque liber sit non hæsitemus quid respondere debeamus?... Hæc cum ita sint, quis tanto furore cæcatur qui dicat hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam, tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros trajiciant, cum eorum cathedras usque ad præsentes episcopos certissima successione servaverint, cum hoc qualiumcumque hominum scriptis, sive extra Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia, tanta facilitate proveniat? »

III. *Quatuor Evangelia sunt integra.*

1. Ut difficultatibus, quæ ex variis textus evangelici lectionibus fieri possent, via statim præcludatur, distinguimus duplicem integritatem : *Substantialem* nempe, quæ narrationis aut doctrinæ substantiam, *accidentalem*, quæ minutissima narrationis aut doctrinæ adjuncta spectat. Quando propugnamus quatuor Evangelia nullam interpolationem aut mutilationem passa esse, sed remansisse prorsus integra, de integritate *substantiali*, non autem *accidentali* agimus. Nequaquam igitur negamus aliquas voces aut particulas in textu evangelico aut mutatas fuisse aut etiam adjectas vel e contra omissas. Admittimus haud paucas lectiones variantes casu aut negligentia amanuensium in textum

irrepsisse (1), quod libris sacris commune est cum ceteris libris profanis. Sicut autem illa menda non nocent integritati librorum profanorum, sic nec nocere debent integritati Evangeliorum. Pariter admittimus fieri posse ut libri pars aliqua deperdatur et sic textus non amplius sit integer quin tamen partis servatæ auctoritas minuatur. Sic auctoritatem hodie obtinent plura Patrum et auctorum profanorum scripta, quorum pars aliqua injuria temporum periit. Denique observandum est necessarium non esse, ubi plures suppetunt alicujus libri codices, ut omnes illi codices librum integrum contineant. Si quæ folia casu aut alia de causa ab uno vel altero codice exciderint, hoc integritati libri nocere non debet. His positis, asserimus nostra quatuor Evangelia integra ad nos pervenisse.

2. Etenim negari nequit Evangeliorum textum talem jam exstitisse sæculo IV, qualis nunc habetur. Nam plurimi adhuc hodie servantur codices manuscripti, sæculo IV et sequentibus exarati, in quibus idem prorsus reperitur textus quem ad manus habemus. Si quis objiciat innumeras reperiri in exemplaribus Evangeliorum lectiones varias, adeoque textum exinde videri corruptum, responsio in promptu est. Variæ istæ lectiones, quamtumvis numerosæ, non obstant quominus libri evangelici sibi quoad substantiam consonent. Varietas in verbis est, non in rebus. Viri eruditi quotquot reperire potuerunt exemplaria Scripturæ, versiones et citationes Patrum, secum invicem contulerunt, omnesque etiam minutissimas et vocum et orthographiæ et dispositionis nominum discrepantias annotarunt. Hæc autem innumera lectionum variarum multitudo, nedum Evangeliis noceat, e contra eorum integritatem substantialem confirmat; probat enim magnum esse exemplarium numerum. Et revera ad nos pervenerunt quadraginta codices unciales Evangeliorum et codices minusculi plusquam tercenti, omissis versionibus et Patrum citatis. Maximus autem iste codicum numerus, nedum textui noceat, probat quam impossibile fuerit ut tot exemplaria substantialiter vitiarentur. Luce ergo clarius est Evangelia inde a sæculo IV nullam corruptionem passa fuisse. Porro neque ante sæculum IV adulterata fuerunt, quod restat probandum.

(1) De origine lectionum variarum in textu novi Testamenti egimus in *Introduct. gen.* cap. IV, sect. 2. n. 71, sqq.

3. Primo certo certius affirmare licet Evangelia, viventibus adhuc Apostolis, non fuisse corrupta sed integra remansisse. Nam Apostoli nequaquam passi fuissent ut, ipsis præsentibus, eorum scripta a quopiam adulterarentur. Nec fideles ausi fuissent libros, quos ut divinos venerabantur et quorum autographa apud se habebant, corrumpere. Imo Apostoli graves pœnas in eos comminabantur qui aliquid immutare ausi fuissent, ut patet ex Joanne qui post ceteros scripsit. *Contestor,* inquit (1), *omni audienti verba prophetiæ libri hujus : si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro hoc. Et si quis diminuerit de verbis prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ et de civitate sancta et de his quæ scripta sunt in libro isto.*

4. Secundo asserimus Evangelia nullam corruptionem passa esse post Apostolorum mortem, sed integra servata fuisse. Apostolorum enim scripta, utpote divina, summa in veneratione apud omnes habebantur. Adhuc recens erat Apostolorum memoria. Non solum eorum autographa in ecclesiis apostolicis servabantur, non solum *authenticæ eorum litteræ*, ut asserit Tertullianus (2), adeoque et authentica eorum Evangelia publice in ecclesiis recitabantur, sed in ipso cultu divino adhibebantur et, diebus dominicis durante liturgia, simul cum scriptis propheticis legebantur; quod coram paganis medio sæculo II asserebat S. Justinus (3). Quis autem ausus fuisset aut potuisset scripta corrumpere quorum autographa adhuc exstabant, quorum multi codices, summa fide descripti, per varias regiones erant dispersi, quorum auctoritas tanta erat ut divinis Moysi scriptis in lectione publica substituerentur? Aliunde etiam colligitur impossibile fuisse Evangeliorum textum corrumpere; quia scilicet diffusa jam erat ubique terrarum christiana religio et scriptum testimonium cum orali prædicatione non amplius consensisset. Exemplaria quam plurima ubique terrarum existebant et cum summa religione servabantur. Aderant jam ad finem sæculi II antiquissimæ versiones latina et syriaca; aderant scripta antiquorum Patrum, Justini, Irenæi, Tertul-

(1) *Apoc.* XXII, 18-19.
(2) *De præscript.* 36.
(3) *Apol.* I, 65-67.

liani, aliorum, quibus, si Evangelia perirent, in integrum fere restitui possent, adeoque abundant testimonia ex Evangeliis ab istis Patribus in suis scriptis inserta. Unum ergo ex duobus esset admittendum : vel quod omnia omnino exemplaria, omnes versiones et scripta Patrum simul et eodem modo fuerint corrupta, quod absurdum est, vel aliqua tantum, remanente aliorum integritate, quod falsum esse ex eo patet, quod facta, miracula, dogmata, quæ in hodiernis exemplaribus leguntur, eadem in omnibus antiquis codicibus græcis, latinis, syriacis et in operibus Patrum, reperiantur.

5. Fingunt quidem adversarii Evangelia statim post ævum apostolicum fuisse immutata, adducuntque nonnullos hæreticos, Marcionem, Ebionæos, Valentinianos, qui Evangelia depravare tentaverunt, atque nobis opponunt Celsum christianos calumniantem tanquam « qui textus ter, quater, pluries mutant pervertuntque, ut habeant quo res sibi objectas inficientur. »

6. Non negamus Marcionem aliosque nonnullos hæreticos, necessitate systematis impulsos, ausos fuisse textum evangelicum diversimode adulterare, sed eorum fraus prævalere non potuit, ut patet ex S. Irenæo et ex Tertulliano. Celso autem calumnianti egregie respondit Origenes (1) nostram assertionem confirmans : « Equidem non novi alios qui Evangelii contextum immutaverint, quam Marcionis, Valentini fortasse et Lucani, sectatores. Id vero criminis nostræ doctrinæ imputandum non est, in culpa sunt qui Evangelia depravare audent. » Merito itaque incredulis et hæreticis sui temporis respondit Augustinus (2) : « Nihil mihi videtur ab iis impudentius dici vel ut mitius loquar, incuriosius et imbecillius, quam Scripturas divinas esse corruptas ; cum id nullis in tam recenti memoria exstantibus codicibus possent convincere. »

7. *Obj.* 1°. Evangelia esse interpolata ipso facto constat; nam plurima in eis hodie habentur quæ olim deerant; ut sunt duo priora Matthæi capita, caput Marci ultimum, historia sudoris sanguinei et mulieris adulteræ.

8. *Resp.* Aliter judicandum non est de Evangeliis ac de libris profanis. Porro, si quæ occurrant in libris profanis quæ in

(1) *Contra Cels.* II, 27.
(2) *De utilitate credendi*, III, 7.

nonnullis codicibus desunt, quis exinde contendet libros integros esse rejiciendos, aut rejicienda esse omnia illa, quæ in omnibus codicibus eodem plane modo habentur? Eodem igitur jure et nos propugnamus Evangelia in toto non esse rejicienda eo quod quædam partes in aliquibus codicibus deficiant. Illud præterea monere juvat facilius credendum hunc vel illum textum a nonnullis codicibus excidisse, aut in eis omissum fuisse ob aliquam causam, sive notam sive latentem, quam eumdem in pluribus codicibus adjectum fuisse. His positis negamus loca supra enumerata in Evangeliis fuisse postea inserta.

9. *Inst.* 1°. Duo priora Matthæi capita postea adjecta fuerunt. Deerant enim in antiquissimo Ebionitarum Evangelio; Marcus qui presse Matthæum abbreviando sequitur nihil de istis capitibus habet; Apostoli in suis epistolis et in sua prædicatione nunquam ad historiam infantiæ Salvatoris provocarunt.

10. *Resp.* Duo priora Matthæi capita ad textum primigenium pertinere plurimis argumentis probari potest. Etenim omnes antiquæ versiones, itala, syriaca (simplex et Curetoniana, coptica et sahidica) omnesque codices unciales, duo illa capita habent. Excipiendi solummodo sunt illi codices, qui lacunas habent, vel genealogiam a reliqua primi capitis parte separant. In his tamen reliqua pars primi capitis et totum caput secundum habetur. Præterea illa duo capita allegantur ab antiquis Patribus, Justino, Irenæo, Tertulliano, aliis. Imo Celsus ad ista capita provocat. Africanus, ineunte sæculo tertio, ita de genuinitate istorum capitum persuasus erat, ut prolixam dissertationem scriberet ad conciliandam Matthæi genealogiam cum illa Lucæ (1). Unde patet sæculo secundo et tertio omnibus persuasissimum fuisse illa capita esse genuina. Quod autem Marcus, Matthæi abbreviator, nihil de istis capitibus habeat, nullam difficultatem ingerit; siquidem plura alia apud Matthæum habentur, ut v. g. sermo in monte, quæ Marcus silentio premit. Ebionitæ quidem duo priora Matthæi capita absciderant, quia

(1) S. Justin., *Apol.* I, 33-34; *Dial.* 88, 100, 102, 103; Iren., *Contra hær.* III, XI, 2; Tertull., *Adv. Marcion.* V, 9; African., *Patrol. gr.* X, 51; Celsus ap. Origen. *Contra Cels.* I, 40, 58, 66; II, 32.

divinam Christi nativitatem ex virgine confiteri nolebant; sed ipsi seipsos adulterationis reos prodebant Evangelium sic incipiendo : *In diebus Herodis, regis Judææ, factum est ut veniret Joannes baptizans,* etc.; non animadvertentes hunc Herodem, Judææ regem, jamdiu defunctum esse quum Joannes suum præcursoris munus auspicatus est. Alii autem hæretici, ut Cerinthus, hæc capita servaverant.

11. Et revera contextus orationis illa expostulat. Verba enim cap. III, 1 : *In diebus autem illis* innuunt aliquid præcessisse. Quod denique urgetur silentium Apostolorum, nihil probat. Nam Apostoli litteris non mandaverunt universam eorum prædicationem, sed quædam solummodo dogmata prout exposcebat fidelium necessitas. Si autem attendatur quam sæpe antiqui Patres ad historiam nativitatis provocant, dubium non erit Apostolos eam tradidisse ecclesiis.

12. *Inst.* 2°. Genuina non sunt quæ leguntur capite Marci ultimo a vers. 9 ad finem. Etenim hæc desunt in antiquissimis codicibus Vaticano B et Sinaitico, in codice Parisino L octavi sæculi, in codice Bobbiensi versionis Italæ, in codicibus versionis armeniacæ Venetis, versionis arabicæ Vaticanis. In pluribus codicibus minusculis et in margine annotatur ea deesse in *nonnullis,* in *antiquis,* in *accuratioribus* codicibus. Isti versiculi non indicantur in canonibus Eusebii et in sectionibus Ammonii. Denique Eusebius, Victor Antiochenus et Hieronymus, hanc sententiam confirmant. Ita Tischendorfius.

13. *Resp.* Ex auctoritatibus ab ipso Tischendorfio indicatis sententiam ipsi oppositam amplectimur. Etenim omnes codices unciales, exceptis tribus codicibus supra enumeratis, omnes antiquæ versiones, itala (excepto codice Bobbiensi), Vulgata, syriaca Simplex, Curetoniana et posterior, coptica, æthiopica, gothica, arabica et armeniaca, prout editæ sunt non vero in codd. Venetis, hanc pericopen habent. Codices minusculi omnes, etsi quidam in margine annotent hos versiculos vel in *nonnullis,* vel in *antiquis,* vel in *accuratioribus* codicibus deesse, eos tamen recipiunt. Ad Patres quod attinet, omnino prævalere debet auctoritas eorum qui illos versiculos recipiunt. Allegantur enim isti versiculi ab Irenæo, ab Aphraate, ab Augustino, a Cæsario Constantinopolitano; allegantur in Synopsi Athanasiana, in Constitutionibus apostolicis, in libro de Charismatibus

S. Hippolyto tributo, quibus accedere videtur S. Justinus (1). Nec omnino repugnant Eusebius et Hieronymus.

14. Etenim Eusebius in loco, quem objicit Tischendorfius et quem non integre, ut debuisset, recitat, sic loquitur : « Qui capitulum ipsum, id est sectionem, in qua id narratur, delet, dicit eam non in cunctis haberi exemplaribus Evangelii secundum Marcum. Accurati enim codices historiam secundum Marcum concludunt in... *nemini quidquam dixerunt. Timebant enim.* Hoc enim in loco in omnibus exemplaribus Evangelium Marci concluditur. Sequentia autem quæ raro, in aliquot, non in omnibus occurrunt, supervacanea videntur, præsertim si pugnare videantur cum testimonio ceterorum Evangelistarum. *Hæc fortasse dicet aliquis...* Alius vero quispiam *nihil omnino delere audens eorum quæ Scripturæ evangelicæ commendata fuerunt, duplicem esse dicit lectionem, ut sæpenumero alias, et utramque recipiendam ; quoniam credentium ac religiosorum judicium haud huic potius quam illi accedit.* » Deinde, admissa illa pericope, ostendit Eusebius Marcum non pugnare cum Matthæo. Hinc probabile fit in nonnullis codicibus omissum de industria fuisse illud Marci capitulum quia videbatur cum Matthæo pugnare.

15. Vereor ne meliori jure nobis opponatur Victor Antiochenus. Postquam enim Victor dixit ea ut spuria deesse in plerisque codicibus, absque mora subjungit : « Nos vero ex accuratis exemplaribus, sicut hæc in plerisque codicibus invenimus, secundum palæstinense Marci Evangelium, sicut veritas habet, posuimus et dominicam resurrectionem quæ est in illo post illa verba : *timebant enim* (2). » S. Hieronymus, etsi in *Epistola ad Hedib.* q. 3. asserit hoc capitulum deesse in plerisque græcis libris, in *Dialogo adv. Pelagianos* II, 13 e contra affirmat : « In quibusdam et maxime in græcis codicibus hoc idem capitulum inveniri. » Denique canones Eusebii et sectiones Ammonii hos versiculos indicant in aliquibus codicibus.

16. Nostra sententia etiam hac confirmatur observatione

(1) Cfr. Irenæus, *Contra hær.* III, X, 6; Aphraates ap. Wright, *the Homilies of Aphraat.* 21; Augustinus, *De consensu Evv.* III, XXIV, 69; Cæsarius Constantin., *Dial. IV; Synopsis Athan.* n. 48; *Constitut. apost.* VI, 15; *De charismat.* in *Constit. apost.* VIII, 1; S. Justinus, *Apol.* I, 45; Eusebius, *Ep. ad Marin;* Vid. Corluy, *Etudes religieuses,* 1876, p. 625, sqq.

(2) Victor Ant., *Caten. in Marc.* XVI, 9 ap. Tischendorf.

quod vix non omnibus foret incredibile Marcum suum terminasse Evangelium per abruptissimam illam clausulam : *timebant enim.*

17. *Inst.* 3°. Historia sudoris sanguinei Christi ac angeli eum confortantis (*Luc.* XXII, 43–44) deest in antiquissimis codicibus Alexandrino et Vaticano, in cod. R, in versione sahidica ; in codd. E S V Δ et nonnullis minusculis asteriscis aut etiam obelis notatur. In margine versionis Philoxenianæ notatur eam non reperiri apud Alexandrinos. SS. Ambrosius et Cyrillus Al. hos versiculos in suis commentariis prætereunt. S. Hilarius, cui adjungendus S. Hieronymus, testatur eos defuisse in plerisque græcis et latinis codicibus. Habendi igitur sunt isti versiculi ut interpolatio textui Lucæ forsan ex aliquo apocrypho inserta.

18. *Resp.* Habentur isti versiculi in ceteris codicibus uncialibus, scilicet in cod. Sinaitico, in codd. D F G H K L M Q U X Λ, aliis plerisque. Nonnulli codices illos habent in *Matth.* XXVI, 39. Favet igitur auctoritas codicum. Favet etiam auctoritas versionum et Patrum. Reperiuntur enim hi versiculi in omnibus codicibus versionis Italæ (excepto cod. *f*), in vers. Vulgata, in syriacis Simplici et Philoxeniana, in æthiopica, in armeniaca, apud SS. Patres Irenæum, Dionysium Alexandrinum, Dionysium Areopagitam, Hippolytum, Epiphanium, Gregorium Nazianzenum, Chrysostomum, Augustinum, Cæsarium Const., Theodoretum et alios (1). S. Justinus jam medio sæculo secundo asserebat hanc historiam ab ipsis Evangelistis esse conscriptam : « In commentariis, inquit, quos ab ejus (Christi) Apostolis eorumque discipulis scriptos dico, proditum est sudorem, veluti guttas sanguinis, ex eo defluxisse, etc. »

19. S. Ambrosius in suo commentario non explicat singulos Lucæ versiculos adeoque ejus silentium hic non est urgendum. Sanctus vero Hilarius (2), postquam dixit : « Nec sane ignorandum a nobis est, et in græcis et in latinis codicibus compluri-

(1) Cfr. Irenæus, *Contra hær.* III, XXII, 2; Dionysius Alex., *In Luc. Patrol. gr.* X, 1591; Dionysius Areop., *De cœl. hier.* IV, 4; Hippolytus, *Contra Noet.* 18; Epiphanius, *Hær.* LXIX, 19, 59; *Anchor.* 31; Gregorius Nazianz., *Orat.* XXX, 16; Chrysostomus *In Matth. homil.* LXXXIV, 1; Augustinus, *De consensu Evv.* III, IV, 12; Cæsarius, *Dial. I interr.* 23 *Patrol. gr.* XXXVIII; Theodoretus, Justinus, *Dial. cum Triph.* 103, ap. Tischendorf, etc.

(2) *De Trinitate* X, 41.

mis, vel de adveniente angelo, vel de sudore sanguinis nihil reperiri, » addit : « Ambigentibus igitur, utrum hoc in libris variis aut desit, aut superfluum sit (incertum enim hoc nobis relinquitur de diversitate librorum), certe, etc. » Hilarius igitur genuinitatem hujus historiæ non negat, sed anceps hæret. S. Hieronymus (1) Lucæ versiculos recipit nihil dubitans, admonens tantum eos « in quibusdam codicibus tam græcis quam latinis » referri. Ex his disputatis liquet genuinos habendos esse hos Lucæ versiculos.

20. *Inst.* 4°. Evangelium S. Joannis plures passus est interpolationes. In textu enim primigenio deerant historia descensus angeli in piscinam Bethsaidæ (V, 3-4), historia mulieris adulteræ (VIII, 1-11) et totum ultimum caput.

21. *Resp.* Historia de qua primo loco agitur sic refertur *Joan.* V, 2-4 : *Est autem Jerosolymis probatica piscina, quæ cognominatur hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate.* Quæ porro habentur ab : *expectantium aquæ... infirmitate,* tanquam adjectitia Tischendorfius in textum non recepit. Verum quidem est hos versiculos deesse in codicibus Vaticano, Sinaitico, Cantabrigiensi, in tribus minusculis, in versione syriaca Curetonii, in versione sahidica, et in aliquibus aliarum versionum codicibus. Sed alii codices unciales et minusculi, versiones Itala, Vulgata in plerisque codicibus, syriaca Simplex et Philoxeniana, coptica edita a Wilkind, armeniaca in nonnullis codicibus hos versiculos habent. Ad eos alludunt aut provocant Tertullianus, Augustinus, Ambrosius et Chrysostomus (2). Porro eos omnino expetit contexta oratio. Sublatis enim hisce versiculis, non intelligitur quare ad illam piscinam tam multi ægroti ; nec magis intelligitur responsio infirmi ad Jesum (*vers.* 7) : *hominem non habeo, ut, quum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam : dum venio enim ego, alius ante me descendit.*

(1) *Dial. adv. Pelagianos* II, 16.
(2) Ap. Migne, *Patrol. gr.* I, col. 655 in nota.

22. De historia mulieris adulteræ major fit difficultas. Omittunt quidem eam codd. ABCLTXΔ et Sinaiticus, codd. minusculi plus sexaginta, Evangelistaria permulta. Eam pariter omittunt versiones, Itala in codicibus optimæ notæ, syriaca Simplex, Curetoniana, et Philoxeniana, coptica in pluribus manuscriptis, sahidica, gothica, armeniacæ codices nonnulli. Eam prætereunt Origenes, Apollinaris, Ammonius, Theodorus Mopsuestenus, Cyrillus Al., Chrysostomus, Basilius, Cosmas, Nonnus, Theophylactus, et inter Latinos Cyprianus et Tertullianus. His tamen non obstantibus, tenemus hanc historiam ad textum pertinere.

23. Etenim invenitur in pluribus codicibus uncialibus D F Q H K U Γ, in minusculis plus quam trecentis; quibus accedunt illi codices qui pericopam ad finem Evangelii reponunt. Codices L Δ spatium vacuum relinquunt; A et C hac parte mutili sunt. Tenet tamen Tischendorfius historiam mulieris adulteræ in iis defuisse. Codices, qui vel asterisco vel obelo pericopam notant, si nobis non favent, contra nos jure urgeri nequeunt, eo vel magis quod scholia ad marginem apposita pericopam in antiquis codicibus adfuisse testantur (1). Similiter Evangelistaria adversus nostram sententiam prævalere non possunt; nam permulta eorum pericopam legendam indicant in festis S. Pelagiæ et nonnullarum sanctarum. Neque desunt antiquæ versiones quæ hanc historiam continent, Itala in antiquis codicibus, Vulgata, syriaca Jerosolymitana, æthiopica, slavonica, saxonica, persica. Indicatur aut refertur in aliquibus codicibus syriacis in margine; eam e codice Alexandrino syriace transtulit abbas Paulus (2). Ad versionem armeniacam quod attinet, notat Nicon (3) Armenos ab Evangelio abstulisse historiam hanc, dicentes eam esse multis noxiam.

24. Auctoritati codicum et versionum accedunt Patres plures ac veteres scriptores. Hujus historiæ mentio fit in *Constitutioni-*

(1) Vide Vercellone, *La storia dell' adultera*. Romæ, 1867, p. 32. In hac dissertatione probat cl. auctor usum liturgicum authentiæ hujus loci omnino favere.

(2) « Hæc pericopa non invenitur in omnibus exemplaribus. Invenit autem eam in uno ex codicibus Alexandrinis eamque syriace vertit. » Nota cod. syr. antiqui ap. Wright, *catal. codd. syrr. Musæi Britannici*, p. 42. Legebatur hæc historia in officio nocturno feriæ 2ª hebdomadis 4ª Quadragesimæ. Jacobus Sarugensis eam explicavit. Cfr. Wright, l. c. 845, 989.

(3) Ap. Migne, *Patrol. gr.* I, col. 655 in nota.

bus apostolicis, in *Synopsi Athanasiana* (1). Similiter eam recipiunt S. Ambrosius et S. Hieronymus (2) qui testatur : « In Evangelio secundum Joannem, in multis græcis et latinis codicibus inveniri de muliere adultera, quæ accusata est apud Dominum. » S. Augustinus (3) aperit causam cur a nonnullis codicibus abrasa fuerit. « Nonnulli, inquit, credo metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adulteræ indulgentia Dominus fecit abstulerunt de codicibus suis ; quasi permissionem peccandi tribuerit qui dixit, *jam deinceps noli peccare ;* aut ideo non debuerit mulier a medico Deo illius peccati remissione sanari, ne offenderentur sani. » Adde testimonia Sedulii, Leonis Magni, Chrysologi, Cassiodori (4).

25. Ad Patres qui opponuntur observandum est deesse Origenis *tomum XVIII in Joan.* in quo fortasse sermo de muliere adultera fiebat ; nam tomus XIX incipit immediate post hanc historiam. Theodori Mopsuesteni et Apollinaris non habemus integra commentaria. S. Chrysostomus, S. Cyrillus et Theophylactus de illo commate silent; illud defuisse in codicibus, quibus utebantur, verisimile est. Alii Patres allegati historiam quidem non allegant, ubi occasio se offerebat, fortasse ob rationes ab Augustino datas; sed eam etiam non rejiciunt.

26. Porro contexta oratio hanc historiam expetit. Nam (*Joan.* VIII, 12) dicitur : *Iterum ergo sic eis locutus est Jesus. Eis*, id est *Pharisæis, iterum* locutus est. Vocula *iterum* indicat, Jesum jam Pharisæis fuisse locutum. Ubinam ? In historia de muliere adultera quæ statim præcessit. Si illa historia omittatur, caret suo nexu textus evangelicus (5).

27. Ultima fit difficultas de capite XXI, quod nonnulli protestantes ab Evangelio Joannis expungere vellent prorsus absque jure. Nam legitur illud caput in omnibus codicibus et versionibus. Porro Patres nihil discreverunt inter auctoritatem hujus et ceterorum capitum, sed illud sæpius allegarunt et unanimi ore Joanni tribuerunt. Nec dicat quis indolem stylumque hujus

(1) *Constitut. Apost.* II, 24; *Synopsis Athan.* 50.
(2) S. Ambrosius, *Apol. David.* II; Hieronymus, *Dial. adv. Pelag.* II, 17.
(3) *Tract.* XXXIII, in Joan. VIII, 1-21, n. 2-6. Cfr. *Contra Faust.* XXII, 25.
(4) Ap. Güntner, *Introd. in lib. N. T.* § 149 ; Scholze *N. T. græc.* in h. l.
(5) Rationes in contrarium allatas confutat Kuinoel, *Comment. in Joan.* ad h. l.

loci alium indicare auctorem, quia auctor hyperbolice in prima persona loquitur dialecti atticæ voces usurpans. Joannes enim eo magis adhibere potuit voces dialecti atticæ, quod et in Asia degeret et permixtæ tunc temporis essent dialecti. Insolitum autem Joanni non est loqui in prima persona (1) aut adhibere formas atticas (2), neque ab ejus usu plane abhorret hyperboles.

28. Ex his omnibus recte possumus concludere quatuor Evangelia integra ad nos pervenisse.

Art. 4. Quæ in quatuor Evangeliis narrantur vera sunt.

1. Cum constet Evangelia, sicut ceteros Scripturæ sacræ libros, Deo inspirante, esse conscripta, proindeque esse vera, necesse non videretur hanc veritatem philosophice demonstrare, nisi occurrendum esset incredulis et Rationalistis qui illam negant et impugnant. Quia autem multi hodie facta evangelica in fabulas seu mythos convertere student, plurimum interest veritatem historiæ evangelicæ a ratione stabilire, in qua re peragenda catholici præclaram suæ fidei confirmationem inveniunt.

2. Porro si attente considerentur quæ ad Evangelistas, ad res narratas atque ad modum narrandi attinent, luce meridiana clarius fulgebit veritas Evangeliorum. Tria sunt enim quæ cuivis libro fidem conciliant, qua major dari nequit. 1° Si auctor non fuerit deceptus; 2° si alios decipere noluerit adeoque in narratione sincerus fuerit; 3° si alios decipere nequiverit, etiamsi voluerit, quia indoles rerum narratarum fraudem impossibilem reddebat.

1. *Evangelistæ non fuerunt decepti.*

3. Etenim Evangelistæ fuerunt temporibus Christi æquales; narrarunt quæ vel ipsi viderunt et audierunt vel a testibus fide dignis didicerunt. Duo ex illis, Matthæus et Joannes omnium fere quæ scripserunt testes fuerunt oculati et auriti.

(1) Cfr. *Joan.* I, 14; III, 11; *I Epist.* I, 3-5, etc.
(2) Cfr. *Joan.* IV, 42; *I Epist.* I, 1 et 5.

A Christo ad apostolatum vocati, per tres annos familiari ejus consuetudine usi sunt, cum ipso Galilæam et Judæam peragrarunt, ejus et sermonum et miraculorum testes assidui. In ipsa passione, dum Jesus capiebatur, dum in cruce pendebat, Joannes testis aderat. Redivivus deinde Christus Joanni et Matthæo simul cum aliis discipulis sæpius apparuit per quadraginta dies, eisque locutus est de regno Dei, donec tandem, ipsis cernentibus, elevaretur in cœlum. Merito igitur S. Joannes (1) in fine sui Evangelii de seipso potuit dicere : *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc ; et scimus quia verum est testimonium ejus.* Et alibi (2) : *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ et testamur et annuntiamus vobis.* Narrant igitur non quæ obiter ab ipsis visa aut absque sufficienti attentione percepta fuerunt, sed ea etiam quorum pars magna fuerunt et quæ accurate cognoscere nullius pluris quam eorum intererat.

4. Narrarunt quidem Matthæus et Joannes plura de conceptione, nativitate, infantia et pueritia Christi, de ejus baptismo ac jejunio, quæ, antequam ei adhærerent, gesta sunt ; quibus igitur præsentes non interfuerunt. Ea autem requirere potuerunt a testibus fide dignis, sive a Beata Virgine, a Josepho, Simeone, Joanne Baptista ejusque discipulis, sive ab ipso Christo, qui eos, post resurrectionem suam, omnem revelationem edocuit *per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei* (3).

5. Marcus autem et Lucas testes quidem immediati non fuerunt, sed ab iis qui viderant et audierant certissime edocti sunt. Marcus, discipulus et interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat scripsit , de eo potissimum sollicitus ne

(1) Cfr. *Joan.* I, 11; III, 32; XII, 19.

(2) *Joan.* XXI, 24. Cfr. I, 14.

(3) *Act.* I, 5. Præclare in hanc sententiam Augustinus (*De Cons. Evv.* I, 1) dixit : « qui (Evangelistæ) non solum ea quæ ex ore ejus (Christi) audita vel ab illo sub oculis suis operata, dicta et facta, meminerant; verum etiam quæ priusquam illi per discipulatum adhæserant, in ejus nativitate, vel infantia, vel pueritia, divinitus gesta et digna memoria, sive ab ipso sive a parentibus ejus, sive a quibuslibet aliis, certissimis indiciis et fidelissimis testimoniis requirere potuerunt. »

quid falsi eis, quæ audierat, affingeret (1). Lucas, Pauli discipulus et comes, ea narravit, quorum ipse veritatem partim ex contubernio Pauli, partim ex reliquorum Apostolorum sermonibus hauserat. Illud asserit Lucas : *Sicut tradiderunt nobis*, inquit (2), *qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis.*

6. Nec dicat quis Evangelistas viros fuisse rudes, illiteratos, ignaros, credulos, facile decipiendos, qui, falsa quam sibi efformaverant Messiæ idea delusi, Christi actiones mere naturales, bona tamen fide, in miracula transfigurarunt.

7. Evangelistæ, Luca forsan excepto, agrestes fuerunt et illiterati, sed, quæso, an cæci fuerunt aut surdi? An non potuerunt sensibus æque uti ac viri nobiles et docti? An necesse est litteras scire, aut philosophiam didicisse ut quis possit testari se vidisse Christum infirmos sanantem, claudis gressum, cæcis visum, surdis auditum, leprosis munditiem, reddentem, supra mare ambulantem aut in cruce vitam fundentem? Nonne plebei sanis oculis et auribus præditi sunt æque ac philosophi? Sed audio adversarios excipere contra Evangelistas quia narrant miracula. At necessariam omittunt distinctionem. In miraculo duo probe distinguenda sunt : *existentia facti* et *judicium* de natura facti, *causa supernaturalis* effectus producti et *ipse effectus*. Porro hic agitur de *existentia* facti, an realiter contigerit prout narratur. Non quæritur an Evangelistæ illud supernaturale aut portentosum judicaverint. Quæritur dumtaxat an Evangelistæ scire ac referre potuerint factum ipsum externum, sensibile, prout accidit cum omnibus suis circumstantiis; verbi gratia, an Joannes nosse potuerit Jesum Christum visum reddidisse cæco a nativitate, an audiverit discipulos de causa cæcitatis interrogantes, an viderit Jesum lutum ex sputo fecisse, et luto linivisse oculos cæci, cæcum autem, postquam lavisset se in natatoria Siloë, prout jusserat Jesus, venisse videntem? Potueritne certo scire quomodo vicini et pharisæi ab ipso cæco audierint sanationem ejus, quomodo parentes ejus testati sunt coram Judæis eum, qui cæcus natus erat, postea vidisse? Ut hæc et similia cognoscerent Evangelistæ, sufficit ut fuerint

(1) Vide Papiam supra p. 251.
(2) *Luc.* I, 1.

mente quidem sani, sensibus autem integri. Quod autem falsa Messiæ idea isti viri illiterati delusi fuerint, hoc, etiamsi verum foret, non impediret quominus Apostoli recte suis videndi et audiendi sensibus usi sint. Ceterum Evangelistæ, nedum juxta suorum coævorum præconceptas opiniones Messiam depinxerint summe divitem, gloriosum et potentem; eum e contra pauperem, humilem et abjectum ostenderunt. Recte itaque asseruimus *Evangelistas non fuisse deceptos.*

2. *Alios decipere noluerunt, seu sinceri fuerunt.*

8. Nemo mendax nisi probetur. Evangelistæ autem non solum fraudis convinci nequeunt, sed multiplicia præbent summæ sinceritatis argumenta. Sive enim Evangelistarum personam, sive Evangeliorum stylum et argumentum consideres, ubique elucet summa veracitas.

9. Evangelistæ enim homines sunt simplices et ingenui, vita et moribus integerrimi, qui nec famæ cupidine, nec honorum ambitione, nec divitiarum appetitu, nec spe lucri, nec gloriæ studio ducuntur. Qui deceptioni allaborat, ad fraudem aliquo motivo induci debet. Atqui nihil ad fallendum inducere potuit Evangelistas. Nihil enim commodi vel in hac vel in altera vita sperandum habebant. Quid enim in hac vita ipsis exspectandum erat? Despectus, contumeliæ, persecutiones, tormenta acerbissima, mors turpissima. Christus eos hisce verbis præmonuerat (1) : *Non est servus major Domino suo. Si me persecuti sunt et vos persequentur... Absque synagogis facient vos : sed venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo.* Et revera hæc prophetia adimpleta fuit. Apostoli et Evangelistæ omnia persecutionum et contumeliarum genera passi sunt, ad asserendam Evangelii veritatem, quin et suum sanguinem in illius confirmationem fuderunt. Quis autem vellet vitam transigere despectam, miseriis et passionibus plenam et martyrio coronatam ut veram esse assereret historiam ipsum despectui tradentem, quam scit esse prorsus falsam? Nemo sane. Qui enim factum aliquod etiam cum periculo mortis asserit, ille

(1) *Joan.* XV, 20; XVI, 2; *Matth.* X, 16; *Luc.* X, 3.

merito fide dignissimus habetur (1). Nec majora bona ob fraudem speranda habebant Evangelistæ in altera vita, siquidem Evangelium docet mendacio et fraudi in re religionis supplicia æterna esse reservata.

10. Stylus etiam Evangelistarum miram prodit in narrando sinceritatem. In Evangeliis nulla eloquentiæ affectio, nullum artis dicendi studium, nulla rerum narratarum exaggeratio; styli compositionem narratio nescit; ibi nihil ex odio, nihil ex adulatione, nihil ex delectandi studio; ubique simplicitas, candor, veritas. Infimam suam originem ac rusticitatem Evangelistæ non celant. Matthæus ingenue absque ulla reflexione narrat se ex publicano Apostolum, Christo ipsum vocante quum ad telonium sederet. Facta autem referunt nude prout gesta sunt; Christi supplicia et ignominias narrant, nullum indignantis animi in ejus persecutores indicium præbentes (2). Proprios errores Christique in Apostolos reprehensiones non tacent. Ita autem ea quæ narrant certa omnibus esse persuasi sunt ut nullam cautionem adhibeant ad fidem sibi conciliandam. Imo facta referunt cum omnibus personarum, loci et temporis circumstantiis; notant urbes, vicos, annum, diem aliaque quæ fraudi, si quæ adfuisset, detegendæ aptissima fuissent; omnia denique describunt cum illa securitate quæ propria est hominis ingenui. Quamvis autem diversis temporibus et locis scripserint, mire tamen conveniunt in omnibus.

11. Porro si Evangelii objectum attente consideretur suspicioni fraudis locus non datur. Quomodo enim potuissent viri illiterati, agrestes, piscatores aut publicani, quales erant Apostoli et Evangelistæ, excogitare doctrinam tam sublimem ut omnium philosophorum placita et omnia veteris Testamenti effata longe superet? Quomodo potuissent fingere virum ut Jesum, omnis sapientiæ, omnis virtutis, omnisque perfectionis exemplar, quale totius Græciæ philosophi excogitare nunquam potue-

(1) « J'en crois volontiers, inquit Paschal, les histoires dont les témoins se font égorger. » Pascal, *Pensées*, XXVIII, 73.

(2) « Le style de l'Evangile est admirable en une infinité de manières, et entr'autres en ce qu'il n'y a aucune invective de la part des historiens contre Judas ou Pilate, ni contre aucun des Romains ou des bourreaux de Jésus-Christ. » Pascal, *Pensées*, II, XII, 2.

runt (1)? Si autem Evangelistæ aliquem finxissent Messiam, ad quam rem ineptissimi erant, ut diximus, talem finxissent Messiam, qui tum in moribus, tum in doctrina, tum in omni sua agendi ratione Judæum se continuo præstitisset; finxissent Messiam, qualem eum expectabant (2), Judæis solis faventem, gentibus vero adversum, Messiam regnum temporale possidentem et Judæis potentiam terrenam quam amiserant restituentem. Nihil porro tale in Christo reperitur. Doctrina ejus de providentia, de vocatione gentium, de cultu spirituali, de abolitione sacrificiorum legalium, de perficienda lege Mosaica, de fugiendis divitiis et exquirenda paupertate, de unitate et indissolubilitate matrimonii, de sensibus mortificandis et subigendis passionibus, de excellentia virginitatis, nihil indolis Judaici præ se ferunt (3). Procul igitur ab Evangelio fictiones, procul mythi, procul legendæ! Sinceri Evangelistæ Jesum depingunt, qualis olim visus est et auditus.

3. *Evangelistæ non potuissent decipere etiamsi voluissent.*

12. Hoc tertium urgemus ad vindicandam Evangeliorum veritatem, et fidenter asserimus Evangelistas, etiamsi decipiendi voluntatem habuissent, eam perficere nequivisse. Quæ enim narrant Christi miracula, gesta, sermones, mortem ac resurrectionem, ita publice acta fuerunt, et tanti sunt momenti, ut fraudi locus nullus sit. Referunt Evangelistæ Christi sermones, non in occulto habitos sed publice, in monte, in synagogis, in templo, coram congregata Judæorum multitudine, coram scribis et pharisæis. Ita autem palam Christus doctrinam suam propo-

(1) « Dirons nous que l'histoire de l'Evangile est inventée à plaisir? Mon ami ce n'est pas ainsi qu'on invente, et les faits de Socrate dont personne ne doute sont moins attestés que ceux de Jésus-Christ. Au fond c'est reculer la difficulté sans la détruire. Il serait plus inconcevable que plusieurs hommes d'accord eussent fabriqué ce livre, qu'il ne l'est qu'un seul en aît fourni le sujet. Jamais des auteurs Juifs n'eussent trouvé ni ce ton, ni cette morale; et l'Evangile a des caractères de vérité si grands, si frappants, si parfaitement inimitables, *que l'inventeur en serait plus étonnant que le héros.* « Rousseau, *Emile* l. IV. p. 117.

(2) *Matth.* XX, 21; *Luc.* XXIV, 21; *Act.* I, 6.

(3) Cfr. Wiseman, *Discours sur les rapports entre la religion et la science révélée.* IVe *Disc.*

nebat, ut in Judæorum tribunali summo eorum Pontifici responderit (1) : *Ego palam locutus sum mundo : ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil.*

13. Pariter quæ referunt Christi miracula, ea plena diei luce coram multis testibus patrata sunt. Nonne publica est illa paralytici a Jesu sanatio cui aderat tam frequens multitudo, ut vix ad Jesum pateret accessus? Nonne multos testes habuit illa panum multiplicatio, qua satiata fuerunt quinque hominum millia, aut illa filii viduæ resurrectio, quem tota Naim civitas ad sepulcrum comitabatur? An fortasse occulta fuerit illa cæci nati oculorum apertio, quam parentes et vicini mirati sunt et ex qua pharisæi scandalizati sunt quod fieret in sabbato? Hisce adjiciunt Evangelistæ historiam passionis Christi, mortis ejus in cruce ac sepulturæ, quorum omnium non solum Judæi sed Pilatus militesque romani testes fuerunt. Si redivivus tertia die Jesus solis discipulis se ostenderit, milites tamen romani, cum ipsis Judæis testati sunt corpus ejus in sepulcro non permansisse. Hæc autem omnia Evangelistæ referunt cum omnibus circumstantiis atque illis narrant hominibus a quibus, si vera non fuissent, facillime erroris convinci potuissent.

14. In Evangeliis igitur asseritur Jesum miracula patrasse, in cruce passum esse et tertia die a morte surrexisse. Hæc antequam Evangelistæ ea conscriberent, Apostoli prædicarant. Eorum prædicationem amplexi multi ex Judæis et gentibus in Christum crucifixum et resuscitatum crediderant. Si conficta ista fuissent, an potuissent Apostoli et Evangelistæ Judæos et gentiles ad illa credenda adducere? An potuissent Judæos a propria et avita religione cui pertinacissime inhærebant avellere, et ad hominem ab ipsis paulo ante ignominiosa morte affectum uti Messiam Deumque adorandum adducere? Nonne Judæi eos ut fanaticos impostores, mendacii reos, despexissent? An gentiles a suis idolis, cupiditatibus, a divitiarum, voluptatum, gloriæ, appetitione abstrahere potuissent atque ad Christi religionem omnium horum inimicissimam pertrahere? Fides christiana Judæis erat scandalum, gentibus autem stultitia. Si falsa fuissent quæ hæc fides docebat, seu quæ Evangelia narrabant, an ubique innu-

(1) *Joan.* XVIII, 20.

meri ex Judæis et ex gentibus, omnibus bonis, honoribus, deliciis se spoliavissent, omnia mala, tormenta, mortem ipsam sustinuissent ad amplectendum mendacium, ad credendas fabulas seu mythos? An potuissent homines pauci ignobiles, infimi, imperiti, hominibus doctis et indoctis, Judæis et ethnicis, persuadere ut crederent ficta Christi miracula, fictam mortem, fictam resurrectionem? ut crederent ea publice acta esse, quum contrarium constaret? Si hæc falsa fuissent, miraculum omnium maximum fuisset orbem universum omnia hæc ut vera habuisse.

15. « Tria sunt incredibilia, ait Augustinus (1), quæ tamen facta sunt : incredibile est Christum resurrexisse cum carne, et in cœlum ascendisse cum carne; incredibile est mundum rem tam incredibilem credidisse; incredibile est homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos, rem tam incredibilem, tam efficaciter mundo et in illo etiam doctis persuadere potuisse. Horum trium incredibilium primum nolunt isti, cum quibus agimus, credere, secundum coguntur et cernere, quod non inveniunt unde sit factum, si non credunt tertium. »

4. *Evangelia vera esse confirmatur testimoniis Judæorum et Ethnicorum.*

16. Duo sunt Judæi scriptores, qui ævo Christi et Apostolorum scripserunt : Philo nempe et Josephus. Philo nihil de Christo, neque de iis quæ tunc in Judæa gesta sunt refert, quia ipse nunquam in Judæa fuit, sed continuo Alexandriæ commoratus est. Ejus autem libri circa legem Mosaicam et philosophiam versantur. Mirum igitur non est nihil de Christo occurrere apud Philonem (2).

17. Josephus, anno Christi 37 natus et ad finem sæculi primi mortuus, in suis operibus de *Bello et Antiquitatibus Judaicis* multa habet de familia Herodis, de Pontio Pilato, de sectis Judæorum, de statu regionis et moribus populi, quæ adamussim concordant cum narratione evangelica, adeoque veritatem Evan-

(1) *De civitate Dei* XXII, 5 et 8.

(2) Hinc intelligitur quam immerito D. Renan opera Philonis inter fontes historiæ evangelicæ recensuerit. Quod docte animadvertit vir acatholicus De Pressencé, *Jésus-Christ, son temps, sa vie.* Paris, 1865 p. 114.

geliorum confirmant. Sic refert Josephus (1) Pharisæos, vita moribusque austeros, legis Mosaicæ præsertim vero traditionum tenacissimos, in magna existimatione fuisse apud populum, docuisse animæ immortalitatem et cum Sadducæis hanc veritatem negantibus controversias sæpius sustinuisse. Hæc autem cum Evangeliis prorsus consonant. Postquam autem alibi narravit Herodem, Galilææ tetrarcham, bellum sustinuisse contra Aretam, eo quod Herodiadem uxorem ducere vellet, et in eo bello Herodis exercitum ab Areta devictum fuisse, addit quosdam Judæorum hanc cladem a Deo Herodi illatam putavisse « ob Joannem, cognomento Baptistam. » « Hunc enim, inquit (2), Herodes necari jusserat, quum esset vir bonus, Judæosque ad virtutis studium excitaret, præcipiens, ut juste quidem inter se erga Deum autem pie agentes ad lavacrum accederent : Deo enim acceptum iri lavacrum, quum eo non ad expiationem criminum uterentur, sed ad corporis munditiem, utpote mentibus jam ante per justitiam purificatis. » Quam adamussim cum narratione Evangelica hæc concordent, vix monendum est.

18. Porro non latuit Josephum de Jesu Christo quæ fama ferebat. Agens enim de quadam Judæorum adversus Pilatum seditione hæc ex rumore publico asserit (3) : « Fuit hoc tempore Jesus, vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus (4). Cumque eum a primoribus gentis suæ accusatum Pilatus ad mortem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt, qui primum cœperant. Nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit, cum divini vates hæc aliaque quam plurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hanc usque diem defecit denominatum ab eo christianorum genus (5). »

(1) *Antiqq.* l. XIII. c. 5, n. 9; c. 10, n. 6; l. XVIII, c. 1, n. 3 ; *De bello Jud.* l. II, c. 8, n. 2-14.

(2) *Antiqq.* l. XVIII, c. 5. n. 1-2.

(3) *Antiqq.* l. XVIII, c. 3, n. 3.

(4) Sensum Josephi reddit S. Hieronymus vertendo : credebatur esse Christus. Etenim Josephus qui in Christum non credebat, non quæ ipse sentiebat, sed quæ fama ferebat, tradit, hinc (*Antiqq.* l. XX, c. 9, n. 1) narrans Jacobum, fratrem Domini, jussu Anani, summi pontificis, fuisse lapidatum, eum vocat : *fratrem* Jesu *qui Christus appellatur.*

(5) Blondellus, cui præiverat Osiander, in libro *De Sybillis*, et post eum multi,

19. Nec historia evangelica omnino latuit scriptores ethnicos etsi a Judæa multum dissitos. Ipse Pontius Pilatus, Judææ procurator, relationem de morte Christi misit ad senatum populumque Romanum. Ad istam relationem fidenter provocat S. Justinus, in sua *Apologia* pro Christianis data Imperatori, Senatui populoque Romano, in qua, postquam mortem Christi in cruce memoravit, addit (1) : « Atque hæc ita gesta esse ex *Actis* sub Pontio Pilato confectis discere potestis. » Justini assertionem confirmat Tertullianus in suo Apologetico iisdem romanis oblato (2). Horum virorum testimonia referens Eusebius (3) ait : « Cum admiranda Servatoris nostri resurrectio ejusdemque in cœlum ascensio omnium pene sermonibus jam pervulgata esset, quoniam vetus hæc erat consuetudo provin-

contendunt hunc locum narrationi Josephi ab aliquo christiano fuisse postea adjectum. Has autem afferunt rationes. Ista verba seriem orationis perturbant; non referuntur ad præcedentia, sed neque ad sequentia. Præterea quæ ibi dicuntur quod Jesus fuerit Messias, miracula fecerit, a morte surrexerit, a Prophetis prædictus fuerit, nequaquam Josepho tribui posse videntur, siquidem ipse nihil horum credebat, ut ex ejus scriptis et ex Origene constat. Denique locus ille ignotus erat Origeni, qui de eo silet, quamvis contra Celsum recitet ex Josepho verba quæ ille habet de Joanne Baptista et de Jacobo. Nonne Origenis multo pluris intererat verba Josephi de Jesu recitare, si exstitissent, quam afferre testimonium de Joanne? Alii tamen viri docti, inter quos Huetius (*Demonstrat. Evang. prop.* III, n. 11), hujus loci authentiam strenue defendunt. Exstat enim in omnibus codicibus. Jam sæculo IV Eusebius, qui omnia Josephi opera perspicue noverat et frequenter iis utitur, hunc locum recitat in sua *Hist. Eccl.* I, 11 et in *Demonstr. Evang.* III, 5. Eumdem locum recipiunt et recitant S. Hieronymus ejusque interpres Sophronius (*De vir. ill.* 13), Rufinus, Isidorus Pelusiota, Sozomenus, Cedrenus, Nicephorus, Callixtus, et Suidas. Adversus tot et tantas auctoritates silentium Origenis prævalere nequit. Immerito autem objiciuntur hæc verba seriem orationis perturbare. Nam Josephus ex instituto nequaquam de Christo agit, sed describens gesta Pilati, sumit exinde occasionem loquendi de Christo quem Pilatus Judæis crucifigendum permisit. Quod autem Josephus Jesum appellat Christum seu Messiam, hoc nullam difficultatem ingerere potest. Nam Josephus historice hæc refert prout fama ferebat; Josephus quippe prophetias in Vespasiano, quem Messiam dicebat, adimpletas volebat. Cfr. Danko, *Hist. revel. N. T.* p. 306-314. Vindob. 1867.

(1) *Apol.* I, 35. Cfr. *ibid.* n. 48.

(2) *Apologet.* 5 et 21 *Patrol. lat.* t. I. Ea omnia, inquit, super Christo Pilatus, et ipse jam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tum Tiberio nuntiavit. Editores in notis egregie confutant eos qui volunt Justinum et Tertullianum apocryphis *Actis* fuisse deceptos.

(3) *Hist. Eccl.* II, 2. Idem cum Eusebio confirmat Moses Choronensis. *Hist. Armen.* l. II, c. 70.

ciarum rectoribus, ut quidquid novi apud ipsos contigisset imperatori nuntiarent, ne quid ipsum lateret, Pilatus de resurrectione Servatoris nostri Jesu Christi, cujus per universam Palæstinam celebris erat fama, ad Tiberium principem retulit; multaque alia ejusdem miracula se auditu accepisse significans, et qualiter ad vitam revocatus, a plerisque jam Deus haberetur. Ac Tiberium quidem rem ad Senatum detulisse perhibent, etc. »

20. Tacitus, sæculi I scriptor, in suis *Annalibus* (1) de Christianis agens scribit : « Auctor ejus nominis Christus, Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus est. »

21. Thalus (2), græcus ejusdem sæculi auctor, testatur anno 18 Tiberii, quo anno Christus mortuus est, subitam caliginem in ipsa meridie visam fuisse. Concinit Phlegon (3), Adriani imperatoris libertus. Is, postquam scripsit Christum multa prænuntiasse quæ sunt eventu completa, et inter alia ruinam urbis Jerosolymæ, addit : « Quarto anno olympiadis 202 (anno 18 Tiberii, quo anno Christus passus est) magna et excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis facta est. Dies hora sexta ita in tenebricosam noctem versus est, ut stellæ in cœlo visæ sint, terræque motus in Bythinia Nicæam urbem subverterit. » Tertullianus (4) rem adstruit ex *archivis romanis* : « Eodem momento (quo Christus passus est) dies, medium orbem signante sole, subducta est. Deliquium utique putaverunt, qui id quoque super Christo prædicatum non scierunt. Et tamen eum mundi casum relatum in arcanis (alii codd. in archivis) vestris habetis.

22. Chalcidius, philosophus platonicus tertii sæculi, in suo *commentario in Timæum* Platonis mentionem facit de ortu novæ stellæ et adoratione magorum. Macrobius (5) cædem infantium memorans refert quod, cum audisset Augustus inter pueros, quos in Syria Herodes, rex Judæorum, infra bimatum jussit occidi, filium quoque ejus interfectum, ait : « Melius est He-

(1) *Annales* XV, 44.
(2) *Historia Syriaca* l. III.
(3) *Olympiad.* l. XIII.
(4) *Apol.* 21. Cfr. *adv. Judæos*, 10; Lucianus ap. Euseb. *Hist. Eccl.* IX, 6.
(5) *Saturnal.* l. II, 4.

rodis porcum esse quam filium. » Alia testimonia adducere necessarium non videtur (1), unum dumtaxat memorabo Celsum.

23. Celsus sæculo II totam historiam evangelicam legit; eam porro in dubium non vocat, sed irridet miracula Christi magiæ ea tribuens et resurrectionem impugnans sub prætextu quod Evangelistæ sibi invicem opponantur. Cum Celso faciunt alii philosophi, Porphyrius, Hierocles, Julianus Apostata.

24. Ex his omnibus prolatis argumentis sat superque constat Evangeliorum veritas. Concludimus igitur cum Eusebio (2) : « Credere oportet Jesu discipulis, vel non ; quod si solis hisce viris deneganda est fides, et aliis omnibus deneganda erit, quicumque unquam, sive apud Græcos, sive apud Barbaros, vitas et orationes et memoratu digna scripserunt eorum qui, variis temporibus, suis bene ac facinorose gestis claruerunt. Aut si reliquis quidem omnibus credere, discipulis vero Christi solis non credere, æquum esse dicis, quomodo non patebit invidia ?

5. *Solutio difficultatum.*

1. *Obj.* 1° Lucas II, 1-6 ait : *Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis* (3). *Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam in civitatem David quæ vocatur Bethleem : eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.* Hæc autem fictitia sunt et a Luca eo fine inventa ut fidem sibi conciliaret, quando asserebat Christum in Bethleem juxta prophetiam natum esse. Etenim fictitium prorsus est prætensum illud Cæsaris edictum, cujus nulla mentio occurrit apud Tacitum, Suetonium, Dionem Cassium, qui res Augusti

(1) Plurima alia testimonia subministrat Bullet, *Histoire de l'établissement du christianisme tiré des seuls auteurs grecs et latins.*

(2) *Demonstrat. evangel.* l. III, c. 5.

(3) *Universus orbis,* scilicet, *Romanus.* Nam ultra imperii limites edictum ferre Augustus non valebat.

attente prosecuti sunt. Imo ipse Augustus in marmore Ancyrano scribit census ter a se peractos; neuter porro ex istis censibus convenit cum memorato a Luca decreto. Errat præterea Lucas asserendo descriptionem illam factam sub Cyrino. Nam Flavius Josephus (1) diserte tradit Cyrinum præfecturam Syriæ suscepisse post exilium Archelai, decem circiter annis post natum Christum. Si autem hæc falsa sunt eodem jure falsa habenda est historia nativitatis Christi in Bethleem, utpote quæ his præmissis tota innititur. Ita Strauss, d'Eichtal, alii.

2. *Resp.* Narratio Lucæ certissimis antiquitatis testimoniis comprobatur. Etenim S. Justinus (2), in Palæstina ineunte sæculo II natus, in *Apologia,* quam imperatori, senatoribus et populo romano direxit, hæc tanquam omnibus certissima tradit : « Bethleem est vicus quidam in terra Judæorum, stadiis triginta quinque Jerosolymis distans, ubi natus est Jesus Christus, quemadmodum et ex *descriptionibus* (απογραφων) *census discere potestis quæ sub Cyrenio* (3), *primo vestro in Judæa præside, confectæ sunt.* » Porro descriptionem sub Augusto factam imo et in archivis romanis repositam diserte etiam asserit Tertullianus eamque Dominicæ in Bethleem nativitatis *testem fidelissimum* vocat. « Sed et census, inquit (4), constat actos sub Augusto in Judæa per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus (Christi) exquirere potuissent. » « De censu denique Augusti, quem testem fidelissimum Dominicæ nativitatis romana archiva custodiunt. » « Fuit (Christus) de patria Bethleem et de domo David, sicut apud Romanos in censu descripta est Maria, ex qua nascitur Christus. »

3. Silent quidem de Augusti decreto Tacitus, Suetonius, Dio Cassius et ipse Augustus. Fatemur etiam illam descriptionem

(1) *Antiqq.* l. XVIII, c. I, 1.

(2) *Apolog.* I, 34. Idem asserit in *Dial. cum Tryph.* n. 78 : « Joseph... cum tunc in Judæa descriptio perageretur prima sub Cyrenio, ex oppido Nazaret, in quo degebat, Bethleem, unde oriundus erat, profectus est ut describeretur.... Nato autem Bethleem puero, cum Joseph in hoc vico non haberet, quo diverteret, in specum quemdam vico proximum concessit. »

(3) Græce : Κυρηνιος *Quirinius, Quirinus, Cyrinus.*

(4) *Adv. Marcion.* IV, 7, 19. Cfr. *De carne Christi* 2; *Adv. Judæos.* Bethleem natum esse Christum tempore Origenis omnes, etiam fidei hostes, tenebant. Origen. *Contra Cels.* I, 51; Cfr. Eusebius, *De Vita Constant.* III, 41, 43.

numerari non posse inter illos tres populi census quos Augustus et Suetonius memorant. Etenim his censibus solummodo cives romani censiti sunt, non autem universum imperium (1). Silent igitur isti auctores ; sed, præterquam quod silentium alicujus historici non labefactat testimonium alterius, cur sileant isti auctores ratio assignari potest. Tacitus pauca de regno Augusti habet ; ejus enim *Annales* a regno Tiberii fere incipiunt; Suetonius in depingenda Augusti indole præsertim versatur. Dionis Cassii historia mutila est, ea præcise parte, qua mentio fieri poterat de nostra descriptione. Augustus, etsi in inscriptione marmoris Ancyrani silet, in *Breviario imperii,* cujus meminere Tacitus et Suetonius (2), recensuit « quantum civium sociorumque in armis ; quot classes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia imperio Romano essent. » Quod utique fieri non potuit nisi per generalem imperii descriptionem. Non desunt igitur generalis cujusdam sub Augusto descriptionis indicia. Imo Suidas (3) refert Augustum numerare voluisse omnes imperii Romani incolas, et ex antiquo scriptore asserit, Augustum, cum solus regnaret « id munus viginti viris delectis commisisse. Concinit Cassiodorus (4).» « Augusti temporibus, orbis Romanus agris divisus censuque descriptus est, ut possessio sua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum susceperat quantitate solvenda. » Ex his omnibus patet vera esse quæ de Augusti decreto tradit S. Lucas.

4. Ad secundam difficultatem, qua Lucas cum Josepho pugnare asseritur, illud statim monendum ducimus, quod, etsi Lucas revera cum Josepho pugnaret, non statim exinde concludere liceret Lucam erravisse. Fieri enim potuit ut ipse Josephus erraret. Nam si Rationalistæ non habent Lucam infallibilem, nec Josephus ipsis infallibilis esse potest. Præterea ex eo quod Lucas in aliqua temporis notatione deficeret, fas exinde ipsis non esset totum illius Evangelium rejicere, alioquin eodem jure omnes fere scriptores profani et in primis ipse Josephus ab eis

(1) Cfr. B. Lamy, *Apparat chronol. in Harmon. evangel.* p. 78. Paris. 1699.

(2) Tacit. *Annal.* I, 11; Sueton. *Vita Augusti* c. 51.

(3) Ad voc. ἀπογραφή.

(4) *Variarum lib.* III, *epist.* 52. Jam Dio Cassius de Augusto dixerat : « Misit alios alio, qui et privatorum fortunas describerent et publicas. »

forent rejiciendi. His præmissis, videamus an revera S. Lucas pugnet cum Josepho.

5. Evangelista ait : αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου : *Hæc descriptio prima facta est, præside Syriæ Cyrino.* Porro non una est horum verborum interpretatio. Nonnulli vocem πρώτη sumunt pro προτέρα *prior, prior Cyrino præside*, id est, *priusquam Cyrinus esset præses.* Docent non deesse exempla quibus probari possit vocem πρώτη hoc sensu usurpari (1). Juxta eos igitur verba Lucæ hunc habent sensum : *Hæc descriptio facta est priusquam Cyrinus præsès esset Syriæ.* Hac interpretatione, si sit admittenda, omnis, ut patet, difficultas tollitur.

6. Si autem verba Lucæ sensu obvio sumantur, ita ut Evangelista dixerit hanc descriptionem factam esse sub Cyrino, Syriæ præside, volenti Lucam cum Josepho componere duplex admittenda est descriptio duplexque Cyrini in Syriam missio. Porro rem ita se habere plurima suadent. Etenim differt omnino census, de quo agit Josephus, ab eo quem Lucas memorat. Apud Josephum (*Antiqq.* XVIII. I) Cyrinus in Syriam missus est a Cæsare ut jus populo redderet et census facultatum ageret et bona Archelai fisco addiceret. Cum eo missus est Coponius cum summa in Judæos potestate. Igitur apud Josephum sermo est de *descriptione bonorum*, quæ a Cyrino et a Coponio conjunctim effecta est post exilium Archelai seu decem circiter annos post Christum natum. Nequaquam tamen negat Josephus Cyrinum antea jam missum fuisse in Syriam. De hac re silet. Solummodo asserit Cyrinum *omnibus magistratibus* jam perfunctum fuisse. Ex parte igitur Josephi nihil prohibet quominus, si sufficientia adsint testimonia, admittamus duplicem Cyrini in Syriam missionem.

7. Porro S. Lucas agit, non de *censu bonorum*, sed de *descriptione* (ἀπογραφή) *personarum*. Ista autem descriptio ante censum a Josepho memoratum peracta fuerit. Nam Evangelista eam vocat *primam* ad distinctionem sane *secundæ*, de qua quidem non agit Lucas, bene vero Josephus. Aliunde autem constat Quirinum bis in Syriam præsidem missum fuisse (2). Prima

(1) Sic *Joan.* I, 15, 30 : *Ante me factus est quia prior* (πρῶτός μου) *me erat.*

(2) In inscriptione *Tiburtina* asseritur Quirinium *iterum* tanquam legatum

vice ab anno Urbis conditæ 750-753, vivente adhuc Herode; secunda vice anno 759-763. Quum autem juxta chronographos Christus natus sit quatuor vel quinque annos ante æram vulgarem quæ incipit ab anno Urbis conditæ 753, ejus nativitas incidit in annum 749, quo Varus, Quirinii prædecessor, adhuc in Syria præses agebat. Sed istam unius anni differentiam aliqui repetunt ex eo quod Quirinius jam revera Syriæ præses designatus fuerit, sed Romæ adhuc ad gravia gerenda negotia retentus. Descriptio autem facta fuit, ut asserit Tertullianus, per Sentium Saturninum qui ad censendas personas Quirinio adjunctus fuerit, sicut in censendis bonis ei adjunctus fuit Coponius. Mos enim erat Romanorum in censu provinciarum peragendo duos delegare viros (1). Ex his concludimus nullam inesse inter Lucam et Josephum contradictionem; concludimus etiam descriptionem a Luca memoratam sub Quirinio factam fuisse eo ipso tempore, quo Christus natus esse perhibetur, adeoque merito Tertullianum ad illam descriptionem provocasse tanquam ad *testem fidelissimum Dominicæ nativitatis*.

8. Tertia fit difficultas : ista, inquiunt, descriptio, de qua Lucas, si more romano facta fuerit, Josephus Bethleem ire non debuit, si more Judæorum, solus Josephus illuc pergere necesse habuit. Mariam autem, utpote quæ jam in eo erat ut mox parturiret, Nazarethi remanere oportuit. Præterea non intelligitur quomodo aliquis Syriæ præses potuerit in regno Herodis censum peragere.

9. *Resp.* Ubi de censendis bonis apud Romanos agebatur, census agendus erat in loco in quo sita erant bona, si vero de describendis personarum nominibus, cives ire debebant ad locum originis, ad tribus sedem (2). Josephus igitur Bethleem se conferre debuit quia erat de familia David. Beata autem Virgo vel libere Josephum comitata est, quod et aliis vicibus fecit (3), vel fortasse etiam ad hoc coacta fuit, quia lex erat Romanorum ut in *Syriis* a quatuordecim annis masculi, a duo-

proprætorem Syriam administrasse. Vide *Revue des questions historiques* p. 23. Paris. 1867.

(1) Tacitus (*Annal.* II, 6) refert Tiberium ad censendas Gallias misisse Vitellium et Cantium. Romæ etiam per duos prætores census agebatur.

(2) Vide Demaret, *De Origine Evv.* p. 290.

(3) Cfr. *Luc.* II, 41.

decim feminæ, usque ad sexagesimum quintum tributo capitis obligarentur. Potuerit autem Quirinius nomine Romanorum censum in Judæa, regnante Herode, agere, quia Judæa sub Pompeio ad tributum Romanis solvendum coacta fuerat (1).

10. *Obj.* 2. Evangelistæ inter se non consentiunt, sed in pluribus sibi contradicunt. Ergo fidem non merentur.

11. *Resp.* Eamdem jam tempore S. Augustini difficultatem movebant pagani, qui etiam, quod nunc volunt Rationalistæ, *Jesum honorandum tanquam sapientissimum virum putabant, colendum autem tanquam Deum negabant* (2). Duce igitur Augustino, qui ad solvendam istam difficultatem scripsit suum opus *De consensu Evangelistarum*, respondemus, Evangelistas quidem non consentire eo sensu, quod non eadem facta omnes, neque eodem prorsus modo referant. Dicimus autem talem consensum non requiri. Porro Evangelistas non consentire eo sensu quod unus neget quod alter affirmat prorsus negamus. Varietas in Evangeliis est, non contradictio ; exinde autem veritas historica non infirmatur, sed e contra roboratur.

12. Etenim Matthæus plura refert, quæ ceteri prætermittunt, et vicissim Lucas, Joannes et etiam Marcus plura recitant, quæ Matthæus silentio premit. Sed exinde nulla contradictio, cum narratio unius bene componi possit cum narratione alterius. Sic Matthæus et Lucas æque testantur Mariam de Spiritu sancto concepisse, sed solus Lucas refert annuntiationem a Gabriele factam, solus vero Matthæus memorat consilium Josephi, quo occulte Mariam dimittere volebat. Conveniunt rursus ambo Evangelistæ de nativitate Jesu in Bethleem, sed Matthæus narrat adorationem Magorum cædemque infantium, quæ tacens Lucas refert adorationem pastorum, circumcisionem et alia a Matthæo prætermissa. Porro de his nihil habent Marcus et Joannes. Ubi vero pervenitur ad prædicationem Joannis Baptistæ, quatuor Evangelistæ æque eam memorant, sed in illius

(1) De Quirinii descriptione doctissime agunt B. Lamy, *Apparat. chronol. ad Harmon. Evv.* p. 77-86. Paris. 1699: Patritius, *De Evangeliis Dissert.* XVIII. Demaret, *De Origine Evangel.* p. 272-290; Wallon, *De la croyance due a l'Evangile*, 2ª ed. p. 329-374. Paris. 1866; De Valroger, *Introduct. cit.* t. II, p. 480; 492 ; Desjardins, *Revue des questions histor.* p. 1-65. Paris. 1867; Aberle in *Theologische Quartalschrift*, p. 103-148, Tubingen 1865.

(2) *De Consens. Evv.* I, VII, 11.

circumstantiis exponendis, diversis utuntur verbis, diverso verborum ordine, diverso locutionis genere. Sic ubi referunt verba Joannis Baptistæ, unus plura, alter pauciora recitat; nulla tamen idcirco inter illos adest dissensio. Quare reprehendit Augustinus quisquis dicit Evangelistis per Spiritus sancti potentiam id debuisse concedi, ut nec in genere verborum nec in numero, nec in ordine discreparent. Et affert Augustinus hoc exemplum. Matthæus refert Joannem Baptistam dixisse : *Qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare.* Lucas vero : *Venit autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum.* Marcus addit vocem *procumbens : cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum.* Differunt verba, et verborum ordo, non sententia. Quamvis porro aliud sit *calceamenta portare,* aliud *corrigiam calceamenti solvere,* nequaquam tamen Lucas Matthæo contrarius est. Potuit enim Joannes utrumque sic dicere : *cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere, nec calceamenta portare.* Si autem nihil intendit Joannes cum de calceamentis Domini diceret, nisi excellentiam ejus et humilitatem suam ; quodlibet horum dixerit, sive de solvenda corrigia calceamentorum, sive de portandis calceamentis, eamdem sententiam tenuit. Ita Augustinus qui addit : « Utilis igitur modus et memoriæ maxime commendandus, cum de convenientia dicimus Evangelistarum, non esse mendacium, cum quisque etiam dicens aliquid aliud, quod etiam ille non dixit de quo aliquid narrat, voluntatem tamen ejus hanc explicat, quam etiam ille qui ejus verba commemorat. Ita enim salubriter discimus, nihil aliud esse quærendum quam quid velit ille qui loquitur (1). »

13. Sed *instant* adversarii et dicunt : Evangelistæ sibi in pluribus aperte contradicunt ; ergo nequaquam vera haberi possunt Evangelia. In probationem statim adducunt genealogias Christi. In evangeliis duplicem Christi genealogiam reperimus, quarum alteram S. Matthæus, alteram S. Lucas descripsit. Ita autem inter se pugnant istæ genealogiæ ut si una admittatur, altera necessario sit rejicienda. Sic Matthæus genealogiam Josephi deduxit a Davide per *Salomonem,* ex quo per generatio-

(1) *De Consens. Evv.* II, XVII, 29.

num seriem descendit *Mathan* qui genuit *Jacob*, qui rursus genuit Joseph. Lucas vero ascendit ad Davidem per alterum ejus filium *Nathanem*, et tradit *Josephum* filium fuisse *Heli*, qui filius fuit Mathat, et sic ascendit usque ad Davidem per *Nathanem*. Atqui in his contradictionem esse patet. Ergo.

14. *Resp*. Etiamsi in genealogiis conciliandis quædam remanerent obscura, ambigua aut dubia, nihil exinde sequeretur adversus veritatem Evangeliorum. Cum enim alia temporum illorum monumenta desint, cum usus, mores et instituta illius ætatis a nostris longissime distent, quid mirum si quædam occurrant impedita et explicatu difficilia ? Attamen bene componi potest utraque genealogia, si rationem habeamus instituti Mosaici.

15. Lex erat a Moyse lata (*Deut*. XXV, 5-10), ut si quis absque liberis defunctus esset, frater ejus uxorem defuncti acciperet, et suscitaret semen fratri suo defuncto. Porro primogenitus ex secundo illo matrimonio, censebatur filius defuncti, qui sic pater ejus *legalis* non *naturalis* fiebat. Jam autem Joseph, filius *naturalis* fuit *Jacobi*, *legalis* autem *Heli*. Porro Jacob et Heli fratres uterini ex eadem matre Estha, sed ex diverso patre , fuerunt. Jacob patrem habuit Mathan , qui cum mortuus esset, uxor ejus nupsit Mathat, ex quo matrimonio natus est Heli. Hoc ex Africano discimus, qui sæculo secundo scribebat et apprime veritatem de genealogiis perscrutatus fuerat. Is itaque sic totam rem explicat : « Si a Davide per Salomonem generationes cum Matthæo numeraveris, tertius itidem a fine reperietur Melchi (1) cujus filius fuit Heli, pater Josephi. Sic enim ait : *Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Melchi.* Cum igitur veluti scopus nobis propositus sit Josephus, explicandum nobis est quomodo uterque pater illius esse dicatur, tam Jacob, qui ex Salomone, quam Heli, qui ex Nathan ori-

(1) In Lucæ genealogia : *Joseph qui fuit Heli, qui fuit Mathat , qui fuit Levi, qui fuit Melchi.* Africanus autem in suo codice legit : *Joseph qui fuit Heli, qui fuit Melchi,* omissis Mathat et Levi. Cum Africano legerunt Eusebius *Quæst. ad Steph.* 3; Ambrosius *lib.* 3. *in Luc.;* Irenæus, *Contra hær.* III, 33. Joannes Damascenus (*De fide orth.* IV, 14) habet Levi ut patrem Melchi et tradit Beatam Virginem Josephi cognatam fuisse : « Levi genuit Melchi et Pantherem. Panther autem genuit Barpantherem. Barpanther genuit Joachim ; Joachim genuit sanctam Dei genitricem. »

ginem ducit, ac præterea, quomodo isti duo Jacob et Heli, fratres fuerint; deinde vero, qua ratione horum patres Mathan et Melchi diverso genere prognati, avi Josephi fuisse probentur. Mathan et Melchi cum eamdem uxorem alter post alterum habuissent, liberos ex ea, qui uterini fratres erant, susceperunt : quippe lex minime vetabat, ne mulier vidua, seu repudiata, seu viro ipsius mortuo, alteri nuberet. Igitur ex Estha (hoc enim mulieris nomen fuisse accepimus) primus Mathan, qui a Salomone genus ducebat, Jacobum filium sustulit. Post Mathanis autem interitum, Melchi qui ad Nathanem originem referebat, cum ex eadem tribu sed diversa familia editus esset, ut antea diximus, uxorem eam sortitus, Heli filium suscepit. Hoc modo Jacob et Heli, licet diverso genere prognatos, uterinos fratres reperiemus. Quorum alter, Jacob scilicet, cum frater ipsius Heli sine liberis decessisset, viduam ejus conjugem sibi accipiens, tertium ex ea Josephum genuit, naturali quidem ratione filium suum. Unde etiam scriptum est : *Jacob autem genuit Joseph*. Sed secundum legem filius erat Heli, quippe cum ejus semen Jacobus frater suscitavisset (1).

16. Sed reponet quis : Matthæus et Lucas genealogiam Josephi referunt, non Mariæ ; Jesus autem, utpote a Spiritu sancto ex Maria virgine genitus, non fuit Josephi filius naturalis, sed *putativus* dumtaxat. Ergo ex genealogiis non probatur Jesum ex stirpe Davidis originem ducere, quod initio genealogiæ affirmat Matthæus.

17. *Resp*. Etiamsi res ita se haberet nulla exinde contradictio oriretur inter Evangelistas, quod in quæstione est. Attamen difficultas quæ objicitur nulla est. Etenim ex antiquis Patribus constat Mariam filiam hæredem fuisse, quæ juxta legem Moysi (*Num*. XXXVI) viro ejusdem familiæ nubere debebat, ne ad aliam familiam bona transirent. Si igitur Maria ex eadem familia erat quam Joseph, quum Joseph ex stirpe Davidis descenderet, sequitur Mariam adeoque Jesum ex eadem stirpe descendisse. Quod autem Maria de domo David esset, rursus probatur ex eo quod angelus ipsi conceptionem de Spiritu sancto annuntians dicit Deum ipsi daturum sedem David

(1) Africanus *Epist. ad Aristid.* ap. Migne, *Patrol. græc.* t. X, col. 53.

patris ejus (1). Hac etiam de causa Maria Bethleemum proficisci debuit ut cum Josepho nomen suum profiteretur, eo quod ambo essent de domo et familia David (2).

18. *Instant.* 2°. Matthæus refert Josephum, Jesu a magis in Bethleem adorato, cœlitus admonitum fugisse in Ægyptum cum infante et Maria, matre ejus; mortuo autem Herode, rediisse ab Ægypto, non in Judæam quia timebat Archelaum, sed in Galilæam, et venisse Nazareth. Lucas vero refert Jesum statim post nativitatem a pastoribus fuisse adoratum, deinde octavo die circumcisum, et Jerusalem in templo præsentatum, postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ. Ut autem perfecerunt parentes Jesu omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. Patet exinde Lucam nequaquam posse conciliari cum Matthæo. Matthæus enim dicit Jesum ex Ægypto rediisse in Nazareth, et in Judæam noluisse venire propter metum Archelai, Lucas vero ait Jesum ex Jerusalem in Nazareth se contulisse. Prorsus ergo Matthæus cum Luca pugnat. Ita d'Eichtal et alii.

19. *Resp.* Jam diu hanc difficultatem solvit Augustinus (3) hoc modo Matthæi narrationem in Lucæ expositione inserens : « Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur (*Luc.* II, 21). » Et « Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam..... Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam (*Matth.* II, 1-12). » Qui cum recessissent « postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ..... et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini (*Luc.* II, 22-39). » « Ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph...... et veniens habitavit in civitate quæ appellatur Nazareth, etc. »

20. *Obj.* 3. Evangelica historia plura narrat miracula; porro miracula facta sunt supernaturalia. Jam autem scientia critica

(1) *Luc.* I, 32.

(2) *Luc.* II, 4-5. Cfr. Euseb., *Hist. Eccl.* I, 7; *Quæst. ad Stephan.* I-XIII; Augustin., *De Cons. Evang.* II, II-V; Hier. *in Matth. I;* Joannes Damasc. in verbis supra citatis asserit Joachimum, beatæ Mariæ patrem, e Davide per Nathanem descendisse, filiumque fuisse Barpantheris, qui patrem habuit Pantherem, Melchi fratrem et Levi filium.

(3) *De Consensu Evv.* l. II, V, 15-17.

seu rationalistica rejicit quidquid supernaturale est. Nam quæ sunt supernaturalia limites humanæ rationis excedunt, adeoque ab homine certo cognosci non possunt. Nequit igitur homo certior fieri miracula a Christo fuisse patrata. Christo quidem cæcorum, claudorum, mutorum, paralyticorum sanatio, quin et etiam mortuorum resurrectio et dæmoniorum expulsio tribuuntur ; sed de hisce factis non constat, quia tunc quando gesta sunt, non aderant viri scientiarum naturalium periti et medici qui de re judicarent. Nequaquam igitur constat ista facta miracula esse. E contra omnia naturaliter explicari possunt, et naturaliter evenerunt; sed Apostoli cum vellent Jesum tanquam Messiam proponere, fictis circumstantiis illa facta exornarunt. Quidquid igitur supernaturale in Evangeliis occurrit, fictitium seu mythicum habendum est, nequaquam autem verum. Ita Paulus, Renan, Strauss, Littré, alii.

21. *Resp.* Miracula quidem sunt facta supernaturalia et sæpius occurrunt in Evangeliis ; sed exinde veritas Evangeliorum nequaquam infringitur. Nam homo æque bene potest veritatem assequi facti supernaturalis seu miraculi quam alterius cujuscumque facti (1). Quid est miraculum? factum immediate a Deo vel ab ejus delegato, præter ordinarium naturæ cursum, productum ; v. g. si quis mortuum ad vitam revocat, si quis claudum, cæcum, leprosum, paralyticum, semota omni medicina, uno aut altero verbo sanat. Jam autem omnes homines etiam indocti et imperiti possunt certiores reddi talia facta evenisse, adeoque possunt cum omni certitudine ea asserere et testari. Nequaquam requiritur ut adsint vel medici vel rerum naturalium periti qui de talibus factis testimonium reddant. Unusquisque potest hæc cognoscere et testificari. Patent enim talia facta cuicumque sanis sensibus utenti. Narrant Evangelistæ Christum verbo sanavisse paralyticum coram multis Judæis et pharisæis, ad vitam revocasse, multis adstantibus et cernentibus, filiam Jairi, filium viduæ, et Lazarum. Quis dicet hæc ideo esse fictitia quia ibi non aderant viri scientiarum naturalium periti, qui de re testarentur?

22. Non negamus fieri aliquando posse ut dubium sit an

(1) De miraculo ejusque possibilitate et cognoscibilitate docte agit Van Weddingen, *De Miraculo,* Lovan. 1869.

talis vel talis sanatio naturaliter vel supernaturaliter effecta fuerit, et in hoc casu fortasse consilium medicorum erit exquirendum. Sed nequaquam exinde sequitur talem sanationem fieri dubiam. Constat enim de facto, sanatio vera est et certa, sed dubitatur dumtaxat de indole hujus sanationis, an naturalis sit vel supernaturalis, dubitatur quibusnam mediis tribuenda sit ista sanatio, dubitatur utrum remediis naturalibus, an vi supernaturali effecta fuerit. Sed nullum movetur dubium an sanatio reapse exstiterit. E contra, antequam dubium oriatur de indole naturali vel supernaturali alicujus sanationis, prærequiritur ut de sanatione constet. Jam vero quæstionem nunc non agitamus cum Rationalistis, an quæcumque narrantur sanationes vel extraordinaria facta in Evangeliis sint miracula vel non, sed simpliciter quærimus an hæc vera sint, an evenerint prout narrantur. Quis autem de hac re dubium movere poterit? Evangelistæ narrant Jesum publice coram populo, coram pharisæis, coram doctoribus et legisperitis sanavisse vel nudo verbo vel simplici tactu leprosos, claudos, cæcos, mutos et surdos a nativitate; narrant ipsum paralyticum in Capharnaum, infirmos in Jerusalem, ad sanitatem revocasse, filiam Jaïri, filium unicum viduæ in Naïm, Lazarum in Bethania, a mortuis excitasse, coram multis cujuscumque conditionis testibus. Evangelistæ ipsi horum factorum testes fuerunt, facta ipsi viderunt vel a fide dignis acceperunt; quis contendere audebit ista facta, quia miraculosa reputata tunc ab omnibus etiam pharisæis fuerunt, non evenisse prout Evangelistæ narrant? Nihil interest an Apostoli miraculosa reputaverint facta quæ miraculi naturam non habebant, vel an Apostoli, ut olim philosophi pagani dicebant, a Christi præstigiis decepti, divinæ potentiæ tribuerint quæ arti magicæ referenda erant. De hac re nunc non quæritur; quæritur dumtaxat an vera sit eorum narratio? Quis autem de hac re dubitare potest, postquam veracitatem Apostolorum supra demonstravimus? Etenim miracula non difficilius aspiciuntur et cernuntur ab hominibus quam quæcumque alia facta.

23. *Instat* et dicit Renan : Apostoli præconcepta idea Messiæ venturi miraculaque patraturi detinebantur. Porro sic ratiocinati sunt : Messias venturus faciet miracula, atqui Jesus est Messias, ergo miracula faciat necesse est. Hoc ratiocinio de-

cepti Apostoli sibi finxerunt, bona quidem fide, Jesum patravisse miracula, quia ipsum ut Messiam habebant et ipsum talem esse cæteris proponere volebant.

24. *Resp.* Nihil absurdius hoc ratiocinio excogitari potest. Si Jesus non est Messias, undenam Apostoli persuasi sunt ipsum esse Messiam? Apostoli credebant Messiam restituturum temporale Israelitarum regnum. Hoc non fecit Jesus, undenam igitur ipsis hæc persuasio ipsum esse Messiam? Undenam hæc persuasio provenire ipsis potuit nisi quia audierunt Jesum divina prædicantem, sanctissime se gerentem et mira patrantem? Apostoli Christo miracula tribuunt : an fuerunt decepti? an voluerunt decipere? an potuissent decipere etiamsi voluissent? Nequaquam. Vera igitur sunt quæ ipsi narrarunt. Animadverte, quæso, quam mira sit incredulorum credulitas. Nolunt credere quæ testes fidelissimi asserunt, et credunt Apostolos, Evangelistas, myriades christianorum omnia bona abjecisse, divitiis, voluptatibus renuntiasse, omnia opprobria, contumelias, persecutiones, tormenta, mortem ipsam toleravisse ut incredibilia et fictitia credenda non credentibus proponerent! Credunt increduli, o nimis creduli, ut fictitia assererent, Apostolos Petrum et Joannem carcere clausos, flagellis cæsos, sacerdotibus respondisse : *Non possumus quæ vidimus et audivimus non loqui.* Credunt ad fictitia prædicanda Paulum ter virgis cæsum, semel lapidatum, tria naufragia passum, periculis itinerum, latronum, gentium objectum, ærumnis, fame, siti, omni genere privationum oppressum, denique mortem ipsam passum! Paratum se dicebat et ad supplicia et ad mortem ire pro Christo ; aiebat : *Si Christus non resurrexit vana est fides nostra*, et hæc ipse sciebat esse falsa! Illud et cognoscebant Stephanus dum lapidabatur, et Jacobus dum enecabatur, et Ignatius dum bestiis objiciebatur, et senex Polycarpus in flammis, et delicatissima Cecilia, et tenerrima castissimaque Agnes, et infantes et senes, et nobiles et pauperes dum igne, tormentis, bestiis, gladio, cruce e vita tollebantur, et legiones eorum martyrum qui, vel ludibria Romanorum in amphiteatris, vel pice induti comburebantur ad delectationem Neronis! Hæc omnia ipsi patiebantur ad miracula ficta propugnanda! Quam incredibilia credere debent qui veritati nolunt credere!

CAPUT IV.

DE ACTIBUS APOSTOLORUM (1).

1. *Argumentum.* Continet iste liber non universos omnium Apostolorum actus, sed præcipua quædam aliquorum Apostolorum gesta, quod jam in ipso titulo insinuatur, *πραξεις αποστολων*. Cap. I-XII narrat auctor Ecclesiæ nascentis exordia et incrementa, primum quidem inter Judæos, mox vero etiam inter gentes. Præmittitur ascensio Christi et Matthiæ promotio ad apostolatum in loco Judæ proditoris. Die Pentecostes Spiritus sanctus, juxta Christi promissum, illabitur in Apostolos, qui statim incipiunt annuntiare Evangelium, primo in Jerusalem, deinde in omni Judæa et Samaria et usque ad ultimum terræ, prout Christus prædixerat. Ipso die Pentecostes, Petro prædicante, tria hominum millia fidem amplexi prima ecclesiæ Jerosolymitanæ initia efformaverunt; parvo cœtui, Petro iterum prædicante et miraculis prædicationem confirmante, quinque alia millia se adjunxerunt. Describuntur deinde violentia Apostolis a sacerdotibus illata, primorum christianorum fervor, pœna cœlitus Ananiæ et Saphiræ inflicta, electio diaconorum, martyrium Stephani, propagatio fidei inter Judæos et Samaritanos, conversio Pauli et Cornelii centurionis, quem etsi gentilem Petrus divinitus edoctus baptizavit, nova Evangelii dilatatio per Syriam usque Antiochiam, in qua urbe discipuli primum Christiani dicti sunt, martyrium Jacobi et vincula Petri.

2. In secunda parte (XIII-XXVIII) sermo fere est unice de Pauli gestis, quæ auctor summatim, pluribus omissis, refert. Paulus igitur et Barnabas, a Spiritu sancto missi, Antiochia proficiscuntur in Cyprum, unde transeunt in Asiam Minorem, adeunt Antiochiam Pisidiæ, Iconium, Lystram, ubi prædicant Evangelium in Synagogis Judæorum, et, Judæis repugnantibus, salutem gentibus nuntiant, constituuntque per varias urbes

(1) Cfr. Beelen, *Comment. in Act. Apost. proleg.* 2ª ed. Lovanii 1864; De Meijer, *De Lucæ Axiopistia in scribendo Act. Apost. libro.* Hagæ Comitum 1827; Crampon, *Les Actes des Apôtres.* Paris, 1872.

presbyteros ; deinde Antiochiam Syriæ revertuntur. Oritur vero dissensio an circumcidi oporteat ethnicos fidem amplexos. Congregatur Jerosolymis concilium, in quo statuitur gentes non esse circumcidendas. Narrantur deinde variæ Pauli peregrinationes per Ciliciam, Asiam, Mysiam, Phrygiam, Galatiam, Macedoniam et Græciam, et repetita in Antiochiam et Jerosolymam itinera. S. Lucas historiam Pauli perducit usque ad illud biennium quo Apostolus prima vice Romæ captivus fuit. Comprehendit igitur liber Actuum spatium triginta circiter annorum ab Ascensione Christi usque ad prima Pauli vincula romana. Ex his patet in libro Actuum nequaquam contineri integram omnium Apostolorum aut etiam Ecclesiæ nascentis historiam. Sed in prima parte Petri præsertim sermo fit, in secunda vero Pauli. Utriusque autem Apostoli quædam dumtaxat gesta referuntur, plura vero omittuntur, ut constat cum aliunde, tum præsertim ex Epistolis Pauli. Cur autem Lucas aliorum Apostolorum vix mentionem fecerit, cur etiam alia plurima Ecclesiæ nascentis historiam spectantia tacuerit, ipse nullibi indicavit. Quia tamen Paulo per multum temporis assiduus fuit, exinde ratio desumitur, quare major Actuum pars de Pauli gestis agat. Quia etiam Theophilo Lucas scribebat, ea facta ipse elegerit quæ Theophilo utilitatem afferre valebant; sive Theophilus ea ignoraret, sive ea ad ejus instructionem conducerent.

3. *Lingua, tempus, locus.* Liber Actuum græce exaratus est. Græca autem ejus elocutio ita convenit cum ea quæ in Evangelio Lucæ observatur, ut plures voces dictionesque in Actibus occurrant, quæ aut nonnisi in Lucæ Evangelio, aut certe multo frequentius ibi quam in ceteris novi Testamenti libris, occurrunt (1).

4. De tempore et loco, quibus Actus Apostolorum fuerint conscripti, vix loquuntur antiqui. Certe quum Lucas perducat narrationem suam usque ad finem illius biennii quod Paulus peregit in primis suis vinculis romanis, liber Actuum ante hoc tempus non fuerit editus. Sed exinde non sequitur ipsum tunc fuisse editum. Hieronymus (2) tamen sentire videtur librum Actuum tunc temporis Romæ fuisse editum. Ait enim : « Aliud

(1) Vid. Beelen, *lib. cit.* Prol. § 2.
(2) *De vir. illust.* 7.

quoque (Lucas) edidit volumen quod titulo Apostolicarum πράξεων prænotatur, cujus historia usque ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit, id est usque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus in eadem urbe librum esse compositum. » Hanc Hieronymi sententiam plures, inter quos P. Patritius, amplectuntur. Doctissimi autem interpretes Beelen et Ad. Maier libri confectionem reponunt intra illud temporis spatium quod a vastatione urbis Gazæ, cujus mentio (*Act.* VIII, 26) occurrit, effluxit usque ad obsidionem Jerosolymæ. Nullum autem in toto libro invenitur indicium ex quo inferri possit Actus post captam Jerosolymam conscriptos fuisse. Certe ne minima quidem illius cladis mentio in toto libro occurrit.

5. *Errores de origine et auctoritate libri Actuum.* Librum Actuum olim repudiabant Ebionitæ, quia negabant abolitam legem Mosaicam (1); Severiani autem quia ciborum discrimen observandum volebant (2); Manichæi tandem illum rejiciebant, quia promissionem de mittendo Spiritu sancto adimpletam prædicabant in suo hæresiarcha Manete, quem ipsi affirmabant verum esse Paracletum a Domino prænuntiatum (3).

6. Rationalistæ suum systema eodem modo libro Actuum ac Evangeliis applicarunt. Idcirco quæ narrantur in Actibus miracula ea vel naturaliter explicare vel in mythos aut legendas convertere studuerunt, præsertim vero omnes vires impenderunt ut miram fidei christianæ dilatationem et propagationem, quod evidentissimum est ejus divinitatis signum, naturaliter effectam explicarent. Inter fervidiores Actuum impugnatores occurrunt Baurius, scholæ Tubingensis dux, qui inde ab anno 1836 usque ad 1860 plura de hac re scripta edidit, ejusque discipuli Schneekenburger, Schwegler, Zeller, Renan aliique in Germania et in Gallia (4). Porro, quamvis omnes isti viri sæpius se invicem impugnent, ita ut v. g. unus librum Actuum confectum dicat sæculo secundo, alter eum Lucæ auctori vin-

(1) Iren., *Contra hær.* V. I; Epiphan. *Hær.* XXX, 16 et 29.
(2) Euseb., *Hist. Eccl.* IV, 29.
(3) Augustin., *Epist.* 237; *De util. credendi* III, 7.
(4) Baurii aliorumque Tubingensium opera indicantur ap. Bleek qui eos confutat in sua *Einleit. in das N. T.* Berolini 1862, p. 320 sqq. Renan scripsit *Les Apôtres.* Paris, 1866. Quem confutavi in *Revue catholique de Louvain.* an. 1866.

dicet, tertius eum partim aliis ignotis auctoribus tribuat, in hoc tamen generatim conveniunt omnes auctorem, quisquis ille fuerit, veritati nequaquam studuisse, sed partium studio abreptum ita Actus exarasse ut Paulum adversus Petrum, Ethnico-Christianos adversus Judæo-Christianos, *Paulinianos* adversus *Petrinianos* ita cum debito moderamine defenderet, ut concordiam inter eos iniret et sic viam aperiret christianismo universali. Contra hosce omnes adversarios propugnamus et Lucam Actuum auctorem esse et vera esse quæ ab eo narrata sunt. Et jam statim observamus dogmaticam illam, quam fingunt, inter Petrum et Paulum oppositionem nunquam exstitisse. Juxta adversarios Petrus docuerit solos Judæos in Ecclesiam recipiendos, gentiles vero, nonnisi suscepta prius ab eis lege Mosaica; Paulus vero primus contra Petrum propugnaverit ethnicos, nulla habita legis Mosaicæ ratione, esse admittendos. Quam hæc falsa sint multiplici argumento convincitur. Ut cetera taceamus, nonne ipse Christus disertis verbis docuerat omnes gentes baptizandas esse et evangelizandas? Nonne Petrus, antequam Paulus ad gentes mitteretur, ethnicum centurionem baptismo in Ecclesiam susceperat? Nonne primus in concilio Jerosolymitano Petrus docuit ethnicos fidem amplexos non esse ceremoniis legis Mosaicæ adstringendos? Quod si Petrus, quamvis doceret legem Mosaicam non amplius obligare, prudentis esse consilii judicaverit eam in quibusdam circumstantiis servare, nonne Paulus, circumcidens Timotheum, et votum naziréatus emittens et Romanos edocens de vitando infirmorum scandalo in discrimine ciborum, idem fecit?

7. *Libri Actuum authentia ac fides historica.* Lucam, Pauli discipulum atque comitem, libri Actuum auctorem esse colligitur ex ipso libro et ex traditione. Etenim initio auctor asserit Evangelium a se conscriptum, alloquitur Theophilum, ad quem etiam tertium Evangelium dirigitur, et a capite XVI, 10 se numerat inter Pauli comites (1). Porro istum Pauli comitem,

(1) Contenderunt nonnulli Rationalistæ, ut Schanbeck, librum Actuum non esse nisi indigestam compilationem documentorum antiquiorum, quos auctor recentior in unum congesserit. Unde phrases illæ « navigavimus » « profecti sumus » non auctorem ipsius libri, sed fragmenti tantum, designarunt. Sed hæc explicatio ideo inventa ut Lucas Actuum auctor negaretur, ab ipso Renan

tertii Evangelii et Actuum auctorem (1), Lucam esse tota antiquitas profitetur.

8. Statim autem ab initio omnibus persuasum fuit de authentia, veritate et divinitate hujus libri. Patres quidem apostolici, pro more suo, neque Lucam neque Actus nominant, sed plura ex isto libro proferunt (2). Papias et Dionysius, Corinthi episcopus, diserte asserunt se ea quæ recitant ex Actibus Apostolorum desumpsisse (3).

9. S. Irenæus (4) quoddam veluti Actuum compendium faciens et propria Lucæ verba interdum usurpans, non solum Lucæ veracitatem asserit sed et vindicat. « Quoniam, inquit, is Lucas inseparabilis fuit a Paulo et cooperarius ejus in Evangelio, ipse fecit manifestum, non glorians, sed ab ipsa productus veritate..... Cum vidisset Paulus per somnium virum Macedonem, dicentem : *Veniens in Macedoniam opitulare nobis, Paule, statim, ait* (*Lucas*) *quæsivimus proficisci in Macedoniam, intelligentes, quoniam provocavit nos Dominus evangelizare eis. Navigantes igitur a Troade direximus navem in Samothracem* (*Act.* XVI, 9 sqq) et deinceps reliquum omnem ipsorum usque ad Philippos adventum diligenter significat, et quemadmodum primum sermonem locuti sunt : *Sedentes enim,* inquit, *locuti sumus mulieribus quæ convenerant* (*Act.* XVI, 13) ; et quinam crediderunt et quam multi. Et iterum ait : *Nos autem navigavimus post dies azymorum a Philippis et venimus Troadem, ubi et commorati sumus diebus septem* (*Act.* XX, 6). Et reliqua omnia ex ordine.... refert, omni diligentia demonstrans et loca et civitates et quantitatem dierum, quoadusque Hierosolymam ascenderent : et quæ illic contigerint Paulo, quemadmodum vinctus Romam missus est ; et nomen centurionis qui

improbatur, eo quod liber Actuum non sit indigesta compilatio, sed narratio bene ordinata, quæ regulari cursu fluit, eodem stylo ab initio ad finem scripta.

(1) Unum eumdemque esse tertii Evangelii et Actuum auctorem græcum libri eloquium confirmat, ut ipse Zeller demonstravit. Inveniuntur enim verba tertio Evangelio et libro Actuum communia, quæ in aliis N. T. libris vel plane deficiunt vel nonnisi rarissime occurrunt.

(2) Eorum testimonia collegit Kirchhofer, *Quellensammlung zur Geschichte des N. T. Canons*. Zurich. 1844, p. 161 sqq.

(3) Papias ap. Euseb., *Hist. Eccl.* III, 39; Dionysius Corinthi ap. Euseb., *Hist. Eccl.* IV, 23.

(4) *Contra hær.* III, XIII-XV.

suscepit eum..... et quemadmodum naufragium fecerunt, et in qua liberati sunt insula, et quemadmodum humanitatem ibi perceperunt, Paulo curante principem ipsius insulæ, et quemadmodum inde Puteolos navigaverunt, et inde Romam pervenerunt, et quanto tempore Romæ commorati sunt. *Omnibus his, quum adesset Lucas, diligenter conscripsit ea, ut neque mendax neque elatus deprehendi possit, eo quod omnia hæc constarent, et seniorem eum esse omnibus qui nunc aliud docent, neque ignorare veritatem.* Quoniam non solum prosecutor sed et cooperarius fuerit Apostolorum, maxime autem Pauli, etc. » Deinde pergit Irenæus et docet neminem posse in dubium vocare veritatem Actuum Apostolorum, nisi simul abjiciat Evangelium Lucæ quod omnes admittunt. « Eadem autem dicimus iterum et his..... quoniam aut reliquis verbis Evangelii quæ per solum Lucam in nostram venerunt agnitionem, renuntiare debent, et non uti eis; aut si illa recipiunt omnia, habent necessitatem recipere etiam eam testificationem, quæ est de Paulo..... Neque Lucam mendacem esse possunt ostendere, veritatem nobis cum omni diligentia annuntiantem. »

10. Irenæo concinunt antiquissimus canon a Muratorio editus et Clemens Alexandrinus, qui, quoties refert res in primæva Ecclesia gestas ab Apostolis et nominatim a Petro et Paulo, toties fere ad hujus libri testimonium ita provocat, ut neminem de eo dubitaturum confidat (1).

11. Similiter Tertullianus e Lucæ commentario repetit quæ passim de rebus Apostolorum ætate gestis commemorat. Sæpius etiam laudat *Acta Apostolorum* et Lucam asserit eorum auctorem. Nec solum laudat, sed adversus Marcionem docet Pauli Apostoli auctoritatem probari non posse, nisi admisso Actuum libro. Imo addit, repudiato hoc libro, constare non posse de originibus Ecclesiæ. « Utique, inquit, implevit repromissum, probantibus Actis Apostolorum descensum Spiritus sancti. Quam Scripturam qui non recipiunt, nec Spiritus sancti esse possunt, qui necdum Spiritum possint agnoscere discentibus missum; sed nec Ecclesiam defendere, qui, quando et

(1) Cfr. Clem. Alex., *Pædag.* II, 1, 7; *Strom.* I, 18, 19; IV, 15; V, 11, 12; VI, 15, 18; etc.

quibus incunabulis institutum est hoc corpus, probare non habent (1). »

12. Origenes Lucam « Apostolorum gesta describentem » accenset divinæ voluntatis interpretibus (2). Eusebius in sua *Historia ecclesiastica* plura refert ex Actibus deprompta et alicubi ait : « Lucas duos nobis libros divinitus inspiratos reliquit. Alter eorum Evangelium est.... Alter liber inscribitur Actus Apostolorum, quos ille jam non auditione acceptos, sed oculis suis spectatos scriptis tradidit (3). » Alia testimonia addere supersedeo.

13. Lucas igitur auctor est libri Actuum. Porro in Actibus sicut in Evangelio continuo veracissimum se præbet narratorem. Etenim quæ narrat, ea ipse vel propriis oculis vidit vel a testibus fide dignis accepit. S. Pauli discipulus et comes inseparabilis scribit ea quibus ipse in comitatu divi Apostoli testis interfuit ; narrat res quas vidit, sermones quos audivit quum esset cum Apostolo Troadi, Philippis et alibi ; omnia ex ordine refert prout gesta sunt, omni diligentia, ut inquit Irenæus, demonstrans et loca et civitates et quantitatem dierum quoadusque Jerosolymis ascenderent, et quæ illic contigerint Paulo, quemadmodum Romam vinctus missus est et quemadmodum naufragium fecerunt et in qua insula liberati et quomodo tandem Romam advenerunt ; nominat autem et judices coram quibus Paulus adstitit et centurionem cui custodiendus traditus fuit.

14. Quæ autem spectant Ecclesiæ nascentis initia et progressus ea ipse discere potuit a S. Paulo, cujus familiari conversatione per plures annos usus est, vel ab aliis Apostolis et discipulis, puta a Petro, Joanne et Jacobo. Sæpe enim cum iis conversatus est. Sic quum Cæsareæ degeret, divertit cum Paulo apud Philippum diaconum a quo didicerit conversionem eunuchi Candacis et etiam baptismum Cornelii centurionis. Cæsareæ et Jerosolymis per biennium commoratus, ab Apostolo Jacobo aliisque antiquis discipulis benigne acceptus ab iis

(1) Tertullian., *De præscript.* 22. Cfr. *De jejunio* 10; *Adv. Marc.* V, 11; etc.
(2) *Contra Cels.* VI, 21; *Comment. in Matth.* XV, 15; *In Joan.* I, 6, 23; *In Josue Hom.* 7.; ap. Euseb. *Hist. Eccl.* VI, 25.
(3) Euseb., *Hist. Eccl.* III, 4. Cfr. II, 17; III, 25.

edoceri potuit quæ post ascensionem Domini et in die Pentecostes ac deinceps evenerant. Fortasse etiam ad manus habuerit quædam documenta scripta, ut epistolam concilii Jerosolymitani et orationes S. Petri ac S. Stephani. Probabile enim est primos fideles scripto servasse eximias hasce orationes, ne e memoria cito laberentur. Ceterum nullo indicio verisimile fit Lucam eas orationes excogitasse atque Apostolis falso tribuisse, ut opinantur critici ; e contra istæ orationes prorsus in eorum auctores quadrant et notis unicuique propriis distinguuntur. Aliter namque Petrus, aliter Paulus, aliter Stephanus loquuntur. Denique Lucas in proœmio sui Evangelii, quod ad Actus, utpote qui nonnisi continuatio sunt Evangelii, applicari debet, asserit se diligenter omnia scripsisse, *sicut tradiderunt qui ab initio ipsi viderunt.* Recte igitur concludere possumus Lucam in iis quæ narrat non fuisse deceptum. Sed nec alios decipere aut voluit aut potuit.

15. Etenim ita candide, sincere et mira quadam simplicitate loquitur, ita diligentem se præbet in describendis eventuum circumstantiis, in pingenda personarum indole, in recitandis orationibus cum colore unicuique proprio, ita absque ullo gloriæ studio, absque prava in aliquem voluntate scribit, ita modeste et temperanter de se loquitur, ut dicendum sit ipsum nequaquam voluisse decipere; idque eo magis quod ex fraude nihil emolumenti aut utilitatis sperandum habebat.

16. Præcipua autem quæ refert facta publica erant et ita Judæis et gentibus æque ac christianis nota, ut fraudi locus non esset. Quænam res notior illo Pentecostes miraculo, quo Petrus publice in medio Jerusalem Judæos ex omni natione allocutus est, ita ut singuli in lingua propria eum intelligerent ? Quid certius illa claudi nati sanatione, de qua synagogæ principes coguntur fateri : *notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Jerusalem, manifestum est et non possumus negare ?* Martyrium Stephani, conversio Pauli, resurrectio Tabithæ, non minus publica, sed æque omnibus nota sunt, neque minus cum universa historia connexa; adeoque talia sunt facta a Luca narrata ut ipsi impossibile fuerit ea decipiendo fingere aut aliter quam evenerant referre. Rationalistæ pro more suo ideo rejiciunt Actus quia miracula in iis referuntur. Nos e contra dicimus evidentiorem fieri Actuum veritatem præcise quia mira-

cula in eis referuntur. Sepositis enim hisce miraculis, explicari nequit quomodo Ecclesia christiana efformata fuerit. « Hoc enim, ut ait S. Chrysostomus (1), maximum esset miraculum, si sine miraculis totus orbis accurrisset, a duodecim pauperibus et illiteratis hominibus captus. »

17. Denique veritas libri Actuum confirmatur ex aliis N. T. scriptis et ex iis etiam quæ narrant Flavius Josephus et auctores profani (2).

18. *Obj.* Auctor Actuum, quia Pauli apologiam intendebat, plura dixit quæ falsa esse patet imprimis ex eo quod cum ipsis S. Pauli Epistolis, præsertim vero cum *Epistola ad Galatas* pugnant.

19. *Resp.* Nullibi S. Lucas de Paulo ita loquitur ut ex nimio ejus in Paulum studio veritas detrimentum passa sit. Si de Paulo plura præclara narrat, narrat etiam ipsum Ecclesiam persecutum fuisse. Prætensæ autem quæ allegantur contradictiones in falsa textuum interpretatione nituntur. Sic v. g. Paulus *ad Galatas* (I, 17) dicit se ascendisse Jerosolymam, ubi nonnisi *duos Apostolos* vidit. In *Actibus* autem Lucas ait Paulum deductum fuisse ad *Apostolos*. Quænam est inter duas illas assertiones contradictio? In Actibus conversio S. Pauli refertur in tribus diversis locis et in uno loco quædam referuntur quæ in altero silentio premuntur, sed rursus quænam in his contradictio? Non majorem vim habent alia quæ objiciuntur.

(1) *Homil.* I in *Act.* n. 4. Cfr. Augustinus, *De civit. Dei* lib. XXII, cap. 5 et sqq.

(2) Vid. De Valroger, *Introduct.* t. I p. 366-370; t. II p. 475-480; Glaire, *Introduct.* t. IV, p 394 sqq.

CAPUT V.

DE QUATUORDECIM S. PAULI EPISTOLIS (1).

1. *Vitæ Pauli brevis delineatio.*

1. Paulus, antea Saulus dictus (2), Tarsi, Ciliciæ metropoli, natus est ex parentibus hebræis de tribu Benjamin, et vi nativitatis jus civis romani adeptus est (3). In tenera adhuc ætate Jerosolymam deductus est, ubi apud sororem enutritus, ad pedes Gamalielis, e secta pharisæorum, in lege Mosaica et traditionibus majorum eruditus fuit. Simul autem, more Judæorum, alicui arti, scenofactoriæ scilicet, addiscendæ curam impendebat. Paternarum autem traditionum et Legis adeo ardens extitit æmulator, ut nascentem Christi Ecclesiam acerbissime persequeretur. Morti protomartyris Stephani adfuit testis et custos vestium eorum qui Stephanum lapidabant (4). Deinde in persecutione, quæ Stephani mortem subsecuta est, ipse *devastabat Ecclesiam per domos intrans, et trahens viros ac mulieres tradebat in custodiam* (5).

2. Porro Paulus « spirans minarum et cædis in discipulos Domini » pergebat in Damascum, acceptis a summo Judæorum pontifice litteris adversus christianos. Quum autem jam Damasco prope adesset, subito circumfulsit eum copiosa lux de cœlo. Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi : Saule, Saule, quid me persequeris ? Qui dixit : quis es Domine ? Et ille : Ego sum Jesus, quem tu persequeris, durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et tremens ac stupens, interna Christi gratia mentem ejus commutante, dixit : Domine, quid me vis facere ? Et Dominus ad eum : Surge et ingredere civi-

(1) Cfr. Estius, *Comment. in Epist. Pauli,* Duaci 1614; Cornelius a Lapide et Calmetus in suis *Commentariis;* Danko, *Historia revelat. divinæ N. T.* § 65 sqq. Vindobonæ, 1867; Drach et Bayle, *Les Epîtres de S. Paul.* Paris, 1872; et generatim Introductiones in N. T.

(2) *Act.* XIII, 9.

(3) *Act.* XXII, 27-29.

(4) *Act.* VII, 57.

(5) *Act.* VIII, 1-3.

tatem; ad hoc apparui tibi, eripiens te de populo et gentibus, in quas nunc ego mitto te, aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter Sanctos per fidem quæ est in me. Quum fulgor lucis, quæ eum circumdederat oculos ejus excæcasset, ejus socii manu eum tenentes introduxerunt Damascum. Et postquam ibi tribus diebus permansisset lumine orbatus, et neque manducans neque bibens, ad eum a Domino Jesu mittitur Ananias qui ipsi visum restituit et baptismum confert (1).

3. Miranda hac Christi miseratione Paulus, subito ex Judæo christianus, ex lupo agnus, et ex persecutore discipulus factus, quum Evangelii notitiam non ab homine sed per revelationem Jesu Christi accepisset (2), continuo cœpit Christum prædicare in synagogis Judæorum (3). Ex Damasco in Arabiam profectus est (4), et inde Damascum reversus multo magis convalescebat et confundebat Judæos affirmans Jesum esse Christum. Quare Judæi conversionem ejus ægre ferentes ipsi insidias struxerunt. Sed discipuli nocte eum dimiserunt per murum, submittentes in sporta ; custodiebant enim Judæi portas civitatis die ac nocte, ne ab eis se surriperet. Tunc Paulus Jerosolymam venit, tribus annis post suam ad Christum conversionem, et mansit quindecim dies apud Petrum (5). Aliorum autem Apostolorum neminem vidit nisi Jacobum. Jerosolymam discedere coactus a Judæis incredulis, quibus ipse fidem prædicabat, Tarsum Ciliciæ abiit, ubi per longius tempus est commoratus (6).

4. Fundata interim ecclesia Antiochena, in qua ob multitudinem credentium cœpit christianorum nomen , Paulus, e Tarso illuc a Barnaba accersitus, per annum integrum ibi fidem prædicavit. Missi sunt autem Barnabas et Paulus ab ecclesia Antiochena ad fideles in Judæa degentes, qui inopia et fame laborabant, ad perferendam eis pecuniam, inter fideles Antio-

(1) *Act.* IX, 1-19 ; XX, 4-22; XXVI, 9-20.
(2) *Gal.* I, 13.
(3) *Act.* IX, 20; XXVI, 20.
(4) *Gal.* I, 17.
(5) *Gal.* I, 18.
(6) *Act.* IX, 23; *Gal.* I, 18.

chenos collectam; qui, cum hoc munere perfuncti essent, redierunt Antiochiam (1).

5. Tunc Paulus et Barnabas, divino Spiritus Sancti jussu ad episcopatum provecti et consecrati, ad prædicandum Evangelium inter gentes profecti sunt, quæ erat divina Pauli destinatio. Primum illud Pauli *iter apostolicum* breviter describitur in *Actibus* (XIII-XIV), ubi narratur Paulum primo venisse Seleuciam, deinde Cyprum, ex qua insula, postquam ad fidem adduxisset proconsulem Sergium Paulum, transiit in Pamphyliam et nonnullas perlustravit civitates, Antiochiam Pisidiæ, Iconium, Lystram et Derben in Lycaonia, in quibus locis Christum prædicavit. Illum autem ordinem continuo servabat Paulus, ut fidem primo annuntiaret Judæis, quibus Christum repellentibus, gentibus salutem prædicabat. Postquam igitur prædicatione sua Paulus plurimos tum ex Judæis tum ex gentibus ad fidem adduxisset, reversus est cum Barnaba Antiochiam Syriæ unde « traditi fuerant gratiæ Dei in opus quod compleverunt. »

6. Cum autem Antiochiæ morarentur non modico tempore, excitata est gravis controversia an qui ex gentibus crediderant subjiciendi essent circumcisioni et aliis legis Mosaicæ præscriptionibus? Quare obligati sunt Paulus et Barnabas cum quibusdam aliis, inter quos Titus (2), ascendere Hierosolymam ad exquirendam Apostolorum sententiam de hac quæstione. Qui in concilio congregati cum decrevissent legem Mosaicam ritualem gentibus conversis non esse imponendam, Paulus et Barnabas, comitantibus Sila et Juda, scriptum Apostolorum decretum Antiochiam attulerunt, illudque fidelibus promulgarunt (3). Gesta sunt hæc circa annum æræ vulgaris 51. Quod indicat S. Paulus ad Galatas dicens (4) : *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Jerosolymam cum Barnaba.*

7. Cum Paulus aliquod tempus pertransisset Antiochiæ prædicando Evangelium, rursus voluit invisere gentes quas ad fidem adduxerat. Quare *secundum* suscepit *iter apostolicum.*

8. Profectus igitur Paulus, comite Sila, perambulabat Syriam

(1) *Act.* XII, 24.
(2) *Gal.* II, 1.
(3) *Act.* XV.
(4) *Gal.* II, 1.

et Ciliciam, confirmans ecclesiis et præcipiens custodire præcepta Apostolorum et Seniorum (1). Pervenit autem Derben et Lystram, ubi assumpsit secum Timotheum quem et circumcidit propter Judæos. Inde perrexit in Phrygiam et Galatiam, ubi Evangelium prædicavit. Volebat etiam Paulus Christum in Asia annuntiare, sed prohibitus fuit a Spiritu Sancto. Quum autem, transacta Mysia, venisset Troadem, cœlesti visione admonitus, ut transiret in Macedoniam navim ascendit, comite etiam Luca, et recto cursu venit Samothraciam, sequenti die Neapolim et inde Philippos, ubi aliquot diebus prædicavit et fundavit Ecclesiam (2).

9. Relictis ob persecutionem Philippis, Paulus cum Sila perrexit Thessalonicam, deinde Berœam, in quibus civitatibus ecclesias fundavit. Interim Lucas et Timotheus, ut videtur, Philippis remanserant. Timotheus tamen Berœæ cum Paulo fuit, ibique remansit, dum Paulus, ob novas excitatas a Judæis turbas, a christianis perduceretur usque Athenas, ubi Evangelium prædicavit etiam in areopago (3).

10. Post hæc egressus ab Athenis Paulus venit Corinthum, ubi sedit per integrum annum et sex menses et, multis ad fidem conversis, ecclesiam fundavit. Dum autem Corinthiis ita Christum prædicabat, Paulus a Timotheo et Sila, qui e Macedonia ad ipsum venerant, certior factus de statu novellæ Thessalonicensium ecclesiæ, suam *primam* scripsit *ad Thessalonicenses Epistolam*. Quia vero commoti fuerant Thessalonicenses per primam illam Epistolam, *secundam* ad eos Paulus direxit, ut eos de fide magis edoceret, et in tribulationibus consolaretur. Hæ autem Epistolæ circa annum æræ vulgaris 53 vel 54 scriptæ fuerunt.

11. Relictis Corinthiis, Paulus venit Ephesum ibique cum Judæis in synagoga disputavit; noluit tamen diutius apud eos commorari, sed valedicens eis profectus est et descendit Cæsaream; unde ipsum Jerosolymam ascendisse ibique salutavisse ecclesiam innuit Lucas (4). Deinde Paulus Antiochiam

(1) *Act.* XV, 41.
(2) *Act.* XVI.
(3) *Act.* XVII.
(4) *Act.* XVIII, 22.

descendit, a qua rursus urbe *tertium iter apostolicum* assumpsit.

12. In tertio autem illo itinere perambulavit divus Apostolus ex ordine Galaticam regionem et Phrygiam, confirmans discipulos, devenitque Ephesum, ubi cum fructu per biennium doctrinam evangelicam prædicavit prædicationemque suam miraculis firmavit (1). Quum autem Ephesi degeret Apostolus, nuntiatum est ipsi ecclesiam Galaticam a doctoribus nonnullis judaizantibus fuisse perturbatam. Quare, ut dissensiones illas componeret, Paulus scripsit *Epistolam ad Galatas*, in qua præsertim agit de lege Mosaica ejusque abolitione.

13. Interim dum Ephesi commoratur Apostolus, variæ exurgunt in ecclesia Corinthiaca factiones et dissensiones. Mittunt Corinthii per Fortunatum, Stephanam et Achaicum epistolam ad Paulum, eum de variis difficultatibus quæ ipsos turbabant interrogantes. Tunc Paulus multam suorum Corinthiorum curam gerens, misit Timotheum et Erastum, qui in Macedoniam pergebant, ad invisendam Corinthiacam ecclesiam, ac per eos ecclesiæ Corinthiacæ scripsit eam Epistolam, quæ vocatur *prima ad Corinthios*.

14. Paulo post, ex eadem urbe Ephesi mittit Apostolus Titum ad Corinthios, ut ex ejus ore certior fieret quosnam successus sua Epistola habuisset. Debebat Titus munere perfunctus, Troadem venire, ubi Paulus, relicto Epheso, ipsi erat occursurus. Porro Paulus, ob seditionem Ephesi commotam adversus eum a quodam Demetrio, urbem reliquit Troademque venit, et quum paulisper ibi Titum exspectasset, in Macedoniam perrexit (2). In ista regione, fortasse in urbe Philipporum, ipsi occurrit Titus (3). Audita autem Titi de Corinthiis relatione, necessarium duxit Paulus, antequam ipse Corinthios inviseret, ad eos rursus Epistolam scribere. Hæc autem *secunda ad Corinthios Epistola* ad Corinthios delata fuit per Titum et alios duos christianos.

15. Adhuc remansit aliquo tempore Paulus in Macedonia, regionem perlustrans Evangeliumque prædicans usque ad Illy-

(1) *Act.* XVIII, 23-XIX.
(2) *Act.* XIX, 23-XX, 2.
(3) *II Cor.* II, 12, 13.

ricum (1). Deinde venit in Achaiam, et commoratus est ibi tres menses (2). Porro Pauli consilium erat ut, postquam eleemosynas collegisset ad sublevandam Judæorum in Judæa degentium paupertatem, easque Jerosolymam detulisset, per Romam in Hispaniam proficisceretur (3). Quum autem esset Corinthi talia de ecclesia Romana nuntia accepit, quæ ipsum, ob ipsius *sollicitudinem omnium ecclesiarum,* impulerunt, ut ad Romanos fideles eam scriberet dogmaticam moralemque Epistolam quæ *ad Romanos* inscribitur.

16. Elapsis autem tribus istis mensibus, voluit Paulus proficisci recta via per Syriam in Jerusalem; quia vero Judæi ipsi insidias struxerant, rediit in Macedoniam unde per Troadem, post Pascha, venit cum S. Luca et aliis comitibus Miletum, ubi præclaram ad Ephesinum clerum orationem habuit (4). A Mileto solvens pervenit ad insulam Coum, deinde Rhodum atque inde Patara, et demum pervenit Tyrum, ubi septem dies mansit. Reassumpta autem navigatione, Ptolemaidem descendit et pedestri itinere Cæsaream ac denique Jerusalem pervenit (5).

17. Quum advenisset Paulus Jerusalem venit ad Jacobum et ad seniores eisque narravit quanta fecerat Deus per ministerium ipsius inter gentes. At illi cum audissent, magnificabant Deum. Quia vero falsus rumor ad Judæos Palæstinenses pervenerat, Paulum auctorem esse Judæo-christianis inter gentes commorantibus ut non amplius servarent ritus Mosaicos, Jacobus ei persuasit ut publica aliqua actione ostenderet se nequaquam spernere Legem, sed e contra sentire eam esse bonam. Cui consilio cum cessisset Paulus, dum purificabat se in templo cum viris, qui nazireatus habebant votum, Judæi asiani excitaverunt tumultum adversus eum. Quare milites romani apprehenderunt Paulum, et cum tribunus romanus timeret pro vita Pauli, ob conjurationem Judæorum adversus eum, jussit Paulum deduci Cæsaream ad præsidem Felicem ut ibi judicaretur (6).

(1) *Act.* XX, 1-2; *Rom.* XV, 19.
(2) *Act.* XX, 3.
(3) *Rom.* XV, 19; *Act* XIX, 21.
(4) *Act.* XX.
(5) *Act.* XXI, 1-17.
(6) *Act.* XXI, 18; XXIII.

18. Quum deductus fuisset Paulus Cæsaream ad Felicem, Judææ præsidem, Judæi illuc advenerunt Paulum accussantes; accusationem vero probare nequiverunt. Retentus tamen fuit in carcere Paulus per biennium, et quum ad tribunal Cæsaris appellasset, Romam delatus fuit, in quam urbem tempore verno advenit, circa annum æræ vulgaris 61. Paulus Romæ captivus permansit duobus annis (1).

19. Durante Romana hac captivitate, Paulus, quia magna ipsi quamvis captivo libertas concedebatur, non solum Judæis et gentibus fidem annuntiavit, sed et plures ad externas ecclesias Epistolas direxit. Silet quidem de hisce Epistolis Lucas in libro Actuum, sed quædam Pauli Epistolæ et testimonia nonnulla antiquitatis nos certiores de hac re faciunt. Romæ igitur captivus Paulus quinque scripsit Epistolas : *ad Philippenses* unam, unam *ad Colossenses,* aliam *ad Ephesios.* Epistolam *ad Hebræos,* denique brevem Epistolam *ad Philemonem.*

20. E carcere liberatus Paulus, ut ex variis indiciis per ejus Epistolas sparsis recte colligi videtur, perrexit juxta suum propositum (2) in Asiam Minorem, ubi novellas ecclesias, nominatim Colossensem, in qua Philemon morabatur, visitaverit. Quum Ephesum advenisset, de statu hujus Ecclesiæ certior factus, in ea Timotheum constituit episcopum (3). Relicta Ephesi in Macedoniam venerit (4), ubi dum morabatur e re esse judicavit idoneas adhortationes ad Timotheum dirigere. Hinc *prima ad Timotheum Epistola*, quam alii ante captivitatem romanam scriptam autumant. E Macedonia Paulus Ephesum redierit juxta propositum in Epistola expressum (5). Unde discedens transiit in Cretam insulam ibique cum fructu prædicavit et episcopum constituit Titum, ad quem paulo post e Nicopoli, ut asseritur in plurimis codicum subscriptionibus, scripsit *Epistolam ad Titum,* quam detulerunt Zena et Apollo. In ea Epistola (III, 12) invitat Apostolus Titum ut ad se Nicopolim veniat, ubi Paulus hiemare statuerat. Peracto tandem illo in Hispaniam itinere quod jamdudum in votis habebat, Paulus Romam capti-

(1) *Act.* XXV, XXVIII.
(2) *Philem.* 22.
(3) *I Tim.* IV, 14; Euseb., *Hist. eccl.* III, 4.
(4) *I Tim.* III, 14.
(5) *I Tim.* IV, 13.

vus delatus fuit, qua secunda captivitate durante, scripsit *secundam ad Timotheum Epistolam,* quæ ultima est ex divinis Pauli Epistolis. Denique Paulus ex hac captivitate ad mortem cum S. Petro perductus fuit quarto decimo Neronis anno, æræ vulgaris 67 (1).

SYNOPSIS.

SAULUS QUI ET PAULUS.	ANNO ÆRÆ VULGARIS.	ORDO CHRONOLOGICUS EPISTOLARUM.
1° Ad Christum convertitur.	33	
2° In *primo itinere apostolico* prædicat variasque fundat ecclesias	42-50	
3° In *secundo itinere apostolico* Paulus per annum et sex menses Corinthi degens, scribit	53-54	*I et II ad Thessalon.*
4° In *tertio itinere apostolico* Ephesi commoratur circiter per triennium Apostolus.	54-56	
et scribit	55	*Epist. ad Galatas.*
Ex eadem urbe paulo post scribit . . .	55 vel 56	*I ad Corinthios.*
Pergit Paulus in Macedoniam unde scribit	56 vel 57	*II ad Corinthios.*
Proficiscitur Corinthum ibique commoratur tres menses et scribit	57 vel 58	*Epist. ad Romanos.*
5° Absoluto tertio illo itinere, Paulus Jerosolymæ in vinculis conjicitur Romamque deportatur ubi per biennium sedens scribit	61-63	*Epist. ad Philippenses.* — *ad Colossenses.* — *ad Ephesios.* — *ad Hebræos.* — *ad Philemonem.*
6° Captivitate solutus, Paulus nova suscipit itinera apostolica et e Macedonia scribit	64	*I ad Timotheum.*
7° Prædicat Apostolus in Creta insula, qua relicta, e Nicopoli scribit . . .	65	*Epist. ad Titum.*
8° Paulus Romæ iterum captivus scribit.	66-67	*II ad Timotheum.*
Deinde gladio perimitur.	67	

II. *De ordine, numero et stylo Epistolarum.*

1. *De ordine et numero Epistolarum B. Pauli.* Epistolæ non enumerantur apud antiquos eodem ordine, quo fuerunt conscriptæ, sed paulisper varius est ordo in codicibus manuscriptis,

(1) Secunda Pauli captivitas, quam negat De Wette (*Einl.* § 122), asseritur ab Eusebio (*Hist. Eccl.* II, 22), Hieron. *De vir. ill.*, 5, aliis. De anno mortis S. Pauli docte agit Bartholini (vid. *Revue cathol.* Lov. 1867. p. 167).

in antiquis canonibus et versionibus et apud antiquos scriptores. Concilium Tridentinum, in decreto de canonicis Scripturis (sess. IV), ordinem secutus est a majoribus sæpius servatum, quem et servant editiones græcæ et latinæ typis impressæ. Ordo ille se habet ut sequitur : « Quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli : ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. » In hac enumeratione primo occurrunt illæ epistolæ quæ ad ecclesias particulares, ad septem ecclesias, ut observant Patres, directæ sunt; secundo loco occurrunt quatuor Epistolæ ad particulares personas directæ ; seriem claudit Epistola ad Hebræos quæ nec ad peculiarem ecclesiam nec ad designatam personam scripta fuit.

2. Sunt igitur Pauli Epistolæ numero quatuordecim, quæ omnes canonica auctoritate semper eminuere, si excipiatur Epistola ad Hebræos, de qua quædam initio exstiterunt controversiæ. An Paulus, præter illas Epistolas, alias scripserit disputatur. Sunt qui ex *I ad Cor.* V, 9 colligunt Paulum aliam statim deperditam scripsisse Epistolam ad Corinthios. Sed de hac re non constat. Inventæ sunt in codice quodam armeniaco duæ Epistolæ : una Corinthiorum ad Paulum, altera Pauli ad eos, quæ certe sunt inter apocrypha, in quibus etiam reponenda est Epistola ad Laodicenses sub nomine Pauli jam inde a sæculo secundo vulgata. Quum tamen Paulus ad Colossenses (IV, 16) scripserit : *Et quum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut et in Laodicensium ecclesia legatur, et eam quæ Laodicensium est vos legatis,* apparet S. Paulum revera ad Laodicenses scripsisse, sed deperdita fuerit illa Epistola, nisi alio sensu verba græca hujus loci sint accipienda, quod tenet Estius. Apocryphæ pariter sunt Epistolæ Pauli ad Senecam philosophum et Senecæ ad Paulum. Opinatur Ill. D. Beelen (1) S. Paulum ad Philippenses jam scripsisse aliquam epistolam, quando exaravit illam, quæ in canonicis habetur. Sententiam suam firmat ex collatione eorum quæ dicit Paulus Cap. III, 1 : *Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum*, cum iis quæ scribit Polycarpus in sua ad Philippenses Epistola, cap. III, dicens

(1) *Comment. in Epist. ad Philipp. Prol.* § 8. Lovan.

de Paulo : « Qui et absens scripsit vobis *epistolas*, in quas si intueamini... » Non latuit tamen perspicacem meum Magistrum vocem græcam ἐπιστολαι in plurali bene dici posse de una epistola, sed ex usu Polycarpi colligit ipsum voluisse plures indicare epistolas.

3. *De lingua et stylo.* Quatuordecim canonicæ Pauli Epistolæ græce exaratæ fuerunt. An Epistola ad Hebræos hebraice fuerit exarata postea inquiremus. Scatet porro græcus Apostoli sermo vocibus et locutionibus hebraicis. Quod et in omnibus aliis novi Testamenti libris cernitur. Quamvis autem Apostolus bene calleret linguam græcam, ejus dictio differt ab elocutione scriptorum optime græcorum, quales sunt Demosthenes, Xenophon, alii. Sermo, quo usus est Paulus in suis Epistolis, convenit cum illo sermone, quod erat in usu vitæ communis per imperium Macedonicum a tempore Alexandri Magni (1); quamvis autem græcus divi Apostoli stylus nequaquam ea elegantia, puritate, harmonia et arte, præstet, quibus eminent Athenienses oratores, Plato, Demosthenes et alii, habet tamen divinam quamdam vim et energiam quæ animos mentesque rapit. Verborum parcior est Pauli oratio, sed abundat metaphoris et sensibus ; sæpe abrumpitur et absque nexu indicato de una sententia transit ad aliam; amat etiam parentheses. Non exquirit Apostolus humanæ sapientiæ verba et artem, sed mentes trahit et illuminat dictione vivida et sententiis divinis. « Paulum Apostolum, inquiebat Hieronymus (2), quotiescumque lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua... videntur quidem verba simplicia et quasi innocentis hominis et rusticani, sed quocumque respexeris fulmina sunt. »

III. *De auctoritate Epistolarum S. Pauli.*

1. Quatuordecim, quas enumeravimus divi Pauli Epistolas, ipsius Apostoli fœtum esse genuinum, divinaque pollere auctoritate certissime constat. In hac tamen parte et olim et hodie non semel erratum est. Quare, antequam Epistolarum Pauli

(1) Cfr. Beelen, *Grammat. græcit. N. T.* Sect. I, § 2-3.
(2) *Epist.* 48 *ad Pammac.* n. 12.

auctoritatem demonstremus, juvat paucis indicare quinam eas rejecerint.

2. Pauci prorsus inter antiquos reperiuntur qui Pauli Epistolas rejecerint; qui autem id egerunt, necessitate systematis, non vero persuasione impulsi fuere. Ebionitæ, Cerinthus et Cerinthiani, quia Mosaicæ legi addictissimi erant, Paulumque tanquam illius desertorem habebant, ejus Epistolas rejiciendas censebant (1). Encratitæ pariter et Severiani, ob falsa, quibus inhærebant dogmata, Paulum maledictis impetebant ejusque litteras spernebant. Omnes autem isti non idcirco Pauli Epistolas rejiciebant, quod earum authentiam negarent, sed quia auctoritatem Pauli spernebant (2). Marcion decem Pauli Epistolas, abjectis iis quæ ad Timotheum, Titum et Hebræos inscribuntur, redegerat in unum volumen quod *Apostolicon* vocabat. Eas autem ut suis erroribus accommodaret (3) resecando et pervertendo plurimum immutaverat. Ceteri autem hæretici Pauli Epistolas, quas omnes catholicæ ecclesiæ recipiebant, admiserunt.

3. Recentiores vero critici, Epistolas Pauli præstantissimum antiquitatis ecclesiasticæ monumentum declarantes, dubium tantum movent de Epistolis ad Ephesios, ad Hebræos, et de Epistolis, quas *pastorales* vocant, id est, de Epistolis ad Timotheum et ad Titum (4). Aliarum autem Epistolarum conantur potius adulterare doctrinam quam negare originem.

4. Epistolas porro Pauli authenticas esse integrasque ad nos pervenisse probatur argumentis quam firmissimis. Et primo quidem non solum illæ Epistolæ Paulo adscribuntur in textu primigenio et in omnibus versionibus, sed præterea Paulus seipsum nominat in initio omnium Epistolarum, excepta Epistola ad Hebræos, de qua postea. Sæpius etiam in fine se nominat, nominat et suos comites et talia in decursu Epistolarum sæpe scribit, quæ Paulum auctorem prorsus designant; (sic

(1) Euseb., *Hist. Eccl.* III, 27; Origen., *Contra Cels.* V, 65; Epiph. *Hær.* XXVIII, 5; Philastr., *Hær.* 36.

(2) Euseb., *Hist. Eccl.* IV, 29; Orig., *Contra Cels.* V, 65.

(3) Epiph., *Hær.* XLII; Tertull., *Advers. Marc.* V, 20; Iren., *Contra hær.* I, XXVII, 2; III, XII, 12. Erronee Philastrius (*hær.* 45) docet Marcionem solas recepisse *Epist. ad Tim.* et *Tit.*

(4) De Wette, *Einleit.* § 123 a.

quando loquitur de Timotheo, de Aquila, de Luca, quando narrat suos labores et pericula quæ sustinuit (1), vel suam vitam describit (2), semper ut Epistolæ auctor loquitur. Sive autem Apostolus de se loquatur, sive ecclesias doceat, talia continuo dicit quæ conveniunt cum iis, quæ de Paulo in *Actibus* referuntur. Sic v. g. ex *Actibus* constat Paulum nequaquam habuisse legem Mosaicam ut gentibus fidem amplexis necessariam; idem porro docet Paulus ad *Galatas.*

5. Ne quis porro anceps hæreret, cogitans ecclesias particulares ad quas Paulus scribebat fuisse fortasse deceptas, accepisse scilicet sub nomine Pauli litteras ab aliquo falsario excogitatas et nomine ejus inscriptas, Paulus quando scribebat, tales adhibebat cautiones, ut fraus impossibilis redderetur. Ubi Paulus amanuensi epistolam scribendam tradebat, quod sæpius factum ab ipso fuisse non dubitamus, et constat certe pro Epistola ad Romanos in qua dicitur : *Saluto vos ego Tertius qui scripsi epistolam* (3), tum quædam verba propria manu adjiciebat, ut ecclesiæ certiores fierent Epistolam revera ipsius esse. Sic in *prima ad Corinthios* (XVI, 21) dicit : *Salutatio mea manu Pauli* (4). *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum sit anathema, Maran Atha. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum.* In *secunda ad Thessalonicenses : Salutatio mea manu Pauli : quod est signum in omni epistola ; ita scribo.* Videtur propria manu scripsisse *Epist. ad Philem.* Ait enim versu 19 : *Ego Paulus scripsi mea manu.*

6. Præterea Paulus non committebat cuicumque occurrenti nuntio suas Epistolas deferendas ; sed per christianos apprime notos deferebantur ad ecclesias. Sic ad Corinthios scripsit per Fortunatum, Stephanam et Achaicum ; ad Colossenses per Tychicum et Onesimum. Ad Philippenses Epistolam misit per Epaphroditum, quem illi ad Paulum miserant. Ita ecclesiæ particulares ubi Pauli Epistolam accipiebant nihil ambigere poterant se revera Apostoli veras litteras accepisse. Fiebat etiam ut postea

(1) *II Cor.* XI-XII.
(2) *Gal.* I-II.
(3) *Rom.* XVI, 22.
(4) In *Epist. ad Coloss.* (IV, 18) idem repetit et addit : *Memores estote vinculorum meorum, gratia vobiscum Amen.*

Apostolus ecclesias illas inviseret ad quas scripserat ; tunc viva Apostoli voce rursus certiores reddebantur de veritate Epistolæ acceptæ. Scripsit Apostolus ad Corinthios duas Epistolas, duas etiam ad Thessalonicenses. Jam autem ubi secunda vice scribebat Apostolus, priores suas litteras memorabat, et sic rursus omne dubium, si quod fuisset, depellebat.

7. Statim autem ac ecclesia aliqua Epistolam acceperat ab Apostolo, Epistola illa legebatur coram congregatis fidelibus, in officio nempe liturgico, quo durante, sacræ Scripturæ recitabantur, ut ex S. Justino ostendimus. Ipse S. Paulus in prima, quam scripsit Epistola ad Thessalonicenses (V, 27), ait : *Adjuro vos per Dominum ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.* Porro ubi ecclesia aliqua Corinthiaca, Thessalonicensis, Colossensis, Ephesina, alia, Epistolam acceperat et legerat, eam communicabat ecclesiis vicinis, cum quibus frequens et facile erat commercium. S. Paulus ipse hoc præcipiebat. Scribit enim ad Colossenses (IV, 16) : *Et quum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut et in Laodicensium ecclesia legatur.* Describebantur autem ex archetypis apographa, quæ in archivis ecclesiarum servabantur. Ob illud autem commercium quo ecclesiæ sibi invicem communicabant Epistolas Apostolorum, factum est ut statim collectiones plus minusve completæ Epistolarum Pauli in nonnullis ecclesiis haberentur. Adhuc vivente Petro, jam quædam habebatur collectio Epistolarum Pauli. Constat hoc ex secunda Petri Epistola (III, 15-16), ubi sic loquitur : *Sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis ; sicut et in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant sicut et cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.*

8. Abundant autem Patrum testimonia, qui inde ab ætate apostolica, veritatem divinitatemque quatuordecim Pauli Epistolarum asseruerunt.

9. Primus occurrit S. Clemens Romanus. Is ad Corinthios scribens provocat ad primam Pauli ad Chorinthios Epistolam, et verba Apostoli tanquam verba Spiritus sancti allegat : « Sumite, inquit, Epistolam beati Pauli Apostoli. Quid primum vobis in principio Evangelii scripsit? Profecto in spiritu ad vos litteras dedit de seipso et Cepha et Apollo, quia etiam tum

diversa in studia scissi eratis. » Quibus verbis manifeste alludit sanctus Clemens ad *I Cor*. I. 12 (1).

10. Sequitur Hermas in *Pastore* nonnulla Pauli verba recitans, qui tamen pro libri sui ingenio non indicat undenam verba desumpserit (2). Ignatius Martyr scribens ad Ephesios in eorum memoriam revocat Epistolam ad eos a Paulo scriptam : « Pauli Symmistæ, inquit, qui tota Epistola memor vestri est in Christo Jesu, etc. » Alibi generaliter provocat ad Epistolas Apostolorum, et verba recitat ex Epistolis ad Corinthios (3).

11. S. Polycarpus in *Epistola ad Philippenses* (4) non solum plura verba ex variis Pauli Epistolis recitat, sed diserte nominat Epistolam ad Philippenses his verbis : « Neque enim ego, neque alius mei similis beati et gloriosi Pauli sapientiam assequi potest ; qui cum esset apud vos, coram hominibus tunc viventibus perfecte ac firmiter verbum veritatis docuit ; qui et *absens scripsit vobis epistolas*, in quas si intueamini, etc. » Et cap. XI ait : « An nescimus quia Sancti mundum judicabunt *sicut Paulus docet* (*I Cor*. VI, 2)? »

12. Athenagoras in libello *de Resurrectione mortuorum* (19-20) sub nomine Apostoli recitat verba *I Cor*. XV, 53. Auctor *Epistolæ ad Diognetem* pariter sub nomine Apostoli allegat *I Cor*. VIII, 1. Theophilus *ad Autolyc*. III, 14 sub nomine Scripturæ sacræ recitat verba *Rom*. XIII, 7-8 ; *I Tim*. II, 2. Taceo Hermiam (5), Hegesippum (6) et alios hujus ætatis scriptores qui identidem verba nonnulla Apostoli recitant, vel non indicando

(1) S. Clemens Rom., *I Epist. ad Corinth*. capp. 13 et 47. S. Clemens in eadem Epistola cap. 36 citat *Hebr*. I, 3-5; capp. 9, 10, 12, 17, 19, 43 citat *Hebr*. XI ; cap. 35 citat *Rom*. I, 32 ; cap. 49 citat *I Cor*. XIII, 4. In *I Epist ad Virgines* capp. 6 et 12 citat *I Cor*. IV, 16 ; XI, 1 ; *II Cor*. IX, 29 ; in *II Epist. ad Virg*. cap. 5 citat *I Cor*. X, 31-32.

(2) Cfr. *Visio* IV, 9 cum *Coloss*. III, 16; *Mandatum* III, 1 cum *Ephes*. IV, 30; *Similit*. IX, 14 cum *Hebr*. I, 3; *Similit*. IX, 18 cum *II Tim*. II, 19.

(3) Cfr. S. Ignatius, *Epist. ad Ephes*. c. 12 ; *Epist. ad Philad*. 5. In *Epist. ad Rom*. capp. 3 et 5 citat *I Cor*. IV, 4 ; *II Cor*. IV, 18 ; in *Epist. ad Polycarp*. c. 5 citat *Ephes*. V, 25.

(4) *Epist. ad Philip*, capp. 3, 4 et 12 citat *I Tim*. II, 1-2 et VI, 7, 10; cap. 12 citat *Ephes*. IV, 26.

(5) *Irrisio*. I, 1.

(6) Ap. Euseb. *Hist. Eccl*. III, 32. Vide Kirchofer , *Quellensammlung zur Geschichte des N. T. Canons*, sect. X, Zurich 1844.

se illa ex Scriptura sumpsisse, vel simpliciter dicendo se ex Scriptura vel ex Apostolo illa citare.

13. S. Irenæus multa ex Epistolis Paulinis testimonia verbotenus recitat. Epistolas nominat unde verba deprompsit eorumque auctorem Paulum continuo affirmat; imo impugnat et refellit Ebionæos quod Paulum non reciperent, et Marcionem quod ausus fuerit divi Apostoli Epistolas decurtare. Insuper asserit Apostolum a quocumque errore et mendacio immunem esse, ac frequenter hyperbolis uti propter velocitatem sermonum suorum, et propter impetum Spiritus sancti qui in eo erat. Una dumtaxat Pauli Epistola ab eo non memoratur, illa scilicet quæ ad Philemonem data fuit. Eam tamen S. Doctor non abjicit, sed quia ista Epistola brevior est et de dogmate non agit, S. Doctor nactus non est occasionem aliquid ex ea recitandi (1). Ad Epistolam *ad Hebræos* interdum alludit, nec ipsa tamen, nec auctore ejus nominatim citatis. Vid. lib. II, XXX, 9; lib. IV, XI, 4.

14. Tertullianus non solum frequenter in suis scriptis, data occasione, allegat Pauli Epistolas, sed eorum auctoritatem strenue vindicat. « In summa, inquit adversus Marcionem (2), si constat id verius quod prius, id prius quod ab initio, id ab initio quod ab Apostolis : pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus quod lac a Paulo Corinthii hauserint; ad quam regulam Galatæ sint correcti; quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesii; quid etiam Romani de proximo sonent. » Totus autem est in libro quinto *adversus Marcionem*, ut probet hunc hæreticum Epistolas Pauli ad Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses et Thessalonicenses decurtavisse, earumque ordinem turbavisse. Ex quo patet jam tunc Epistolarum Pauli fuisse aliquem ordinem communiter receptum. Quum autem ad finem libri pervenit Tertullianus, sic loquitur de Epistola ad Philemonem : « Soli huic Epistolæ brevitas sua profuit, ut falsarias manus Marcionis evaderet. Miror tamen, cum ad unum hominem litteras factas receperit,

(1) Multa ex Epistolis Pauli profert Irenæus in sequentibus locis : lib. III, VI, 5; VII, 1-2; XII, 1-11; XIII, 1-3; XV, XVIII, 1-4, et sæpius in lib. IV et V ubi refellit Marcionitas.

(2) *Advers. Marcion.* IV, 5, Cfr. *De præscript.* 36.

quid ad Timotheum duas, et unam ad Titum, de ecclesiastico statu compositas, recusaverit. Adfectavit, opinor, etiam numerum epistolarum interpolare. » Montanista jam factus Tertullianus recitavit sub nomine Barnabæ in libro *de Pudicitia* XX, verba ex *Epist. ad Hebræos.*

15. Antiquissimus Scripturarum canon a Muratorio repertus enumerat tredecim Pauli Epistolas hoc ordine : Pauli 1ª ad Corinthios, ad Ephesios una, ad Philippenses una, ad Colossenses una, ad Galatas una, ad Thessalonicenses prima, ad Romanos una, ad Corinthios secunda, ad Thessalonicenses secunda, ad Philemonem una, una ad Titum, duæ ad Timotheum (1). Omittitur *Epistola ad Hebræos,* quam etiam omittit Caius, tredecim dumtaxat Paulo Epistolas vindicans in disputatione contra Proclum (2). Eam vero sæpius sub nomine Apostoli allegat S. Melito in *Clavi.* Clemens Alexandrinus quatuordecim Pauli Epistolas identidem pro opportunitate allegat et Apostolo adscribit Epistolam *ad Hebræos* (3).

16. S. Philastrius (*Hær.* 88) in suo Scripturarum canone recipit tredecim Pauli Epistolas, sed testatur (*Hær.* 89) ideo se ab hoc numero seposuisse Epistolam *ad Hebræos,* quia nonnulli eam tribuebant Barnabæ, Clementi Romano aut Lucæ. Asserit porro Epistolam *ad Hebræos* interdum in ecclesiis lectam fuisse.

17. Origenes non solum quatuordecim Epistolas Pauli agnovit, sed eas tanquam Scripturæ sacræ partem interpretatus est, quæ interpretatio integra, pro Epistola ad Romanos, ad nos pervenit. Interpretationis aliarum Epistolarum, etiam illius *ad Hebræos* quædam fragmenta ad nos pervenerunt.

18. His necessarium non est addere Eusebium, Athanasium, Gregorium Nazianzenum, Cyrillum Hierosolymitanum, Hieronymum, Chrysostomum, Augustinum et omnes Scripturarum canones editos in Conciliis Hipponensi, Carthaginensi et a RR. Pontificibus Innocentio I ac Gelasio, qui omnes recensent quatuordecim Pauli Epistolas. Quæ de Epistola ad Hebræos moventur difficultates explicabimus, ubi de ea speciatim agendum nobis erit. Jam autem quatuordecim istæ Epistolæ in anti-

(1) *Patrol. lat.* III, 170.
(2) Ap. Euseb. *Hist. Eccl.* VI, 20.
(3) Vide varia ejus testimonia apud Kirchofer, l. c. sect. X.

se illa ex Scriptura sumpsisse, vel simpliciter dicendo se ex Scriptura vel ex Apostolo illa citare.

13. S. Irenæus multa ex Epistolis Paulinis testimonia verbotenus recitat. Epistolas nominat unde verba deprompsit eorumque auctorem Paulum continuo affirmat; imo impugnat et refellit Ebionæos quod Paulum non reciperent, et Marcionem quod ausus fuerit divi Apostoli Epistolas decurtare. Insuper asserit Apostolum a quocumque errore et mendacio immunem esse, ac frequenter hyperbolis uti propter velocitatem sermonum suorum, et propter impetum Spiritus sancti qui in eo erat. Una dumtaxat Pauli Epistola ab eo non memoratur, illa scilicet quæ ad Philemonem data fuit. Eam tamen S. Doctor non abjicit, sed quia ista Epistola brevior est et de dogmate non agit, S. Doctor nactus non est occasionem aliquid ex ea recitandi (1). Ad Epistolam *ad Hebræos* interdum alludit, nec ipsa tamen, nec auctore ejus nominatim citatis. Vid. lib. II, XXX, 9; lib. IV, XI, 4.

14. Tertullianus non solum frequenter in suis scriptis, data occasione, allegat Pauli Epistolas, sed eorum auctoritatem strenue vindicat. « In summa, inquit adversus Marcionem (2), si constat id verius quod prius, id prius quod ab initio, id ab initio quod ab Apostolis : pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus quod lac a Paulo Corinthii hauserint; ad quam regulam Galatæ sint correcti; quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesii; quid etiam Romani de proximo sonent. » Totus autem est in libro quinto *adversus Marcionem*, ut probet hunc hæreticum Epistolas Pauli ad Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses et Thessalonicenses decurtavisse, earumque ordinem turbavisse. Ex quo patet jam tunc Epistolarum Pauli fuisse aliquem ordinem communiter receptum. Quum autem ad finem libri pervenit Tertullianus, sic loquitur de Epistola ad Philemonem : « Soli huic Epistolæ brevitas sua profuit, ut falsarias manus Marcionis evaderet. Miror tamen, cum ad unum hominem litteras factas receperit,

(1) Multa ex Epistolis Pauli profert Irenæus in sequentibus locis : lib. III, VI, 5; VII, 1-2; XII, 1-11; XIII, 1-3; XV, XVIII, 1-4, et sæpius in lib. IV et V ubi refellit Marcionitas.

(2) *Advers. Marcion.* IV, 5, Cfr. *De præscript.* 36.

quid ad Timotheum duas, et unam ad Titum, de ecclesiastico statu compositas, recusaverit. Adfectavit, opinor, etiam numerum epistolarum interpolare. » Montanista jam factus Tertullianus recitavit sub nomine Barnabæ in libro *de Pudicitia* XX, verba ex *Epist. ad Hebræos.*

15. Antiquissimus Scripturarum canon a Muratorio repertus enumerat tredecim Pauli Epistolas hoc ordine : Pauli 1ª ad Corinthios, ad Ephesios una, ad Philippenses una, ad Colossenses una, ad Galatas una, ad Thessalonicenses prima, ad Romanos una, ad Corinthios secunda, ad Thessalonicenses secunda, ad Philemonem una, una ad Titum, duæ ad Timotheum (1). Omittitur *Epistola ad Hebræos,* quam etiam omittit Caius, tredecim dumtaxat Paulo Epistolas vindicans in disputatione contra Proclum (2). Eam vero sæpius sub nomine Apostoli allegat S. Melito in *Clavi.* Clemens Alexandrinus quatuordecim Pauli Epistolas identidem pro opportunitate allegat et Apostolo adscribit Epistolam *ad Hebræos* (3).

16. S. Philastrius (*Hær.* 88) in suo Scripturarum canone recipit tredecim Pauli Epistolas, sed testatur (*Hær.* 89) ideo se ab hoc numero seposuisse Epistolam *ad Hebræos,* quia nonnulli eam tribuebant Barnabæ, Clementi Romano aut Lucæ. Asserit porro Epistolam *ad Hebræos* interdum in ecclesiis lectam fuisse.

17. Origenes non solum quatuordecim Epistolas Pauli agnovit, sed eas tanquam Scripturæ sacræ partem interpretatus est, quæ interpretatio integra, pro Epistola ad Romanos, ad nos pervenit. Interpretationis aliarum Epistolarum, etiam illius *ad Hebræos* quædam fragmenta ad nos pervenerunt.

18. His necessarium non est addere Eusebium, Athanasium, Gregorium Nazianzenum, Cyrillum Hierosolymitanum, Hieronymum, Chrysostomum, Augustinum et omnes Scripturarum canones editos in Conciliis Hipponensi, Carthaginensi et a RR. Pontificibus Innocentio I ac Gelasio, qui omnes recensent quatuordecim Pauli Epistolas. Quæ de Epistola ad Hebræos moventur difficultates explicabimus, ubi de ea speciatim agendum nobis erit. Jam autem quatuordecim istæ Epistolæ in anti-

(1) *Patrol. lat.* III, 170.
(2) Ap. Euseb. *Hist. Eccl.* VI, 20.
(3) Vide varia ejus testimonia apud Kirchofer, l. c. sect. X.

quissimis textus græci codicibus habentur prout nunc exstant; habentur et in antiquissimis versionibus, scilicet in versione itala, quæ sæculo secundo non est recentior, in versione syriaca Simplici, ejusdem, ut videtur, ætatis, in versionibus copticis. In omnibus hisce versionibus integræ, prout nunc exstant, servantur, nec aliæ reperiuntur discrepantiæ, nisi quæ variarum lectionum limites non transgrediuntur. Consonant autem et cum illis versionibus et cum codicibus omnes Patrum citationes, ita ut manifestum sit ab apostolicis temporibus ad nostros usque dies non alias notas fuisse Pauli Epistolas nisi quas adhuc possidemus. Tantæ autem auctoritatis fuerunt Pauli scripta ut et ipsi hæretici testimonium illis reddiderint et conati sint, ea immutando aut corrumpendo, suas exinde hæreses confirmare. Adjungere possemus etiam hæreticos, ut v. g. Valentinianos, quos ex Irenæo constat admisisse Pauli Epistolas (1).

19. Ex omnibus hisce testimoniis quam certissime constat Epistolas Pauli authenticas, integras atque divinas esse. Merito igitur Rationalistis Epistolas Pauli probantibus, sed ex iis ea solum quæ ipsis favent accipientibus, objici possunt verba Augustini contra Manichæos (2) : « Usque adeo invicta sunt, quæ adversus vos de divinis codicibus proferuntur, ut non sit aliud quod dicatis, nisi eos esse falsatos. Quæ jam auctoritas litterarum aperiri, quis sacer liber evolvi, quod documentum cujuslibet Scripturæ ad convincendos errores vestros exseri potest, si hæc vox admittitur, si alicujus ponderis æstimatur? Aliud est ipsos libros non accipere quod pagani de omnibus Libris nostris, quod Judæi de novo Testamento faciunt, et aliud est dicere : Iste quidem vir sanctus omnia vera scripsit, et ista epistola ipsius est, sed in ea ipsa hoc ejus est, hoc non est ejus. Ubi cum ex adverso audieris : proba; non confugias ad exemplaria veriora, vel plurium codicum, vel antiquorum, vel linguæ præcedentis unde hoc in aliam linguam interpretatum est : sed dicas, inde probo hoc illius esse; illud non esse, quia hoc pro me sonat, illud contra me. Tu es ergo regula veritatis? Quidquid contra te fuerit non est verum? Quid si alius simili insania existat et dicat : imo illud quod pro te sonat, falsum

(1) Iren. I, III, 1, 4-5; I, VIII, 2-4.
(2) S. Augustin., *Contra Faustum*. l. XI, c. 2.

est? » Recte igitur plurimi Protestantium omnes Pauli Epistolas contra Rationalistas vindicant (1).

IV. *De Epistola ad Romanos* (2).

1. Quamvis haud impossibile sit fidem Christi Romæ jam fuisse annuntiatam ab *advenis* illis Romanis, qui Jerosolymis, in die effusionis Spiritus sancti in Apostolos, audiverant Petrum prædicantem, tamen ecclesiæ Romanæ plantationem seu fundationem Petro adscribunt antiquissimi scriptores, ut Irenæus, Dionysius, Corinthiorum episcopus, et Caius ejusdem temporis scriptor (3). Unus audiatur Orosius (4) : « Claudius, inquit, ab Augusto quartus regnum adeptus est, mansitque in eo annos quatuordecim. Exordio regni ejus (5) Petrus, apostolus Domini nostri Jesu Christi, Romam venit, et salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus comprobavit; exinde christiani Romæ esse cœperunt. » Aliqui Patres videntur Paulo æque ac Petro tribuere ecclesiæ Romanæ plantationem, sed ita intelligendi sunt, ut asserant Paulum quidem operam contulisse ut propagaret fidem Christi inter Romanos, non tamen primæ plantationis auctorem esse, sed allaboravisse

(1) Audiatur Cellérier, (*De l'origine authentique et divine du N. T.* Genève 1829). « Les treize premières épîtres de saint Paul, la première de S. Jean, ont pour elles les preuves historiques les plus fortes qu'on puisse désirer. La plupart avaient en particulier, au moment de la formation définitive du canon, la tradition constante des églises spéciales auxquelles elles avaient été directement adressées. Lardner croit que dans les restes des ouvrages de saint Irénée, de Clément d'Alexandrie et de Tertullien seulement, on trouve des citations plus nombreuses et plus étendues du petit volume nommé le Nouveau Testament, qu'on n'en pourrait trouver de tous les ouvrages de Cicéron pendant plusieurs siècles, et dans les écrits de tout genre. Les épîtres de S. Paul en particulier, sont citées ou indiquées dans presque tous les écrits des hommes apostoliques et des docteurs chrétiens de la génération qui leur succéda. S'il y a quelque chose d'historiquement prouvé sur le Nouveau Testament, c'est que ces Epîtres dès le I[er] siècle, étaient lues dans le culte public comme ouvrage de S. Paul; et l'on ne peut découvrir avant l'approche du V[e] siècle aucune tentative pour en supposer d'autres sous son nom. »

(2) Cfr. Beelen, *Comment. in Epist. ad Rom.* Lov. 1854.

(3) Irenæus, *Contra hær.* III, 1; Dionysius et Caius ap. Euseb, *Hist. Eccl.* II, 25; cfr. ibid. II, 14-16.

(4) *Histor.* lib. VII, c. 6.

(5) Anno secundo Claudii, ut testatur Hieronymus, *De vir. ill.* 1.

ut prima plantatio a Petro facta novum acciperet incrementum. Nam certissimum est ex ipsius Pauli testimonio ipsum Romæ nondum fuisse, quum scripsit suam ad Romanos Epistolam (1); quo tempore jam florentissima ibi habebatur ecclesia. Ait enim Paulus (*Rom* I, 8) : *Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis : quia fides vestra annuntiatur in universo mundo*. Coaluit porro illa ecclesia non solum ex gentibus, sed etiam ex Judæis, qui tunc temporis magno numero urbem incolebant certisque in ea privilegiis gaudebant (2).

2. *De causa scribendi Epistolam deque ejusdem argumento.* Quanquam neque ex ipsa Epistola, neque aliunde certo nobis constat quidnam rei Apostolum potissimum impulerit ut ad Romanos scriberet, tamen non multum, opinor, a vero aberraverimus si conjecerimus, causam sive occasionem scribendi Paulo natam fuisse ex eo quod comperisset, Romanos tam Judæo-christianos quam ethnico-christianos non recte sentire de gratia justificationis, quippe quam non haberent, ut debuissent, pro Dei dono prorsus gratuito, verum suis suæque gentis meritis utrique falso adscriberent. Etenim quum in illa Epistola fere totus sit Apostolus in docendo justificationem gratuitum esse Dei donum, cur hoc potius quam aliud argumentum tractasset, nisi quia certa relatione compertum haberet, Romanos nunc in hac potissimum re institutione indigere ?

3. Quidquid sit, totius Epistolæ, ut jam innuimus, primaria sententia est, gratiam justificationis homini obtingere, non ut mercedem aliquam operibus suis tanquam meritis debitam, sed *gratis* sive ex Dei erga ipsum bonitate omnimodo gratuita ; obtingere autem *per fidem*, quæ tamen ibi habeat non rationem causæ meritoriæ, sed sit simpliciter conditio sine qua nemini possit illa gratia obtingere, quæ ceteroquin divinitus offeratur, nullo gentis aut hominum discrimine, *cuicumque credenti*. Hanc vero sententiam Apostolus prioribus octo Epistolæ capitibus explicat et probat hoc ordine. Docet primo Evangelium salvificam quamdam vim esse omnibus credentibus tam gentilibus quam Judæis (I, 1-17). Porro ostendit Judæos æque ac gentiles reos

(1) *Rom*. I, 11-13.
(2) Joseph, *Antiqq*. XVII, 12; Philo, *Legat. ad Caium*. p. 1014, Ed. fran.; Sueton., *Tiberii vita*, 36.

esse multorum criminum coram Deo (I, 18-III, 19), fieri non posse ut quis ex operibus legis Mosaicæ, qua talis, justificetur coram Deo, sed justificationem esse donum Dei prorsus gratuitum, omnibus sine discrimine oblatum hominemque justificari per fidem, nullo habito operum respectu (III, 19-30). Quod cum Scripturis consentire probat (IV). Docet deinde justificatos non amplius iræ divinæ obnoxios, sed per Christum filios Dei adoptivos effectos, atque Spiritus sancti participes etiam de afflictionibus lætari in spe obtinendæ vitæ æternæ, quod magis explicat instituta comparatione inter Adamum qui peccato totum genus humanum subjecit, et Christum qui per gratiam suam peccatum illud abstulit (V). Hortatur porro christianos, quum per justificationem a peccato mundati sint, ut sancte vivant (VI) et animos illis addit docendo eos non amplius esse sub lege Moysi (VII) sed sub gratia (VIII).

4. Absoluto suo themate de gratuita hominis justificatione, Apostolus deinceps capitibus tribus insequentibus (IX-XI) quæstionem tractat cum primario illo themate satis arcte connexam; agit scilicet de plerorumque Judæorum, coætaneorum suorum, a Messiana salute, seu a justificationis gratia, exclusione; cui exclusioni minime repugnare docet promissionem Dei Abrahæ factam de salute per Messiam obtinenda; declarat autem, Judæos ideo ab illa salute fuisse exclusos, quia Evangelio credere recusassent; ex quo tamen negat colligendum esse Israeliticum populum, qua talem, penitus a Deo fuisse abjectum, e contra affirmat futurum esse ut Israelitica gens universa Messianam salutem participet, quando prius in Ecclesiam intraverit universa gentilitas, de cujus vocatione ad fidem et gratiam evangelicam passim ibi sermonem habet.

5. Reliqua autem Epistolæ pars ad informandos mores potissimum spectat. Hortatur porro Romanos Apostolus ut recte se in omnibus gerant, bene charismatibus utantur, virtutibus se exerceant, magistratibus debitam præstent obedientiam, proximum diligant, luxuriam vitent (XII-XIII). Deinde agit de ciborum discrimine, docetque ritualia Legis præcepta non amplius obligare, sed oportere tamen ut nemo exinde alteri scandalum præbeat.

6. *Lingua, locus et tempus.* Epistola ad Romanos, ut jam diximus, græce exarata fuit. Putavit tamen Salmeron latine

eam exaratam fuisse, quia amanuensis, qui illam scripsit, voce latina *Tertius* vocabatur. Sed hæc non est sufficiens ratio ut totam traditionem deseramus. Nec mirum est Paulum græce ad Romanos scripsisse, nam lingua græca tunc temporis erat Romanis perquam familiaris. Ab urbe Corintho circa annum 57-58 scriptam esse Epistolam epigraphe in aliquot codicibus uncialibus subjecta jam declarat. Confirmatur, cum inde quod a fine Epistolæ leguntur salutationes fidelium Corinthi commorantium, tum etiam ex eo quod Apostolus ad transmittendam Epistolam usus est ministerio Phœbes, diaconissæ ecclesiæ Cenchreensis. Erant autem Cenchreæ portus Corinthi (1).

V. *De Epistolis ad Corinthios.*

1. *De ecclesiæ Corinthiacæ primordiis.* Corinthus, Achaiæ metropolis, in Isthmo Peloponesiaco inter mare Ægæum et Ionicum sita, duosque habens portus, unum occidentalem Italiam versus, alterum orientalem versus Asiam, urbs erat mercatura, divitiis, scientiis, artibus, ludis isthmicis, celebratissima. Nec minus nota erat Corinthus ob templum Veneris, quæ ibi colebatur, et ob impudicitiam, atque corruptos adolescentium mores (2). Talis erat Corinthus, quum Paulus, secundum peragens iter apostolicum, relictis Athenis, in eam advénit. Et cum forte ibi invenisset Judæum quemdam, nomine Aquilam, cum uxore sua Priscilla, apud eum mansit. Quia Paulus cum ipsis ejusdem erat scenofactoriæ artis, allaborabat tentoriis faciendis ut haberet unde viveret, nec cuiquam esset gravis. Singulis autem sabbatis loquebatur ad Judæos in Synagoga. Porro cum venissent de Macedonia Silas et Timotheus instabat verbo Paulus, testificans Judæis Jesum esse promissum Messiam. Quum autem Judæi sese opponerent Pauli prædicationi et convicia in Jesum evomerent, divus Apostolus digressus e synagóga, intravit in domum cujusdam Titi Justi, colentis Deum, cujus domus erat conjuncta synagógæ, et commorans Corinthi per annum et sex menses instansque prædicationi atque

(1) Vid. Beelen, *Comment. in Epist ad Rom. prolog.* Doctissimum auctorem verbotenus fere exscripsi.
(2) Cfr. Reithmayr, *Introd.* citata t. II p. 233-234.

eam miraculis confirmans, Paulus multos non solum ex Judæis, sed maxime ex gentibus ad fidem adduxit, inter quos Priscum archisynagogum cum omni domo sua (1).

§ 1. *Prima ad Corinthios Epistola.*

2. *Causa scribendi Epistolam.* Apostolus Paulus, postquam in tertio itinere apostolico Ephesi sedens scripsisset ad Galatas, didicit ab iis qui erant ex familia Cloes, mulieris Corinthiacæ, dissensiones esse inter Corinthios, quum aliqui dicerent se esse Pauli, alii Apollo, alii Cephæ, alii Christi. Abundant auctorum conjecturæ quanam re separarentur illæ partes, sed nihil certi ex Epistola aut aliunde colligi potest. Erant præterea inter Corinthios pseudoapostolos qui vias Domini pervertere conabantur, aliquis etiam incestuose vivebat; nonnulli coram judicibus ethnicis lites cum aliis christianis movebant. Scripserant insuper Corinthii ad Paulum exquirentes ejus sententiam de variis ad matrimonium, idolothyta, Eucharistiam, charismata et eleemosynas, pertinentibus. Quum hæc omnia a Stephana, Fortunato et Achaico, qui ad ipsum epistolam Corinthiorum detulerant, didicisset Paulus, scripsit eam Epistolam, quæ *prima ad Corinthios* inscribitur.

3. *Argumentum.* Paulus, postquam gratias egit de donis a Deo Corinthiis collatis, increpat Corinthios quod factiones inter se haberent ex studiis erga magistros. Commendat porro humilitatem crucis Christi eamque præponit sapientiæ sæculari, quam in civitate, litteris valde exculta, Corinthii immodice fortasse sectabantur. Revocat igitur Apostolus Corinthios a judicandis Dei ministris et arguit pseudoapostolos (I-IV). Reprehendit eos quod incestuosum hominem in consortio suo tolerarent, eumque excommunicandum decernit, simulque monet de vitandis fornicariis et criminosis fratribus (V). Culpat quod judiciis inter se contenderent, idque maxime apud judices infideles, docet impudicitiam fugiendam, matrimonium commendat, ejusque jura aperit; cui tamen virginitatis ac continentiæ studium præfert (VI-VII). Corinthios instruit circa usum carnium idolis immolatarum (VIII-X). Docet viros aperto, mulieres autem

(1) *Act.* XVIII, 1-22.

velato capite, orare debere; corrigit abusus qui irrepserant in sumptione Eucharistiæ (XI). Disserit de donis spiritualibus exhortans exemplo membrorum corporis humani ut suum quisque donum conferant in usum communem; præcipue vero omnes studeant charitati, quæ reliquis virtutibus etiam spei et fidei præstat (XII-XIV). Resurrectionem mortuorum adstruit et Corinthios admonet de eleemosynis colligendis in Judæos pauperes Judæam inhabitantes (XV-XVI).

4. *Locus et tempus*. Scripta est ex Epheso prima ad Corinthios Epistola circa annum æræ vulgaris 56. Subscriptio, quæ legitur in nonnullis codicibus græcis, asserit scriptam esse Philippis in Macedonia. Sed hoc admittendum non est; nam S. Paulus in ipsa Epistola (XVI, 5, 8, 19) contrarium asserit. Sic enim loquitur. *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten. Veniam autem ad vos, quum Macedoniam pertransiero : nam Macedoniam pertransibo... Salutant vos ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multum Aquila et Priscilla cum domestica sua ecclesia, apud quos et hospitor.* Habitabant autem Aquila et Priscilla in Epheso, ubi Apostolus absolvens secundum suum iter apostolicum eos reliquerat (*Act.* XVIII, 19); nullibi porro legimus eos ivisse Philippos. Ex his testimoniis manifesto apparet Epistolam ex Epheso scriptam fuisse. Missa porro fuit per Stephanam, Fortunatum et Achaicum, quod asseritur in subscriptionibus codicum græcorum.

5. Scripta porro fuit Epistola non solum ad gentiles ecclesiæ Corinthiacæ, quos peculiariter alloquitur, quando dicit (1) : *Scitis cum gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes ;* sed etiam ad Judæos ad quos peculiariter dicit (2) : *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt.*

§ 2. *Secunda ad Corinthios Epistola.*

6. *Locus, tempus, occasio scribendæ hujus Epistolæ.* Sibi proposuerat Paulus ab Epheso statim post Pentecosten proficisci ad Corinthios, ut videret quem fructum sua Epistola habuis-

(1) *I Cor.* XII, 2.
(2) *I Cor.* X, 1.

set, et inde in Macedoniam transire (1). Mutato autem consilio, ab Epheso venit per Troadem in Macedoniam. Quo cum advenisset, occurrit Apostolo Titus veniens ex Corintho, qui ipsi exposuit statum hujus ecclesiæ. Porro ea, de quibus Apostolus in priore Epistola Corinthios monuerat, partim erant correcta, partim non erant. Præterea dum Apostolus suum ad Corinthios adventum retardabat, quidam pseudoapostoli, quibus studium erat ritus Mosaicos Evangelio admiscere et quæstum ex Evangelio facere, sese apud Corinthios insinuaverant, Paulique personæ et doctrinæ detrahebant. Insuper monendi erant Corinthii de collecta statim facienda in gratiam pauperum Judæam incolentium.

7. His a Tito auditis, quum statim ad eos properare non posset Apostolus, secundam hanc scripsit Epistolam nomine suo et Timothei ad Corinthios et ad universos Achaiæ fideles. Misit autem eam per Titum et alios (VIII, 16-24). Scripta existimatur hæc Epistola eodem anno quo præcedens, scilicet anno 56, vel 57 et quidem in urbe Philipporum, ut traditur in subscriptionibus codicum græcorum. Indicat enim Apostolus se, cum scriberet, in Macedonia fuisse (II, 12-13; IX, 2-4).

8. *Argumentum.* Aperit Apostolus propositum quod habuit venire ad Corinthios gravesque causas quæ ipsum a proposito perficiendo impediverunt (I-II). Munus suum apostolicum ex comparatione legis Evangelicæ cum lege Mosaica commendat et extollit, obiter taxans pseudoapostolorum hypocrisin, suamque in prædicando Evangelio sinceritatem asserens (III-V). Hortatur Corinthios ad agendam vitam christianam atque ad vitandum consortium gentium; simul autem eos consolatur, ac significat quantum ipsi gaudium attulerit eorum pœnitentia (VI-VII). Excitat eos ad eleemosynas elargiendas in pauperes Jerosolymitanos (VIII-IX). Rursus suam auctoritatem commendat, labores, quos in apostolatu obeundo sustinuit, charismata, quibus donatus est, recenset, et gravibus verbis invehitur in pseudoapostolos (X-XII). Postremo denique monet, ut vitia, quibus adhuc sunt inquinati, corrigant (XIII).

(1) *II Cor.* I, 16; *I Cor.* XVI, 5, 8.

VI. *De Epistola ad Galatas* (1).

a/51, 1. *De ecclesiarum Galatiæ primordiis.* Galatia regio erat in media fere Asia Minore sita, quæ nomen et originem habuit a Gallis, qui, relicta patria, suas ibi sedes constituerant. Romani eos ditioni suæ subjecerunt, et Augustus permixtos Galatis Judæos protectione sua fovit. Constabat igitur hujus provinciæ populus, partim ex Galatis proprie dictis qui idola colebant, partim ex Judæis, quum Paulus in secundo suo itinere apostolico regiones Asiæ Minoris perlustrans transiit per Galatiam (2). Dubium non est quin eis Christum prædicaverit. Nam, quum in tertio itinere apostolico secunda vice Galatiam visitaret, fideles in fide jam accepta confirmasse legitur (3). Galatæ multo fervore fidem amplexi sunt, multaque adversa pro Christo sustinuerunt roborati gratia Dei, qui eorum fidem miraculis illustrabat (4).

a/52. 2. *Causa et locus scribendæ Epistolæ.* Quum sic in via salutis bene currerent Galatæ (*Gal.* V, 7), supervenerunt, statim post Apostoli discessum, quidam falsi doctores judaizantes, qui conati sunt Galatis obtrudere hanc falsam doctrinam, quod circumcisio aliaque Legis præcepta essent necessario servanda ad salutem obtinendam ab omnibus iis, qui in Christum credebant, sive gentiles essent, sive Judæi. Quia vero Pauli prædicatio ipsis erat contraria, omnibus modis satagebant ejus auctoritatem evertere. Quod ut rescivit Paulus, qui tunc Ephesi morabatur, scripsit ad ecclesias Galatiæ eam, quam adhuc habemus Epistolam, in qua falsos doctores confutat, et doctrinam stabilit, quam jam vidimus in Epistola ad Romanos expositam. E quo loco scripserit Apostolus et quo tempore, lis est inter auctores. S. Hieronymus, et Theodoretus, cum subscriptionibus quorumdam codicum, putant Romæ scriptam fuisse Epistolam in primis Pauli vinculis. Sed quum vinculorum Pauli nulla mentio occurrat in Epistola, magis placet eorum sententia,

(1) Cfr. Windischman, *Aerklaerung, des Briefes an die Galater*, Mainz, 1843.
(2) *Act.* XVI, 6.
(3) *Act.* XVIII, 23.
(4) *Gal.* III, 5.

qui dicunt cum inscriptionibus aliorum codicum scriptam fuisse Ephesi intra illud biennium (anno 55-56), quod ibi Apostolus prædicando transegit. Quæ sententia est Marii Victorini (1), Gregorii Magni et plurium recentiorum (2).

3. *Argumentum*. Docet Apostolus hominem nequaquam ex Lege ejusque cæremoniis sed ex fide operibus conjuncta justificari. Quam propositionem antequam evolvat, primo commendat suam auctoritatem docetque se, quamvis Christum in terra non secutus fuerit, aliis Apostolis nequaquam inferiorem esse, quum divina revelatione immediate a Christo fuerit edoctus et in Apostolum gentium electus. Addit se suam doctrinam contulisse cum aliis præcipuis Apostolis, Petro, Jacobo et Joanne, eosque ipsam probavisse, ac Petrum quidem Legem nequaquam habuisse ut ad salutem necessariam, siquidem quando Antiochiam venit ipse cum gentibus manducavit. Quod si adventu commotus Judæorum a Jerosolymis venientium Petrus a gentilibus recesserit, ex hoc facto non sequitur ipsum judicavisse Legem necessariam, sed timuisse ne exinde Judæi Jerosolymitani offenderentur, imo Paulus ausus est publice ei resistere, quia reprehensibilis erat quod mutavisset suam agendi rationem ob Judæorum adventum (I-II, 15). Deinde docet Apostolus hominem justificari per fidem in Christum, non per Legis observantiam, quod variis argumentis probat (II, 15-V, 13). Denique Galatas hortatur ad amplectendas virtutes, vitiaque fugienda, commendat porro charitatem in proximum et rursus repetit suam propositionem : in Christo nullam vim habere neque circumcisionem neque præputium, sed novam creaturam (VI).

VIII. *De Epistola ad Ephesios*.

1. Ephesus, Asiæ Proconsularis metropolis, templo Dianæ celeberrima, prima doctrinæ christianæ semina accepit a Paulo, quando divus Apostolus suum absolvens secundum iter apostolicum per eam urbem transiit, ut inde Jerosolymam se con-

(1) Ap. Mai. *Script. vet. nov. coll.* t. III, II, p. 1.

(2) Vid. Glaire *Introduct.* t. V, cap. IV, art. 1.; ubi variæ sententiæ exponuntur.

ferret (1). Postea Apostolus, incœpto tertio itinere apostolico, peragratisque superioribus Asiæ Minoris regionibus, rursus Ephesum devenit ibique per tres fere annos doctrinæ evangelicæ propagandæ magno cum fructu allaboravit (2).]

ad 54.) 2. [*Ad quos destinata fuerit ea, quæ est ad Ephesios Epistola.* Autumarunt nonnulli (3) hanc Epistolam destinatam fuisse ad Laodicenos. Huic opinioni præiverat Marcion hæreticus, quem carpit Tertullianus. Alii (4) nulli certæ ecclesiæ scriptam volunt, sed postea fabricatam. Sed certissimum est ad Ephesios directam fuisse hanc Epistolam. Patet hoc ex titulo : *ad Ephesios,* quod legitur in omnibus codicibus græcis atque in omnibus versionibus. Confirmatur ex primis Epistolæ verbis : *Paulus, Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, omnibus Sanctis qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Jesu.*]

3. Sancti Patres unanimiter testantur hanc Epistolam ad Ephesios fuisse destinatam. Inter eos primus occurrit S. Ignatius, qui diu cum Apostolis conversatus et apud se habens præcipuos quosdam fideles ecclesiæ Ephesinæ, apprime cognoscere debebat de hac re veritatem. Is in *Epist. ad Ephes. XII,* tanquam rem Ephesiis certissimam, allegat Pauli Epistolam ad Ephesios. Sic enim eos alloquitur : « Pauli Symmistæ, qui sanctificatus, martyrium consecutus et digne beatus est, ad cujus vestigia contingat mihi ut inveniar, quando Dei particeps fio, qui *tota Epistola memor vestri est in Christo.* » Habebant igitur Ephesii Pauli Epistolam, in qua continuo eorum memor erat Apostolus in Christo Jesu. Quod recte in Epistolam quam habemus quadrat. Tertulliani (5) habemus duo testimonia omni exceptione majora : « Prætereo, inquit, hic et de alia (Pauli) Epistola, quam nos ad *Ephesios* præscriptam habemus, hæretici vero ad Laodicenos. » Et infra : « *Ecclesiæ quidem veritate Epistolam istam ad Ephesios* habemus emissam, non ad Laodicenos, sed Marcion ei titulum aliquando interpolare gestiit, quasi et in isto diligentissimus explorator. Nihil autem de titulis interest, cum ad omnes Apostolus scripserit dum ad quosdam. »

(1) *Act.* XVIII, 20.
(2) *Act.* XX, 31.
(3) Millius, Wetstenius, Paley, Benson, ap. Glaire.
(4) Inter hos De Wette, *Einleit.* § 145.
(5) *Advers. Marcion.* V, 11, 17.

Recenset deinde Tertullianus præcipuas illius Epistolæ sententias. Pariter Irenæus (1) et Clemens Alexandrinus (2) Epistolam hanc ad Ephesios directam testantur.

4. *Obj*. In primo Epistolæ versiculo : *Sanctis qui sunt Ephesi et fidelibus in Christo Jesu,* deest vox *Ephesi* (ἐν Ἐφέσῳ) in codice Sinaitico, in codice Vaticano legitur tantum in margine a secunda manu.

5. *Resp*. Sed alii codices et versiones voces ἐν Ἐφέσῳ habent. Favet igitur auctoritas codicum. Præterea quamvis codex Vaticanus voces illas in textu omiserit, habet tamen in Epistolæ inscriptione : *ad Ephesios,* πρὸς Ἐφεσίους. Igitur dicendum est codicem Vaticanum etiam testari Epistolam Ephesiis fuisse destinatam. Objicitur etiam S. Basilius qui voces ἐν Ἐφέσῳ asseruerit fuisse omissas in antiquis exemplaribus. En ejus verba (3) : « Sed et Ephesiis cum scriberet, eos per excellentiam nominavit *existentes* (ὄντες) tanquam qui ei, qui est, vere essent per agnitionem conjuncti. Quippe ait : Sanctis *qui sunt* τοῖς οὖσιν, *et fidelibus in Christo Jesu.* Sic enim et qui ante nos fuere tradiderunt, et nos in antiquis exemplaribus invenimus. » Putaverim tamen S. Basilium non asseruisse voces ἐν Ἐφέσῳ defuisse in antiquis exemplaribus, sed quum disputet de voce οὖσι *qui sunt,* significare voluisse illam vocem in antiquis exemplaribus lectam fuisse ; quasi nempe diceret : in Epistola ad Ephesios non simpliciter dicitur : *Sanctis qui in Epheso* τοῖς ἐν Ἐφέσῳ, sicut in Epistola ad Colossenses dicitur τοῖς ἐν Κολοσσαῖς, *qui in Colossis;* sed additur *Sanctis qui sunt* τοῖς οὖσι. Voluerit igitur significare Basilius vocem οὖσι repertam fuisse in antiquis exemplaribus. De vocibus ἐν Ἐφέσῳ nihil asseruerit. Ceterum S. Basilius hanc Epistolam ad Ephesios destinatam fuisse asseruit initio hujus loci ; nam dixit : « Sed et Ephesiis cum scriberet. » Eodem fere modo loquitur S. Hieronymus in Commentario ad hunc locum.

6. *Objicit* De Wette Epistolam, ut ex contextu apparet, directam fuisse ad Ethnicos (4) cum quibus Paulus non instituerat familiare commercium, siquidem ipse de illis et illi

(1) *Contra hær.* V, 2, 3.
(2) *Strom.* IV, 499.
(3) *Adv. Eunom.* I, 234.
(4) Vid. capp. II, 11-19; III, 1; IV, 17, 22.

de ipso solummodo audierant (I, 15, III, 2). Jam vero communitas Ephesina, partim ex gentibus partim ex Judæis constabat (1), et Apostolus cum iis familiares relationes habuerat (2). Præterea si Paulus ad Ephesios scripsisset, videtur quod in salutatione non omisisset nomen Timothei, Ephesiis conjunctissimi, qui ad ipsum tunc Romæ aderat, sicut illud non omisit scribens ad Colossenses. Ex his sequitur Epistolam non fuisse Ephesiis destinatam.

7. *Resp.* Etiamsi eæ De Wettii conjecturæ fundamentum haberent, non valerent tamen vim infringere unanimis veterum traditionis, qua asserunt Epistolam fuisse ad Ephesios directam. Sed conjecturæ allatæ nonnisi in falsa verborum Apostoli interpretatione reponuntur. Equidem De Wettio assentimur Epistolam, non ad Judæos præsertim sed magis ad gentiles, fuisse directam, sed bene fieri potuit ut Apostolus ad gentiles istius ecclesiæ præcipue scriberet, quamvis in illa ecclesia essent etiam Judæi. Potuit Apostolus aliquam peculiarem habere rationem ut gentiles exhortaretur eosque instrueret. Quod autem asserit De Wette neque Paulum fuisse cognitum iis, neque eos Paulo, hoc nullibi in Epistola dicitur. Nam quæ I, 15 dicuntur : *propterea ego audiens fidem vestram* non significant Paulum solummodo de iis audivisse et nondum eos vidisse, sed, ut interpretatur Estius, hunc habent sensum : cum audissem fidem vestram, qua, me prædicante, in Christum credidistis, integram esse, nec corruptam per falsos magistros, nec turbatam per vincula mea..... non cesso gratias agere, etc. » Quod autem Apostolus (III, 2) dicit : *Si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei quæ data est mihi in vobis*, verba non sunt dubitantis, sed affirmantis. Sensus Apostoli est : Quandoquidem audistis, vos Ephesii, quemadmodum dispensatione ac providentia divina concreditum mihi fuit apostolicum munus Evangelii vobis gentibus prædicandi (3). Quod autem Timothei nomen non occurrat in hac Epistola, sicut occurrit in Epistola ad Colossenses, hoc variis de causis, vel quia absens erat Timotheus, vel ob aliud impedimentum nobis incognitum fieri potuit. De Wettii

(1) *Act.* XIX, 8, 10, 17.
(2) *Act.* XX, 17.
(3) Vid. Estium ad h. l.

igitur conjecturæ nullius sunt valoris ad infringendam veterum traditionem (1).

8. *An ad solos Ephesios directa fuerit Epistola?* Jam vidimus sanctum Paulum scripsisse simul ad omnes Galatiæ ecclesias, et in secunda ad Corinthios simul admonuisse universos Achaiæ fideles, quare probabile etiam videtur Epistolam ad Ephesios simul directam fuisse ad omnes ecclesias Asiæ Proconsularis, cujus Ephesus metropolis erat. Hanc forte ob causam, quia scilicet Epistola circularis erat, seu ad totam provinciam spectabat, particulares salutationes omissæ fuerunt ad finem Epistolæ, sicut factum videmus in Epistola ad Galatas et in secunda ad Corinthios. Hinc fortasse ratio intelligenda est cur Marcion hanc Epistolam ad Laodicenses inscripserat, quia nempe non solum ad Ephesios missa fuerit sed etiam ad Laodicenos. Quare nonnulli putant S. Paulum de Epistola ad Ephesios loqui ubi ad Colossenses scribit : *Quum lecta fuerit apud vos Epistola hæc, facite ut et in Laodicensium ecclesia legatur; et eam quæ Laodicensium est vos legatis* (2).

9. *Locus et tempus.* Omnes conveniunt Epistolam a Paulo, dum Romæ captivus detinebatur, fuisse conscriptam. Nam ipse sæpius mentionem ingerit suorum vinculorum (3). Quod etiam in subscriptionibus codicum asseritur. Sed dubium movetur an Paulus eam scripserit in primis suis vinculis romanis circa annum 61-62, vel in secunda captivitate paulo ante mortem. Probabilior videtur sententia eorum qui asserunt hanc Epistolam in prima Pauli captivitate conscriptam fuisse. Nam nullibi mentionem facit mortis instantis, sed e contra se Ephesiorum orationibus commendat sperans se e carcere liberatum adhuc prædicaturum Christi fidem (*Eph.* VI, 19). Præterea mittit Apostolus hanc Epistolam per Tychicum, per quem etiam ad Colossenses scripsit. Quum autem Epistola ad Colossenses in primis Pauli vinculis scripta fuerit, exinde etiam colligitur illam, quæ est ad Ephesios, fere eodem tempore scriptam et simul cum Epistola ad Colossenses in Asiam missam. Quænam

(1) Cfr. Glaire, *Introduct.* t. V, c, V, art. 1.

(2) Cfr. Glaire, *Introduct.* t. V, c. V. art. 1, qui in hanc rem citat peculiarem J. C. Huth dissertationem.

(3) *Ephes.* III, 1; IV, 1; VI, 20.

ad 55.

ad 56.

potissimum causa divum Apostolum ad scribendum impulerit non constat.

10. *Argumentum.* Quæ in hac Epistola docet Apostolus sic contrahit Estius : collaudat Apostolus Ephesiorum fidem, ita tamen ut plenius eos instruat de præcipuis fidei mysteriis olim absconditis, velut de redemptione et justificatione nostra per mortem Christi, de vocatione gentium, de prædestinatione gratuita, de glorificatione Christi et corporis ejus quod est Ecclesia : et hæc quidem fere usque ad quartum caput, a quo deinceps ad moralem doctrinam accedens, præscribit formam quamdam exactam vitæ christianæ, in qua viros, uxores, parentes, liberos, dominos, servos officii quosque sui diligenter admonet; et ad extremum, omnes tanquam in Christi militiam adscriptos, adversus impugnationes dæmonum, armis instruit spiritualibus.

11. *Epistola ad Ephesios authentica est.* Negarunt De Wette, Schwegler, et Baur, hoc præsertim fundamento nixi, quod ad Ephesios non fuerit destinata, quod proprio scopo destituta mera sit Epistolæ ad Colossenses amplificatio, quod denique incohærentia, stylus, sententiæ, prodant opus alicujus Pauli imitatoris (1).

12. Sed allata argumenta nullius prorsus sunt roboris. Idcirco plurimi Rationalistarum, ut Guericke, Hemsen, Schneckenburg, Ruckert, Harless, Neander, Anger, Epistolam authenticam esse defenderunt. Etenim jam probavimus eam ad Ephesios fuisse directam et simul ostendimus antiquissimos Ecclesiæ Patres eam ut proprium Pauli fœtum recepisse. S. Polycarpus etiam quædam verba ex Epistola ad Ephesios sub nomine Scripturarum adduxit (*Epist. ad Phil.* XII). Prolata autem ab adversariis argumenta nequaquam valere possunt contra unanimem istam antiquitatis traditionem. Porro quod in multis Epistola ad Ephesios conveniat cum illa ad Colossenses, hoc impedire nequit quin eam Paulo tribuamus. Nonne potius exinde contrarium eruitur? Epistola ad Colossenses Pauli esse agnoscitur, jam autem Epistola ad Ephesios eamdem continet doctrinam, iisdem sæpius verbis expressam, easdem eodem fere ordine quæstiones tractat, eumdem igitur prodit auctorem, nisi quis velit S. Paulum non potuisse eumdem argumentum

(1) Vid. De Wette, *Einleit.* § 146.

in una Epistola fusius, in altera parcius, prout circumstantiæ exigebant, tractare. Argumenta igitur ab adversariis prolata, nedum auctoritati Epistolæ detrahant, eam potius confirmant.

VIII. *De Epistola ad Philippenses* (1).

1. *De ecclesiæ Philippensis primordiis.* Urbs Philippi in Macedonia, in finibus Thraciæ sita, hunc consecuta est honorem quod in ea Paulus primam suam Evangelii in Europa prædicationem habuit. Divus Paulus, quum, peragrata Asia, secundum iter apostolicum prosequeretur divinitus admonitus, una cum sociis, in Macedoniam venit, Philippos adiit, ibique Evangelium pro more suo primum Judæis prædicavit et mulierem, nomine Lydiam, cum omni domo sua baptizavit. Quum autem Paulus publice dæmonium fatidicum ejecisset ex muliercula quadam, quæ divinando quæstum non mediocrem afferebat dominis suis; illi persecutionem moverunt adversus Paulum, qui a magistratibus cum ejus socio Sila in carcerem conjectus fuit. Media autem nocte, subito ingens factus est terræmotus, quo januæ carceris patefactæ fuerunt et captivorum vincula soluta. Carcerarius, e somno excitatus et omnes vinctos effugisse ratus, gladio necem sibi inferre volebat. Sed Paulus, ostendens aufugisse neminem, eum impedivit, illi doctrinam christianam exposuit eumque baptizavit cum domo sua (2). Ecclesia Philippensis nova statim cœpit incrementa. Paulus postea Philippenses semel ac iterum visitavit (3), et non est dubium quin hoc fidei dilatandæ multum profuerit. Ceterum, quo tempore scripta est hæc Epistola, Philippenses jam coaluisse in justum ecclesiæ corpus, id quidem satis docet ipsa Epistolæ inscriptio : *Paulus et Timotheus, omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus.* Ecclesia porro Philippensis, maximam quidem partem, ex Gentilibus coaluerit, attamen, cum inter cives Philippenses etiam essent Judæi (4), pronum est judicare, etiam horum nonnullos fuisse qui Christo nomen tunc dederint.

(1) Cfr. Beelen, *Commentar. in Epist. ad Philippenses.* Lovanii, 1852.
(2) *Act.* XVI, 12-40.
(3) *Act.* XX, 1-7.
(4) *Act.* XVI, 13.

2. *Locus, tempus et causa scribendi Epistolam.* Paulo post quam Philippenses suos secunda vice revisisset Apostolus, Hierosolymam profectus est; hinc vero a Julio centurione vinctus Romam deductus est ibique in carcerem conjectus. Itaque Philippenses cum accepissent Paulum, quem imprimis diligebant, Romæ captivum detineri, Epaphroditum cum pecuniario subsidio ad eum ablegaverant. Ex Epaphrodito autem Apostolus tunc didicerit, in universum quidem maximopere laudandos esse Philippenses ob vitam eorum bene christianam; attamen non deesse inter eos qui superbia intumescerent, indeque natam fuisse hic illic quamdam animorum discordiam. Ab eodem præterea edoctus fuerit, monendos esse Philippenses, ut sibi caverent a certis quibusdam doctoribus judaizantibus. Ergo ut hoc periculum depelleret, et illi malo mederetur, Apostolus ad Philipenses suam dare voluerit exhortatoriam Epistolam, quam afferret Epaphroditus, jamjam Philippos reversurus (1).

3. Quod hæc Epistola, durante prima Pauli captivitate romana, scripta fuerit plurima demonstrant. Etenim Apostolus pluries mentionem facit suorum vinculorum (I, 7) et prætorii (I, 14), et salutat Philippenses nomine omnium *Sanctorum*. qui de Cæsaris domo sunt (IV, 22). A Roma scriptam Epistolam testantur in subscriptionibus codices B** KL, versio Vulg. in codd., versio syriaca, utraque coptica, S. Chrysostomus, Athanasius in Synopsi, Theodoretus et Euthalius. Scriptam autem fuisse in prioribus Pauli vinculis colligitur ex eo quod Apostolus scribit scire se ex captivitate liberandum, et permansurum se ad Philippensium profectum. Hinc patet erravisse OEderum et Paulum Heidelbergensem, quorum hic Cæsareæ, ille vero Corinthi Epistolam hanc conscriptam fuisse opinati sunt.

4. *Argumentum* ita exponit Ill. D. Beelen. Præmissa salutatione, declaratoque suo erga Philippenses amore, eosdem edocet, vincula sua promovendæ rei evangelicæ mirifice profuisse. Deinde significat certo se sperare, fore ut brevi ex suis vinculis liberetur, eosque invisere possit. Tum flexa ad cohortationem oratione, eosdem cum ad alias virutes, tum imprimis ad concordiam animique modestiam, enixe adhortatur proposito etiam exemplo Jesu Christi, cujus et humilitatem et subsecutam glo-

(1) Ita Ill. D. Beelen, *Prolegom. in Epist. ad Philipp.*

riam ibi explicat. Post hæc, gravissime eos admonet ut sibi caveant a doctoribus judaizantibus, unaque docet, veram justitiam non a Lege sed a fide esse repetendam. Declarat ibi quoque Apostolus, se in stadio vitæ christianæ ad propositum præmium gnaviter currere, atque ad sui imitationem Philippenses suos invitat, observatque, Christianos, qui quidem tales esse velint quales esse debent, non terrena sapere sed cœlestia, neque in terris versari sed potius in cœlis, unde et venturum expectant Christum Dominum remuneratorem. Tandem peculiariter matronas duas, Evodiam et Syntichen, ad concordiam, et generaliter omnes ad variarum virtutum studium exhortatus, post gratias actas ob Philippensium erga se liberalitatem, Epistolam claudit.

IX. *De Epistola ad Colossenses.*

1. *De ecclesia Colossensi.* Colossæ urbs erat in Phrygia non multum a Laodicéa et a Hierapoli distans. Tempore Herodoti florentissima, multum imminuta erat quando lux evangelica primos suos radios in eam direxit. Hodie non remanent nisi ruinæ. Ex Epistola videtur colligi Colossenses non ab ipso Paulo sed ab ejus discipulo Epaphra doctrinam evangelicam accepisse. Refert enim Apostolus se gratias agere Deo, audita fide Colossensium in Christo, quæ fides inter eos fructificavit *ex ea die qua audistis, inquit, et cognovistis gratiam Dei in veritate, sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo nostro* (I, 7). Addit porro (II, 1) : *Volo vos scire, qualem sollicitudinem habeam pro vobis, et pro iis qui sunt Laodiceæ, et quicumque non viderunt faciem meam in carne.* Quibus verbis S. Paulus videtur Colossenses annumerare iis qui non viderunt faciem ejus. Epaphras Colossensis erat et multum ipse impenderat laboris in convertendis Colossensibus et Laodicensibus et Hierapoleos incolis, quod divus Apostolus ad finem Epistolæ testatur (IV, 13) : *Testimonium enim illi perhibeo quod habet multum laborem pro vobis, et pro iis qui sunt Laodiceæ et qui Hierapoli.*

2. *Epistolæ occasio, tempus et locus.* Quum Paulus Romæ captivus detineretur (1), venit ad eum Epaphras eique indicavit

(1) *Coloss.* IV, 18.

statum ecclesiæ Colossensis. Porro Colossenses, fide et ratione vivendi bene christiana plurimum se commendabant. Aliquam tamen perturbationem eis attulerant quidam doctores ex Judæis qui doctrinam evangelicam philosophia quadam gnostica adulterabant et cum fide Christi et vita evangelica servare volebant circumcisionem aliasque Legis cæremonias. Contra hos doctores Paulus Colossenses præmonere voluit eosque simul ad virtutes hortari, mittens Epistolam. Scripta est igitur Epistola in urbe Roma, eo tempore, quo prima vice captivus ibi per biennium Apostolus permansit. Roma scriptam etiam testantur codices AB** KL, nonnulli minusculi, et versiones syriacæ in subscriptionibus, ex quibus etiam colligitur missam fuisse Epistolam per Tychicum et Onesimum.

3. *Argumentum.* Convenit in plurimis hæc Epistola cum illa ad Ephesios. Post actas Deo gratias de Colossensium fide, Apostolus docet hominibus unum mediatorem esse Christum, Dei filium atque omnium etiam angelorum creatorem, qui nos cum Deo reconciliavit in sanguine suo, factus Ecclesiæ caput. Monet deinde Colossenses ut sibi caveant a falsa sapientia, monet judaicas et philosophicas observationes cum Evangelio minime miscendas esse, eas ad sanctificationem nostram nihil valere (I-II). Reliqua Epistolæ pars parænetica est; hortatur Apostolus Colossenses ad fugienda vitia, exercendas vitutes, monet mulieres ut subditæ sint viris suis, viros ut diligant uxores suas, filios ut obediant parentibus, patres ut bene se gerant erga filios, servos ut serviant fideliter dominis suis, dominos ut servis justam retribuant mercedem, omnes ut orationi assidue vacent. Clauditur Epistola variis salutationibus (III-IV).

X. *De duabus ad Thessalonicenses Epistolis.*

1. *De ecclesiæ Thessalonicensis primordiis.* Thessalonica, nunc *Salonichi,* una erat ex præcipuis Macedoniæ urbibus, quando Paulus e Philippis ejectus in eam advenit Evangelium prædicaturus. Constabat porro ea urbs, maximam partem, ex ethnicis, quibus immixti erant, sicut in aliis Græciæ urbibus, nonnulli [illegible]lus pro more suo ad Judæos primo ingressus est, et [illegible]tinuo sabbata ex Scripturis demonstrare ipsis sata-

gebat Messiam promissum esse Jesum a mortuis redivivum. Quidam ex Judæis crediderunt; ex proselytis vero et etiam gentilibus multitudo magna et non paucæ mulieres nobiles fidem amplexæ sunt (1). Mota est vero a Judæis incredulis seditio adversus Paulum, qui coactus est inde alio se transferre. Quum porro Athenis degeret Paulus, misit ad Thessalonicenses Timotheum, qui eos confirmare et consolari debebat ne moverentur in tribulationibus. Timothæus, postquam Thessalonicenses visitasset, ad Paulum rediit cum Corintho degeret eique ecclesiæ istius statum exposuit (2).

2. *Epistolæ 1ª scribendæ occasio, tempus et locus.* Quum igitur Apostolus a Timotheo didicisset quantam Thessalonicenses haberent fidem, et quantum desiderarent ipsum Paulum, quem valde diligebant, rursus videre, et quum aliunde impediretur Apostolus ne ad eos juxta suum desiderium se conferret, cognoscens eos indigere aliqua exhortatione et monitione, scripsit primam suam Epistolam ad Thessalonicenses. Scripta igitur fuit Corintho, durante secundo Pauli itinere apostolico, circa annum 53-54. In subscriptionibus codicum græcorum scripta dicitur ab Athenis, sed quum ex Epistola constet scriptam fuisse post adventum Timothei, et quum Timotheus ad Paulum venerit postquam reliquerat Athenas, standum est pro Corintho. Ratione ergo temporis prima est inter Epistolas Paulinas.

3. *Argumentum.* Post salutationem nomine suo, Timothei et Silvani gratulatur Apostolus Thessalonicensibus de studio eorum in accipienda et propaganda fide (I). Eos collaudat quod inter domesticas persecutiones in accepta fide fideles permansissent, et interim suæ personæ commendationem admiscet, ut, qui non solum pure et sincere Christum ipsis annuntiasset, verum etiam ne eos gravaret, a sumptu accipiendo abstinuisset : simul autem suum in eos amorem, suasque pro illis ad Deum preces aperit (II-III). Deinde eos hortatur ad virtutem revocatque ab immoderata tristitia, qua mortuos lugebant quasi qui omnino periisent, et certissima spe resurrectionis, cujus et modum describit, consolatur (IV-V).

4. *Epistolæ 2ª scribendæ occasio, tempus et locus.* Cum divus

(1) *Act.* XVII, 1, 5.
(2) *Act.* XVIII, 5; *I Thessal.* III, 2.

damnent; hortatur Timotheum ut fabulas spernat, pietatem exerceat, Scripturas sacras assidue legat, fidem prædicet (IV). Monet quomodo Timotheus gerere se debeat erga singulos fideles pro diversitate ætatis et sexus, et in specie erga viduas et erga presbyteros (V); quomodo instruere debeat servos ut dominis obediant, sive fideles sint illi, sive infideles. Denique hortatur ipsum rursus ad pietatem et revocat divites ad humilitatem (VI).

5. *Locus, tempus et causa scribendi II Epistolam.* Paulum eam Romæ scripsisse, dum in hac urbe captivus detinebatur, ex ipsa Epistola certissimum est. Apostolus quippe non solum affirmat (I, 8) se *vinctum,* sed insuper ait (I, 16-18) se in suis catenis refrigerium accepisse ab Onesiphoro, qui Romam veniens sollicite eum quæsivit donec inveniret (II, 9; IV, 6, 16). Porro divus Apostolus Epistolam direxit ad Timotheum, ut eum de suo officio erudiret atque incitaret ad veniendum Romam apud se. Timotheus tunc morabatur Ephesi, ut colligitur ex pluribus Epistolæ locis (I, 15, 18; IV, 19). Jubet enim Apostolus salutare domum Onesiphori, qui Ephesi habitabat (I, 18). Jubet etiam salutare Aquilam et Priscillam qui probabiliter in hac urbe habitabant, simulque ipsi in memoriam revocat quædam ad ecclesias Asiæ pertinentia.

6. Quum divus Paulus bis Romæ in vincula fuerit conjectus, ut supra probavimus, quæritur an, durante priore captivitate vel durante posteriore, Epistola fuerit conscripta? Plurimi interpretum tenent Epistolam in posterioribus Pauli vinculis scriptam fuisse paulo antequam ad mortem duceretur, juxta quod Apostolus ipse ait : *Ego enim jam delibor et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi* (IV, 6). Insuper mentionem ingerit prioris captivitatis (IV, 16) : *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me reliquerunt : non illis imputetur.* Præterea plures difficultates historicæ impedire videntur quominus Epistolam in prima captivitate conscriptam fuisse putemus. Etenim quando Apostolus scribebat, Demas et Tychicus Roma aberant (1). Jam autem Romæ aderant quando Paulus in prima captivitate scripsit ad Colossenses. Præterea Timotheus et Marcus apud Apostolum erant quando

(1) *II Tim.* IV, 9, 11, 12.

scripsit ad Philemonem, ad Philippenses et Colossenses (1). Illæ porro Epistolæ ad finem captivitatis Pauli scriptæ existimantur. Si igitur Paulus scripserit hanc secundam ad Timotheum Epistolam, durante prima captivitate, eam scripsisse dicendus est in initio suæ captivitatis. Sed hoc non videtur admitti posse. Nam quando Apostolus scripsit, jam transierat prima ejus defensio, jam finem tanquam brevi futurum exspectabat (2). Præsertim autem quæ (IV, 13, 20) de penula Troade relicta, quam afferre jubet, et de Trophimo, quem reliquerat Mileti infirmum, aliud innuunt iter ab Apostolo susceptum quam illud quod fecit ante sua priora vincula quodque in Actibus Apostolorum depingitur. Admittendum igitur, Apostolum, prioribus vinculis solutis, aliquod iter in illas regiones suscepisse, in quo itinere penulam reliquerit Troade et Trophimum Mileti infirmum : porro Romæ rursus captivus, Paulus ad Timotheum scripserit de istis rebus. Videtur igitur admittendum Epistolam ad Timotheum secundam in secunda Apostoli captivitate fuisse conscriptam et ultimo loco venire inter Epistolas Paulinas. Subscriptiones codicum KL aliorumque permultorum græcorum et latinorum cum Eusebio, Chrysostomo, Hieronymo et Theodoreto, diserte hanc sententiam firmant (3).

7. *Argumentum.* Pergit Apostolus, quod in præcedenti Epistola jam fecerat, instruere Timotheum de officiis illius qui curam gerit animarum. Et primo quidem hortatur illum ut ad se veniat, illique animum addit ut constanti animo collaboret Evangelio sine timore, ut bonus miles Christi ; deinde docet vitandam contentionem, fugienda juvenilia desideria, sectandam vero fidem et charitatem. Simul autem invehitur in Hymeneum et Philetum qui resurrectionem jam factam esse docebant (I-II). Deinde prædicit futuros esse falsos doctores variis involutos peccatis, et excitat Timotheum ut constans permaneat

(1) *Col* I, 1; *Philip.* I, 1; *Philem.* I.

(2) *II Tim.* IV, 6.

(3) Sic porro se habent subscriptiones codd. KL : *Secunda ad Timotheum ecclesiæ Ephesiorum consecratum episcopum, scripta Romæ quando Paulus secunda vice comparuit coram Cæsare Nerone.* Ita etiam codex S et alii permulti græci et latini ; ita etiam versio syriaca posterior. Ita denique Eusebius, *Hist. Eccl.* II, 22, Theodoretus, *Comm. ad h. l*, Chrysostomus et Hieronymus, *de Vir. illust.* 5.

in virtute et lectione sacrarum Scripturarum, et instet prædicationi in spe æternæ vitæ (III-IV).

8. *Titus et insula Cretensis.* Titus ex parentibus gentilibus natus erat (1). Divus Paulus cum se conferret ex Antiochia Jerosolymam ad interrogandos Apostolos de observatione legis Mosaicæ ritualis secum assumpsit Titum, quem non coegerunt Apostoli ut circumcisionem acciperet. Adeo carus erat Apostolo Titus, ut S. Paulus de eo dixerit ad Corinthios (2) se non habuisse in Troade requiem, quia ibi non invenerat fratrem suum Titum. Porro Apostolus tertium peragens iter apostolicum misit, ut videtur ab Epheso, Titum ad Corinthios, quibus Titus gratissimum se præstitit. Debebat Titus ad Apostolum Troadem venire, sed ipsi occurrit dumtaxat in Macedonia, a quo cum S. Paulus statum ecclesiæ Corinthiacæ didicisset rursus eum Corinthum ablegavit (3). Postea Titus Romam ad Apostolum se contulit, unde in Dalmatiam missus est (4). Insulæ Cretæ episcopus constitutus ibi relictus ab Apostolo fuit, ut ea quæ deerant corrigeret et constitueret per civitates presbyteros (I, 5). Titus, ut ex Hieronymo discimus, cœlebs permansit, mortuusque est, juxta Eusebium (5), in insula Creta annos natus 94. Insula Creta, hodie *Candia,* olim florentissima fuit. Romana provincia facta erat Judæosque plures inter suos cives numerabat quando Christi fides propagari cœpit. Quisnam primus Cretensibus fidem annuntiaverit non constat; fortasse illi fuere Cretenses qui Jerosolymis aderant in die Pentecostis (6). S. Paulus in hac insula Evangelium annuntiavit et, constitutis ecclesiis in variis civitatibus, reliquit ibi Titum ut opus incœptum perficeret.

9. *Locus, tempus et causa scribendæ Epistolæ ad Titum.* Non satis constat quonam loco aut quonam tempore scripta fuerit Epistola ad Titum. Quare multum variant in hac quæstione sententiæ auctorum. In subscriptionibus plurium codicum HKLS et in versionibus coptica et syriaca posteriore legitur scriptam esse e Nicopoli in Macedonia. De tempore autem alii putant

(1) *Gal.* II, 1-3
(2) *II Cor.* II, 13.
(3) *II Cor.* II, 12; VII, 6-15; VIII, 16-24.
(4) *II Tim.* IV, 10.
(5) *Hist. Eccl.* III, 4.
(6) *Act.* II, 1.

Epistolam scriptam durante tertio itinere apostolico, quando Paulus, postquam Ephesum reliquisset, venit in Macedoniam; alii autem post priora Pauli vincula romana, quando Paulus venit rursus in Macedoniam.

10. *Argumentum.* Agit rursus Apostolus de officiis eorum qui curam animarum gerunt. Et primo quidem Tito in memoriam revocat quod Cretæ ipsum reliquerit ut incœptum opus perficeret, ea quæ deerant corrigeret atque presbyteros per civitates constitueret. Docet quibus dotibus ornati esse debeant episcopi et presbyteri, quomodo edocere debeant fideles juxta varias vitæ conditiones, monet fugiendos falsos doctores et judaicas fabulas, atque obedientiam præstandam principibus.

11. *De auctoritate trium S. Pauli Epistolarum pastoralium.* A quo tempore Schleiermacher, (1807) primam ad Timotheum Epistolam impugnavit, aliæ duæ Epistolæ pastorales vel in toto vel in parte impugnatæ fuerunt. Eichhorn (1812) tres Epistolas in dubium revocavit. Secuti sunt Baur (1835) et alii quos citat et sequitur De Wette (1). Epistolarum autem authentiam cum catholicis defenderunt Wieseler, Delitzch, Doumergue et alii apud De Wette.

12. Hic rursus illud, quod jam sæpe alibi, observamus, Rationalistas ad impugnandas pastorales Epistolas nonnisi conjecturas afferre et talia argumenta quæ sibi invicem opponuntur; sæpius etiam quod ab uno affertur argumentum ab altero tanquam invalidum destruitur et rejicitur. Objiciunt plures in tribus istis Epistolis adhiberi voces quæ alibi vel non adhibentur vel alias notiones exprimunt, sed quid mirum si Apostolus, quia de alia re agebat, alias voces, aut vocum significationes adhibuerit? Si rejicienda foret aliqua Epistola quia in illa adhibentur voces alibi non adhibitæ, rejiciendæ essent omnes Epistolæ. Objicitur etiam quod differant doctrina atque sententiæ Epistolarum pastoralium a doctrina et notionibus aliarum Epistolarum. Sed quia Apostolus in tribus hisce Epistolis de pastorali animarum cura agit, in aliis autem non agit, necesse fuit ut et alia præcepta, alias veritates aperiret, quæ in aliis Epistolis scribenda non erant, quia occasio non dabatur. Ceterum do-

(1) *Einleit.* 155.

ctrina Epistolarum pastoralium contraria nullatenus est doctrinis alibi ab Apostolo expositis. Imo sæpius occurrunt in tribus hisce litteris, quod adversarii fateri debent, non solum præcepta et sententiæ cum aliis scriptis Paulinis prorsus consonantia, sed plurimæ voces et locutiones prorsus eædem sunt, ita ut adversarii fateri cogantur illas Epistolas opus esse alicujus qui Apostolum fuerit imitatus, vel, quod Schottio placuit, alicujus, qui, ut Lucas, jussu Apostoli, eas scripserit.

13. Merito igitur a tota retro antiquitate tres Epistolæ pastorales tanquam divi Pauli opus genuinum receptæ fuerunt. Nam, ut taceamus testimonia S. Clementis Romani et S. Ignatii (1), quæ non ita certo probant rem demonstrandam, habemus S. Polycarpum qui in *Epist ad Philip.* c. 3, 4 et 12 recitat verbotenus locum *I Tim.* II, 1-2; VI, 7, 10; Theophilum *ad Autolyc.*. III, 14 qui sub nomine sacræ Scripturæ recitat locum *I Tim.* II, 2. S. Irenæus (2) non solum propria divi Apostoli verba recitat sed nominat duas ad Timotheum Epistolas et asserit Paulum eas scripsisse, quemadmodum et Epistolam ad Titum cujus verba refert. Concinunt Clemens Alexandrinus (3), Tertullianus, canon Muratorii, S. Philastrius, alii de quibus supra (4). S. Hieronymus , *Comment. in Tit.* procem., ait : « Licet non sint digni fide, qui fidem primam irritam fecerunt, Marcionem loquor et Basilidem et omnes hæreticos.... Ut enim de ceteris Epistolis taceam, de quibus quidquid contrarium suo dogmati viderunt, eraserunt, nonnullas integras repudiandas crediderunt, *ad Timotheum* videlicet *utramque, ad Hebræos* et *ad Titum* ... sed Tatianus, Encratitarum Patriarcha, qui et ipse nonnullas Pauli Epistolas repudiavit, *hanc vel maxime,* hoc est, *ad Titum, Apostoli pronuntiandam credidit,* parvipendens Marcionis et aliorum, qui cum eo in hac parte consentiunt, assertionem. »

(1) Cfr. S. Clement. *Epist. I ad Cor.* 2 et 29 cum *I Tim.* II, 8; *Tit.* III, 11; S. Ignatii *Epist. ad Ephes.* cum *II Tim.* II, 8. Alios textus indicat Kirchofer, *Quellensammlung,* XXII-XXIV.

(2) *Contra hær.* I. *proœm. et* III, III, 3 4.

(3) Clemens *Pædag.* II, 2, 3, 11, 12, citat *I Tim.* V, 23; VI, 10; II, 9, 10; IV, 6-8; *Stromat.* I, 1, 10 citat *II Tim.* I, 2, 15; *II Tim.* II, 14, 16, 17, 22; *Strom.* I, 8. citat *Tit.* I, 10; etc.

(4) Vide supra p. 351, sqq.

XII. *De Epistola ad Philemonem.*

1. Philemon, civis Colossensis, servum habebat nomine Onesimum, qui, cum res nonnullas domino suo furto abstulisset, aufugit Romam, ubi, divina disponente gratia, a Paulo conversus et baptizatus fuit (1). Apostolus tunc Romæ in prioribus suis vinculis erat (2) sperabatque se brevi liberandum (3); nolens porro Apostolus Onesimum, invito Philemone, Romæ detinere (13-14), ipsum ad herum suum remisit, eique, ut a Philemone veniam obtineret, hanc ad Philemonem dedit Epistolam. Exinde ejus argumentum et scopus intelliguntur. Veteres nonnulli de canonica auctoritate hujus Epistolæ dubia moverunt, male prætextentes ejus brevitatem, simplicitatem, argumenti humilitatem et styli diversitatem, quæ difficultates ab Hieronymo, Chrysostomo aliisque antiquis Patribus solutæ sunt. Epistola isthæc tenerrimam christianæ amicitiæ charitatem spirat.

XIII. *De Epistola ad Hebræos* (4).

1. De Paulinis Epistolis, quas hucusque recensuimus, nunquam serio dubitatum fuit quin divinæ essent auctoritatis Paulumque haberent auctorem ac græca lingua conscriptæ essent. Una ad Hebræos Epistola de hisce tribus in controversiam vocata est. Ut hæc omnia rite discutiantur, exposito Epistolæ argumento, dicemus successive de ejus auctoritate canonica, de auctore, de lingua et denique de loco et tempore et ad quos conscripta fuerit.

2. *Argumentum*. Epistola *ad Hebræos* partim *dogmatica*, partim *exhortatoria* est; qua dogmatica docet Christi dignitatem, officium et sacerdotium sacerdotio levitico multum excellentius, qua consolatoria hortatur Hebræos ad perseverantiam in fide Christi et tolerantiam persecutionum.

3. Et primo quidem docet Christum, N. T. auctorem, mul-

(1) *Philem.* 10.
(2) *Philem.* 1, 10, 13.
(3) *Philem.* 22.
(4) Cfr. Estius, *Comment. in Epist. ad Hebr. Prolegom.*

tum præstare Angelis et Moysi, per quos datum est vetus Testamentum. Nam Christus vere et proprie Filius Dei est eique consubstantialis, carnem quidem assumpsit mortemque gustavit, ut destrueret diaboli imperium, sed Deus remansit in carne assumpta; Angeli e contra atque Moyses ministri dumtaxat fuerunt atque servi, Dei jussa exequentes. Concludit Apostolus firmiter tenendam salutis doctrinam a Christo et Apostolis annuntiatam miraculisque confirmatam (I-IV, 14). Transit deinde ad explicandum Christi sacerdotium, quod multum superat sacerdotium veteris Legis. Probat Jesum, Dei Filium, eas habere dotes quæ in sacerdote requiruntur, humanam quippe carnem et hominum infirmitates, excepto peccato, in se suscepit, et a Deo constitutus fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech. His interserit nonnulla exhortatoria (IV, 15-VI, 19). Pergit et docet Christum, utpote secundum ordinem Melchisedech sacerdotem, excelsiorem esse Abraham et Levi et omnibus sacerdotibus leviticis, habere sacerdotium sempiternum quo abrogatum est sacerdotium leviticum, quo etiam omnes salvari in perpetuum possunt (VI, 20-VII, 26). Pergit Apostolus ostendere quantum emineat supra sacerdotium leviticum sacerdotium Christi; docet Christum uno crucis sacrificio semel omnium peccata expiasse, quod vetera sacrificia, etiam sæpius repetita facere non poterant (VII, 26-X, 18). Transit ad exhortationem; hortatur ne talem ac tantum Pontificem per infidelitatem abjiciant, ne divinam adversum se provocent ultionem. Mox tamen in spem ac fiduciam erigit, et commendat præsertim fidem propositis exemplis sanctorum Patrum, qui per fidem Deo placentes, magna et mira vel egerunt vel passi sunt (X, 19-XI). Pergit Apostolus hortari Hebræos ad tolerandas viriliter afflictiones exemplo Christi, simul ostendens utilitatem flagellorum et disciplinæ paternæ (XII). Denique ad varias virtutes : charitatem, hospitalitatem, obedientiam, excitat et salutationes addit (XIII).

4. Hinc intelligitur causa cur Apostolus ad Hebræos scripserit. Judæi Palæstinenses enutriti fuerant in lege Moysi, cujus cæremonias procul dubio religiosissime observabant; amplexi porro erant fidem Christi, Jesum ut promissum in Lege Salvatorem habebant. Sed cæremoniis Mosaicis ita addicti erant, ut quamvis Jesum pro Messia recepissent, a Lege tamen abduci

se non paterentur ; sed eam cum Evangelio miscerent ; a Christo quidem exempla virtutum petentes, ac præmia justitiæ exspectantes, ipsam vero justitiam Legi ac cæremoniis, remissionem autem peccatorum sacrificiis expiatoriis eadem Lege præscriptis, attribuentes. In quo errore destruendo, non hic tantum, verum etiam alibi sæpe, sed maxime in Epistolis ad Romanos et ad Galatas occupatur ; quibus proinde cum hac Epistola magna est argumenti affinitas.

5. *Auctoritas canonica.* Quamvis nonnulli olim latinorum, ducti variis rationibus infra exponendis, de Epistola ad *Hebræos* dubia moverint, tamen ab initio Scripturis sacris annumerata fuit. Etenim in omnibus Orientis et Græciæ ecclesiis ut canonica suscepta fuit, et a plerisque Patribus Occidentis atque ab omnibus conciliis aliis libris sacris adjuncta.

6. In ecclesia Alexandrina S. Pantænus et Clemens Alexandrinus Epistolam *ad Hebræos* et divinam prædicant et Paulo adscribunt. « Clemens, ait Eusebius (1),... Epistolam *ad Hebræos* Pauli quidem esse affirmat, sed hebraico sermone utpote ad Hebræos primum scriptam fuisse : Lucam vero eamdem græco sermone studiose interpretatum græcis hominibus edidisse. Quare in ea Epistola et in Actibus Apostolorum eumdem dictionis colorem reperiri. Hanc vero inscriptionem *Paulus Apostolus* recte atque ordine omissam fuisse observat. Cum enim Hebræis scriberet qui sinistram de ipso opinionem multo ante combiberant ipsumque suspectum habebant : prudenti consilio usus, illos absterrere statim ab initio apposita nominis sui inscriptione noluit. » Deinde aliquanto post his utitur verbis Clemens: « Jam vero, sicut beatus dicebat presbyter(Pantænus), quandoquidem Dominus omnipotentis Dei Apostolus ad Hebræos missus fuerat, pro modestia Paulus utpote qui ad gentes erat directus, Hebræorum Apostolum se minime inscribit; tum ob suam erga Dominum reverentiam, tum quod ex abundanti ad Hebræos ipse gentium præco et Apostolus scriberet. » In libris *Stromatum* Clemens sæpius Epistolam ad Hebræos ut Scripturam sacram et opus Pauli allegat (2).

7. Alii ecclesiæ Alexandrinæ et Ægyptiacæ scriptores Epi-

(1) *Hist. Eccl.* VI, 14.

(2) Vide *Patrol. græc.* t. VIII, col. 718, 751, 939, 943, 995, etc. Cfr. J. Lenourry, *Dissert. in lib. Stromat.* Ibid. col. 1093.

statum ecclesiæ Colossensis. Porro Colossenses, fide et ratione vivendi bene christiana plurimum se commendabant. Aliquam tamen perturbationem eis attulerant quidam doctores ex Judæis qui doctrinam evangelicam philosophia quadam gnostica adulterabant et cum fide Christi et vita evangelica servare volebant circumcisionem aliasque Legis cæremonias. Contra hos doctores Paulus Colossenses præmonere voluit eosque simul ad virtutes hortari, mittens Epistolam. Scripta est igitur Epistola in urbe Roma, eo tempore, quo prima vice captivus ibi per biennium Apostolus permansit. Roma scriptam etiam testantur codices AB** KL, nonnulli minusculi, et versiones syriacæ in subscriptionibus, ex quibus etiam colligitur missam fuisse Epistolam per Tychicum et Onesimum.

3. *Argumentum.* Convenit in plurimis hæc Epistola cum illa ad Ephesios. Post actas Deo gratias de Colossensium fide, Apostolus docet hominibus unum mediatorem esse Christum, Dei filium atque omnium etiam angelorum creatorem, qui nos cum Deo reconciliavit in sanguine suo, factus Ecclesiæ caput. Monet deinde Colossenses ut sibi caveant a falsa sapientia, monet judaicas et philosophicas observationes cum Evangelio minime miscendas esse, eas ad sanctificationem nostram nihil valere (I-II). Reliqua Epistolæ pars parænetica est; hortatur Apostolus Colossenses ad fugienda vitia, exercendas vitutes, monet mulieres ut subditæ sint viris suis, viros ut diligant uxores suas, filios ut obediant parentibus, patres ut bene se gerant erga filios, servos ut serviant fideliter dominis suis, dominos ut servis justam retribuant mercedem, omnes ut orationi assidue vacent. Clauditur Epistola variis salutationibus (III-IV).

X. *De duabus ad Thessalonicenses Epistolis.*

1. *De ecclesiæ Thessalonicensis primordiis.* Thessalonica, nunc *Salonichi,* una erat ex præcipuis Macedoniæ urbibus, quando Paulus e Philippis ejectus in eam advenit Evangelium prædicaturus. Constabat porro ea urbs, maximam partem, ex ethnicis, quibus immixti erant, sicut in aliis Græciæ urbibus, nonnulli Judæi. Paulus pro more suo ad Judæos primo ingressus est, et per tria continuo sabbata ex Scripturis demonstrare ipsis sata-

gebat Messiam promissum esse Jesum a mortuis redivivum. Quidam ex Judæis crediderunt; ex proselytis vero et etiam gentilibus multitudo magna et non paucæ mulieres nobiles fidem amplexæ sunt (1). Mota est vero a Judæis incredulis seditio adversus Paulum, qui coactus est inde alio se transferre. Quum porro Athenis degeret Paulus, misit ad Thessalonicenses Timotheum, qui eos confirmare et consolari debebat ne moverentur in tribulationibus. Timothæus, postquam Thessalonicenses visitasset, ad Paulum rediit cum Corintho degeret eique ecclesiæ istius statum exposuit (2).

2. *Epistolæ 1æ scribendæ occasio, tempus et locus.* Quum igitur Apostolus a Timotheo didicisset quantam Thessalonicenses haberent fidem, et quantum desiderarent ipsum Paulum, quem valde diligebant, rursus videre, et quum aliunde impediretur Apostolus ne ad eos juxta suum desiderium se conferret, cognoscens eos indigere aliqua exhortatione et monitione, scripsit primam suam Epistolam ad Thessalonicenses. Scripta igitur fuit Corintho, durante secundo Pauli itinere apostolico, circa annum 53-54. In subscriptionibus codicum græcorum scripta dicitur ab Athenis, sed quum ex Epistola constet scriptam fuisse post adventum Timothei, et quum Timotheus ad Paulum venerit postquam reliquerat Athenas, standum est pro Corintho. Ratione ergo temporis prima est inter Epistolas Paulinas.

3. *Argumentum.* Post salutationem nomine suo, Timothei et Silvani gratulatur Apostolus Thessalonicensibus de studio eorum in accipienda et propaganda fide (I). Eos collaudat quod inter domesticas persecutiones in accepta fide fideles permansissent, et interim suæ personæ commendationem admiscet, ut, qui non solum pure et sincere Christum ipsis annuntiasset, verum etiam ne eos gravaret, a sumptu accipiendo abstinuisset : simul autem suum in eos amorem, suasque pro illis ad Deum preces aperit (II-III). Deinde eos hortatur ad virtutem revocatque ab immoderata tristitia, qua mortuos lugebant quasi qui omnino periisent, et certissima spe resurrectionis, cujus et modum describit, consolatur (IV-V).

4. *Epistolæ 2æ scribendæ occasio, tempus et locus.* Cum divus

(1) *Act.* XVII, 1, 5.
(2) *Act.* XVIII, 5; *I Thessal.* III, 2.

Apostolus spem Thessalonicensibus fecisset se eos revisurum, et videret se variis negotiis aut etiam periculis impeditum ab implendo suo desiderio, secundam ad eos Epistolam direxit. Impulsus etiam fuerit Apostolus ad scribendum, quia commoti fuerant Thessalonicenses non bene intelligentes quæ de secundo Christi adventu et mortuorum resurrectione ad eos scripserat, et etiam quia non omnino se correxerant otiosi illi quos in priori Epistola monuerat Apostolus. Subscriptiones codicum AB cum Theodoreto et Euthalio tradunt Epistolam ex Athenis scriptam fuisse; Athanasius in Synopsi et OEcumenius Romam assignant; codices vero syriaci Laodiceam in Pisidia; sed probabilius apparet scriptam Corintho fuisse paulo post Epistolam priorem, dum in hac urbe Apostolus prædicaret. Scripsit porro Apostolus nomine suo et Timothei atque Silvani, ut in priori Epistolâ jam fecerat.

5. *Argumentum.* Apostolus gratias agit Deo pro fide ac tolerantia Thessalonicensium in persecutionibus, propter quas dicit illos gloriam, adversarios ultionem, in die judicii recepturos (I). Judicium autem et resurrectio mortuorum non tam cito advenient quam nonnulli sive ex falsis rumoribus sive ex male intellectâ Pauli Epistolâ putant, non prius instabit dies judicii quam venerit Antichristus (II). Hortatur deinde Apostolus Thessalonicenses ut juxta traditam doctrinam in charitate et patientia vivant, vitentque consortium illorum otiosorum qui Pauli cohortationibus obedire recusant (III).

XI. *De tribus Pauli Epistolis pastoralibus.*

1. Duæ ad Timotheum Epistolæ cum illa ad Titum sub communi vocabulo *Litterarum pastoralium* interdum designantur, quia de officio pastorum in Ecclesia Dei præcipue agunt.

2. *Timotheus.* Timotheus, patre gentili, matre Judæa, natus, Lystræ christianam colebat religionem, cum in ea loca advenit Paulus in secundo suo itinere apostolico, qui fama commotus quæ de Timothei sanctitate apud fideles Iconii et Lystræ percrebuerat, ipsum adhibuit socium suorum itinerum et prædicationis; sed propter Judæos, qui se ad Christum converterant, scientes Timothei patrem esse gentilem, eum circumcidit (1).

(1) *Act.* XVI, 1, 11; *Tim.* I, 5.

Timotheus doctorem gentium in omnibus fere itineribus comitatus est, ejusque nomine varias visitavit ecclesias, ut Thessalonicensem (1), Philippensem (2) et Corinthiacam (3). Apparet etiam ex Epistolis, quas Paulus ex prima captivitate romana scripsit, Timotheum Paulo Romæ captivo adfuisse (4). Ecclesiæ Ephesinæ episcopus fuit Timotheus (5). Quod a Paulo factum videtur paulo post priora Apostoli vincula romana. Cum autem ferre non posset sacrificium, quod uni Deo debetur, fieri dæmonum simulacris populum Ephesinum Dianæ in ejus celebritate immolantem, ab illa impietate removere conatus lapidibus obrutus, et pene mortuus a christianis ereptus et in montem oppido vicinum delatus obdormivit in Domino (6).

3. *Locus, tempus et causa prioris ad Timotheum.* De loco et tempore scriptæ istius Epistolæ nequaquam conveniunt auctores, nec suppetunt testimonia sive in ipsa Epistola, sive in traditione, quæ litem omnino dirimere valeant. Subscriptiones codd. AKL Laodiceam, Phrygiæ metropolim, Synopsis Athanasiana et Theodoretus (7) Macedoniam, codices alii Nicopolim aut Athenas, designant. Plures docti viri autumant hanc Epistolam conscriptam fuisse post prima Pauli vincula circa annum æræ vulgaris 64. Scopus autem Apostoli in conscribenda Epistola fuerit Timotheum instruere quomodo se gerere deberet in regimine ecclesiæ Ephesinæ.

4. *Argumentum.* Præmissa salutatione, monet Apostolus Timotheum ut sibi a pseudodoctoribus caveat, strenuumque militem agat in fide aitque se excommunicavisse Alexandrum (I). Docet pro omnibus hominibus orandum esse, præsertim vero pro principibus a quibus pendet tranquillitas publica ; docet quomodo viri et mulieres orare debeant (II). Tradit quinam in episcopos, presbyteros, et diaconos, ac quænam mulieres in diaconissas eligi, quasque animi dotes illos habere, oporteat (III). Prædicit brevi orituras hæreses quæ nuptias et quosdam cibos

(1) *I Thessal.* III, 2.
(2) *Phil.* II, 19.
(3) *I Cor.* XVI, 10.
(4) *Coloss.* I, 1; *Philem.* I, 1; *Philip.* I, 1.
(5) Euseb. *Hist. Eccl.* III, 4.
(6) *Breviarium Romanum.*
(7) *Præf. in Epist. ad Rom.*

damnent; hortatur Timotheum ut fabulas spernat, pietatem exerceat, Scripturas sacras assidue legat, fidem prædicet (IV). Monet quomodo Timotheus gerere se debeat erga singulos fideles pro diversitate ætatis et sexus, et in specie erga viduas et erga presbyteros (V); quomodo instruere debeat servos ut dominis obediant, sive fideles sint illi, sive infideles. Denique hortatur ipsum rursus ad pietatem et revocat divites ad humilitatem (VI).

5. *Locus, tempus et causa scribendi II Epistolam.* Paulum eam Roma scripsisse, dum in hac urbe captivus detinebatur, ex ipsa Epistola certissimum est. Apostolus quippe non solum affirmat (I, 8) se *vinctum*, sed insuper ait (I, 16-18) se in suis catenis refrigerium accepisse ab Onesiphoro, qui Romam veniens sollicite eum quæsivit donec inveniret (II, 9; IV, 6, 16). Porro divus Apostolus Epistolam direxit ad Timotheum, ut eum de suo officio erudiret atque incitaret ad veniendum Romam apud se. Timotheus tunc morabatur Ephesi, ut colligitur ex pluribus Epistolæ locis (I, 15, 18; IV, 19). Jubet enim Apostolus salutare domum Onesiphori, qui Ephesi habitabat (I, 18). Jubet etiam salutare Aquilam et Priscillam qui probabiliter in hac urbe habitabant, simulque ipsi in memoriam revocat quædam ad ecclesias Asiæ pertinentia.

6. Quum divus Paulus bis Romæ in vincula fuerit conjectus, ut supra probavimus, quæritur an, durante priore captivitate vel durante posteriore, Epistola fuerit conscripta? Plurimi interpretum tenent Epistolam in posterioribus Pauli vinculis scriptam fuisse paulo antequam ad mortem duceretur, juxta quod Apostolus ipse ait : *Ego enim jam delibor et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi* (IV, 6). Insuper mentionem ingerit prioris captivitatis (IV, 16) : *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me reliquerunt : non illis imputetur.* Præterea plures difficultates historicæ impedire videntur quominus Epistolam in prima captivitate conscriptam fuisse putemus. Etenim quando Apostolus scribebat, Demas et Tychicus Roma aberant (1). Jam autem Romæ aderant quando Paulus in prima captivitate scripsit ad Colossenses. Præterea Timotheus et Marcus apud Apostolum erant quando

(1) *II Tim.* IV, 9, 11, 12.

scripsit ad Philemonem, ad Philippenses et Colossenses (1). Illæ porro Epistolæ ad finem captivitatis Pauli scriptæ existimantur. Si igitur Paulus scripserit hanc secundam ad Timotheum Epistolam, durante prima captivitate, eam scripsisse dicendus est in initio suæ captivitatis. Sed hoc non videtur admitti posse. Nam quando Apostolus scripsit, jam transierat prima ejus defensio, jam finem tanquam brevi futurum exspectabat (2). Præsertim autem quæ (IV, 13, 20) de penula Troade relicta, quam afferre jubet, et de Trophimo, quem reliquerat Mileti infirmum, aliud innuunt iter ab Apostolo susceptum quam illud quod fecit ante sua priora vincula quodque in Actibus Apostolorum depingitur. Admittendum igitur, Apostolum, prioribus vinculis solutis, aliquod iter in illas regiones suscepisse, in quo itinere penulam reliquerit Troade et Trophimum Mileti infirmum : porro Romæ rursus captivus, Paulus ad Timotheum scripserit de istis rebus. Videtur igitur admittendum Epistolam ad Timotheum secundam in secunda Apostoli captivitate fuisse conscriptam et ultimo loco venire inter Epistolas Paulinas. Subscriptiones codicum KL aliorumque permultorum græcorum et latinorum cum Eusebio, Chrysostomo, Hieronymo et Theodoreto, diserte hanc sententiam firmant (3).

7. *Argumentum.* Pergit Apostolus, quod in præcedenti Epistola jam fecerat, instruere Timotheum de officiis illius qui curam gerit animarum. Et primo quidem hortatur illum ut ad se veniat, illique animum addit ut constanti animo collaboret Evangelio sine timore, ut bonus miles Christi ; deinde docet vitandam contentionem, fugienda juvenilia desideria, sectandam vero fidem et charitatem. Simul autem invehitur in Hymeneum et Philetum qui resurrectionem jam factam esse docebant (I-II). Deinde prædicit futuros esse falsos doctores variis involutos peccatis, et excitat Timotheum ut constans permaneat

(1) *Col* I, 1; *Philip.* I, 1; *Philem.* I.

(2) *II Tim.* IV, 6.

(3) Sic porro se habent subscriptiones codd. KL : *Secunda ad Timotheum ecclesiæ Ephesiorum consecratum episcopum, scripta Romæ quando Paulus secunda vice comparuit coram Cæsare Nerone.* Ita etiam codex S et alii permulti græci et latini ; ita etiam versio syriaca posterior. Ita denique Eusebius, *Hist. Eccl.* II, 22, Theodoretus, *Comm. ad h. l*, Chrysostomus et Hieronymus, *de Vir. illust.* 5.

in virtute et lectione sacrarum Scripturarum, et instet prædicationi in spe æternæ vitæ (III-IV).

8. *Titus et insula Cretensis.* Titus ex parentibus gentilibus natus erat (1). Divus Paulus cum se conferret ex Antiochia Jerosolymam ad interrogandos Apostolos de observatione legis Mosaicæ ritualis secum assumpsit Titum, quem non coegerunt Apostoli ut circumcisionem acciperet. Adeo carus erat Apostolo Titus, ut S. Paulus de eo dixerit ad Corinthios (2) se non habuisse in Troade requiem, quia ibi non invenerat fratrem suum Titum. Porro Apostolus tertium peragens iter apostolicum misit, ut videtur ab Epheso, Titum ad Corinthios, quibus Titus gratissimum se præstitit. Debebat Titus ad Apostolum Troadem venire, sed ipsi occurrit dumtaxat in Macedonia, a quo cum S. Paulus statum ecclesiæ Corinthiacæ didicisset rursus eum Corinthum ablegavit (3). Postea Titus Romam ad Apostolum se contulit, unde in Dalmatiam missus est (4). Insulæ Cretæ episcopus constitutus ibi relictus ab Apostolo fuit, ut ea quæ deerant corrigeret et constitueret per civitates presbyteros (I, 5). Titus, ut ex Hieronymo discimus, cœlebs permansit, mortuusque est, juxta Eusebium (5), in insula Creta annos natus 94. Insula Creta, hodie *Candia,* olim florentissima fuit. Romana provincia facta erat Judæosque plures inter suos cives numerabat quando Christi fides propagari cœpit. Quisnam primus Cretensibus fidem annuntiaverit non constat; fortasse illi fuere Cretenses qui Jerosolymis aderant in die Pentecostis (6). S. Paulus in hac insula Evangelium annuntiavit et, constitutis ecclesiis in variis civitatibus, reliquit ibi Titum ut opus incœptum perficeret.

9. *Locus, tempus et causa scribendæ Epistolæ ad Titum.* Non satis constat quonam loco aut quonam tempore scripta fuerit Epistola ad Titum. Quare multum variant in hac quæstione sententiæ auctorum. In subscriptionibus plurium codicum HKLS et in versionibus coptica et syriaca posteriore legitur scriptam esse e Nicopoli in Macedonia. De tempore autem alii putant

(1) *Gal.* II, 1-3
(2) *II Cor.* II, 13.
(3) *II Cor.* II, 12; VII, 6-15; VIII, 16-24.
(4) *II Tim.* IV, 10.
(5) *Hist. Eccl.* III, 4.
(6) *Act.* II, 1.

Epistolam scriptam durante tertio itinere apostolico, quando Paulus, postquam Ephesum reliquisset, venit in Macedoniam; alii autem post priora Pauli vincula romana, quando Paulus venit rursus in Macedoniam.

10. *Argumentum.* Agit rursus Apostolus de officiis eorum qui curam animarum gerunt. Et primo quidem Tito in memoriam revocat quod Cretæ ipsum reliquerit ut incœptum opus perficeret, ea quæ deerant corrigeret atque presbyteros per civitates constitueret. Docet quibus dotibus ornati esse debeant episcopi et presbyteri, quomodo edocere debeant fideles juxta varias vitæ conditiones, monet fugiendos falsos doctores et judaicas fabulas, atque obedientiam præstandam principibus.

11. *De auctoritate trium S. Pauli Epistolarum pastoralium.* A quo tempore Schleiermacher, (1807) primam ad Timotheum Epistolam impugnavit, aliæ duæ Epistolæ pastorales vel in toto vel in parte impugnatæ fuerunt. Eichhorn (1812) tres Epistolas in dubium revocavit. Secuti sunt Baur (1835) et alii quos citat et sequitur De Wette (1). Epistolarum autem authentiam cum catholicis defenderunt Wieseler, Delitzch, Doumergue et alii apud De Wette.

12. Hic rursus illud, quod jam sæpe alibi, observamus, Rationalistas ad impugnandas pastorales Epistolas nonnisi conjecturas afferre et talia argumenta quæ sibi invicem opponuntur; sæpius etiam quod ab uno affertur argumentum ab altero tanquam invalidum destruitur et rejicitur. Objiciunt plures in tribus istis Epistolis adhiberi voces quæ alibi vel non adhibentur vel alias notiones exprimunt, sed quid mirum si Apostolus, quia de alia re agebat, alias voces, aut vocum significationes adhibuerit? Si rejicienda foret aliqua Epistola quia in illa adhibentur voces alibi non adhibitæ, rejiciendæ essent omnes Epistolæ. Objicitur etiam quod differant doctrina atque sententiæ Epistolarum pastoralium a doctrina et notionibus aliarum Epistolarum. Sed quia Apostolus in tribus hisce Epistolis de pastorali animarum cura agit, in aliis autem non agit, necesse fuit ut et alia præcepta, alias veritates aperiret, quæ in aliis Epistolis scribenda non erant, quia occasio non dabatur. Ceterum do-

(1) *Einleit.* 155.

ctrina Epistolarum pastoralium contraria nullatenus est doctrinis alibi ab Apostolo expositis. Imo sæpius occurrunt in tribus hisce litteris, quod adversarii fateri debent, non solum præcepta et sententiæ cum aliis scriptis Paulinis prorsus consonantia, sed plurimæ voces et locutiones prorsus eædem sunt, ita ut adversarii fateri cogantur illas Epistolas opus esse alicujus qui Apostolum fuerit imitatus, vel, quod Schottio placuit, alicujus, qui, ut Lucas, jussu Apostoli, eas scripserit.

13. Merito igitur a tota retro antiquitate tres Epistolæ pastorales tanquam divi Pauli opus genuinum receptæ fuerunt. Nam, ut taceamus testimonia S. Clementis Romani et S. Ignatii (1), quæ non ita certo probant rem demonstrandam, habemus S. Polycarpum qui in *Epist ad Philip*. c. 3, 4 et 12 recitat verbotenus locum *I Tim*. II, 1-2; VI, 7, 10; Theophilum *ad Autolyc*.. III, 14 qui sub nomine sacræ Scripturæ recitat locum *I Tim*. II, 2. S. Irenæus (2) non solum propria divi Apostoli verba recitat sed nominat duas ad Timotheum Epistolas et asserit Paulum eas scripsisse, quemadmodum et Epistolam ad Titum cujus verba refert. Concinunt Clemens Alexandrinus (3), Tertullianus, canon Muratorii, S. Philastrius, alii de quibus supra (4). S. Hieronymus, *Comment. in Tit*. procem., ait : « Licet non sint digni fide, qui fidem primam irritam fecerunt, Marcionem loquor et Basilidem et omnes hæreticos.... Ut enim de ceteris Epistolis taceam, de quibus quidquid contrarium suo dogmati viderunt, eraserunt, nonnullas integras repudiandas crediderunt, *ad Timotheum* videlicet *utramque, ad Hebræos* et *ad Titum* ... sed Tatianus, Encratitarum Patriarcha, qui et ipse nonnullas Pauli Epistolas repudiavit, *hanc vel maxime*, hoc est, *ad Titum, Apostoli pronuntiandam credidit*, parvipendens Marcionis et aliorum, qui cum eo in hac parte consentiunt, assertionem. »

(1) Cfr. S. Clement. *Epist. I ad Cor*. 2 et 29 cum *I Tim*. II, 8; *Tit*. III, 11; S. Ignatii *Epist. ad Ephes*. cum *II Tim*. II, 8. Alios textus indicat Kirchofer, *Quellensammlung*, XXII-XXIV.

(2) *Contra hær*. I. *procem. et* III, III, 3 4.

(3) Clemens *Pædag*. II, 2, 3, 11, 12, citat *I Tim*. V, 23; VI, 10; II, 9, 10; IV, 6-8; *Stromat*. I, 1, 10 citat *II Tim*. I, 2, 13; *II Tim*. II, 14, 16, 17, 22; *Strom*. I, 8. citat *Tit*. I, 10; etc.

(4) Vide supra p. 331, sqq.

XII. *De Epistola ad Philemonem.*

1. Philemon, civis Colossensis, servum habebat nomine Onesimum, qui, cum res nonnullas domino suo furto abstulisset, aufugit Romam, ubi, divina disponente gratia, a Paulo conversus et baptizatus fuit (1). Apostolus tunc Romæ in prioribus suis vinculis erat (2) sperabatque se brevi liberandum (3); nolens porro Apostolus Onesimum, invito Philemone, Romæ detinere (13-14), ipsum ad herum suum remisit, eique, ut a Philemone veniam obtineret, hanc ad Philemonem dedit Epistolam. Exinde ejus argumentum et scopus intelliguntur. Veteres nonnulli de canonica auctoritate hujus Epistolæ dubia moverunt, male prætextentes ejus brevitatem, simplicitatem, argumenti humilitatem et styli diversitatem, quæ difficultates ab Hieronymo, Chrysostomo aliisque antiquis Patribus solutæ sunt. Epistola isthæc tenerrimam christianæ amicitiæ charitatem spirat.

XIII. *De Epistola ad Hebræos* (4).

1. De Paulinis Epistolis, quas hucusque recensuimus, nunquam serio dubitatum fuit quin divinæ essent auctoritatis Paulumque haberent auctorem ac græca lingua conscriptæ essent. Una ad Hebræos Epistola de hisce tribus in controversiam vocata est. Ut hæc omnia rite discutiantur, exposito Epistolæ argumento, dicemus successive de ejus auctoritate canonica, de auctore, de lingua et denique de loco et tempore et ad quos conscripta fuerit.

2. *Argumentum.* Epistola *ad Hebræos* partim *dogmatica*, partim *exhortatoria* est; qua dogmatica docet Christi dignitatem, officium et sacerdotium sacerdotio levitico multum excellentius, qua consolatoria hortatur Hebræos ad perseverantiam in fide Christi et tolerantiam persecutionum.

3. Et primo quidem docet Christum, N. T. auctorem, mul-

(1) *Philem.* 10.
(2) *Philem.* 1, 10, 13.
(3) *Philem.* 22.
(4) Cfr. Estius, *Comment. in Epist. ad Hebr. Prolegom.*

tum præstare Angelis et Moysi, per quos datum est vetus Testamentum. Nam Christus vere et proprie Filius Dei est eique consubstantialis, carnem quidem assumpsit mortemque gustavit, ut destrueret diaboli imperium, sed Deus remansit in carne assumpta; Angeli e contra atque Moyses ministri dumtaxat fuerunt atque servi, Dei jussa exequentes. Concludit Apostolus firmiter tenendam salutis doctrinam a Christo et Apostolis annuntiatam miraculisque confirmatam (I-IV, 14). Transit deinde ad explicandum Christi sacerdotium, quod multum superat sacerdotium veteris Legis. Probat Jesum, Dei Filium, eas habere dotes quæ in sacerdote requiruntur, humanam quippe carnem et hominum infirmitates, excepto peccato, in se suscepit, et a Deo constitutus fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech. His interserit nonnulla exhortatoria (IV, 15-VI, 19). Pergit et docet Christum, utpote secundum ordinem Melchisedech sacerdotem, excelsiorem esse Abraham et Levi et omnibus sacerdotibus leviticis, habere sacerdotium sempiternum quo abrogatum est sacerdotium leviticum, quo etiam omnes salvari in perpetuum possunt (VI, 20-VII, 26). Pergit Apostolus ostendere quantum emineat supra sacerdotium leviticum sacerdotium Christi; docet Christum uno crucis sacrificio semel omnium peccata expiasse, quod vetera sacrificia, etiam sæpius repetita facere non poterant (VII, 26-X, 18). Transit ad exhortationem; hortatur ne talem ac tantum Pontificem per infidelitatem abjiciant, ne divinam adversum se provocent ultionem. Mox tamen in spem ac fiduciam erigit, et commendat præsertim fidem propositis exemplis sanctorum Patrum, qui per fidem Deo placentes, magna et mira vel egerunt vel passi sunt (X, 19-XI). Pergit Apostolus hortari Hebræos ad tolerandas viriliter afflictiones exemplo Christi, simul ostendens utilitatem flagellorum et disciplinæ paternæ (XII). Denique ad varias virtutes: charitatem, hospitalitatem, obedientiam, excitat et salutationes addit (XIII).

4. Hinc intelligitur causa cur Apostolus ad Hebræos scripserit. Judæi Palæstinenses enutriti fuerant in lege Moysi, cujus cæremonias procul dubio religiosissime observabant; amplexi porro erant fidem Christi, Jesum ut promissum in Lege Salvatorem habebant. Sed cæremoniis Mosaicis ita addicti erant, ut quamvis Jesum pro Messia recepissent, a Lege tamen abduci

se non paterentur ; sed eam cum Evangelio miscerent ; a Christo quidem exempla virtutum petentes, ac præmia justitiæ exspectantes, ipsam vero justitiam Legi ac cæremoniis, remissionem autem peccatorum sacrificiis expiatoriis eadem Lege præscriptis, attribuentes. In quo errore destruendo, non hic tantum, verum etiam alibi sæpe, sed maxime in Epistolis ad Romanos et ad Galatas occupatur ; quibus proinde cum hac Epistola magna est argumenti affinitas.

5. *Auctoritas canonica.* Quamvis nonnulli olim latinorum, ducti variis rationibus infra exponendis, de Epistola ad *Hebræos* dubia moverint, tamen ab initio Scripturis sacris annumerata fuit. Etenim in omnibus Orientis et Græciæ ecclesiis ut canonica suscepta fuit, et a plerisque Patribus Occidentis atque ab omnibus conciliis aliis libris sacris adjuncta.

6. In ecclesia Alexandrina S. Pantænus et Clemens Alexandrinus Epistolam *ad Hebræos* et divinam prædicant et Paulo adscribunt. « Clemens, ait Eusebius (1),... Epistolam *ad Hebræos* Pauli quidem esse affirmat, sed hebraico sermone utpote ad Hebræos primum scriptam fuisse : Lucam vero eamdem græco sermone studiose interpretatum græcis hominibus edidisse. Quare in ea Epistola et in Actibus Apostolorum eumdem dictionis colorem reperiri. Hanc vero inscriptionem *Paulus Apostolus* recte atque ordine omissam fuisse observat. Cum enim Hebræis scriberet qui sinistram de ipso opinionem multo ante combiberant ipsumque suspectum habebant : prudenti consilio usus, illos absterrere statim ab initio apposita nominis sui inscriptione noluit. » Deinde aliquanto post his utitur verbis Clemens : « Jam vero, sicut beatus dicebat presbyter (Pantænus), quandoquidem Dominus omnipotentis Dei Apostolus ad Hebræos missus fuerat, pro modestia Paulus utpote qui ad gentes erat directus, Hebræorum Apostolum se minime inscribit; tum ob suam erga Dominum reverentiam, tum quod ex abundanti ad Hebræos ipse gentium præco et Apostolus scriberet. » In libris *Stromatum* Clemens sæpius Epistolam ad Hebræos ut Scripturam sacram et opus Pauli allegat (2).

7. Alii ecclesiæ Alexandrinæ et Ægyptiacæ scriptores Epi-

(1) *Hist. Eccl.* VI, 14.

(2) Vide *Patrol. græc.* t. VIII, col. 718, 731, 939, 943, 995, etc. Cfr. J. Lenourry, *Dissert. in lib. Stromat.* Ibid. col. 1093.

stolam ad Hebræos sub nomine Pauli Apostoli vel Scripturæ sacræ pro opportunitate allegant, ut de reliquis Epistolis faciunt. Inter eos nominandi sunt : S. Dionysius, S. Petrus, S. Alexander, S. Athanasius, S. Antonius, S. Macarius, Didymus, Philo Carpasius, S. Asterius, S. Orsiesius, S. Serapio, S. Isaias monachus, alii (1).

8. Idem sentiunt ecclesiæ Palæstinensis scriptores. Origenes, qui partim Alexandriæ partim Cæsareæ docuit, tenet (2) « stylum Epistolæ *ad Hebræos* carere illa sermonis rusticitate, quæ propria est Apostoli, quippe qui rudem atque imperitum sese confitetur in sermone, id est, in forma et ratione dicendi. Verum Epistola illa et in verborum compositione majorem præfert græci sermonis elegantiam, ut fatebitur quisquis de styli differentia perite judicare potest. Et præterea sententias continet admirabiles, nec scriptis apostolicis ullatenus inferiores. Atque id verissimum esse assentientur, quicumque Apostolorum scripta attente perlegerint. » Paucis deinde interpositis hæc subjungit : « Ego vero, inquit, ita censeo : sententias quidem ipsas Apostoli esse : dictionem autem et compositionem verborum esse alterius cujusdam, qui dicta Apostoli commemorare, et quasi in commentarios redigere voluerit ea quæ a magistro audierat. Proinde si qua ecclesia hanc Epistolam pro Paulina habet, eo nomine laudetur. Neque enim temere majores eam Pauli esse tradiderunt. Quis autem revera illam scripserit, soli Deo notum opinor. Sed scriptores, quorum monumenta ad nos usque pervenerunt, partim Clementi, Romanæ urbis episcopo, eam adscribunt, partim Lucæ, qui Evangelium et Actus Apostolorum edidit. » In *Epistola ad Afric.* 9 refert Origenes quosdam rejecisse Epistolam *ad Hebræos* ceu a Paulo non scriptam, sed ipse in variis suis scriptis eam continuo inter Scripturas reponit Pauloque adscribit (3).

(1) S. Dionysius, *Epist. ad Fab.* 2; S. Petrus, *Can. pœnit.* 9; S. Alexander *Patrol. gr.* XVIII, 558, 575; S. Athanasius, *Epist. fest.* 39; S. Macarius *Patrol. gr.* XXXIV, 534, 602, et passim ; Didymus, *Patrol. gr.* XXXIX, 318 et sæpius ; S. Antonius, Philo Carpasius, S. Asterius, S. Orsiesius, S. Serapio, S. Isaias. *Patrol. gr.* XL, 62, 66, 82, 239, 877, 885, 907, 1025, 1046, 1167, 1177. Cyrill., *Patrol. gr.* LXXIV, 990.

(2) Ap. Euseb. *Hist. Eccl.* VI, 25.

(3) Cfr. *De princip.* lib. I, I, 1; II, 5; III, 1; lib. II, III, 5; VI, 4, 7; VIII, 3; lib. III, I, 9, 12; lib. IV, I, 13; *Contra Cels.* III, 53; V, 4; VI, 20; VII, 29; etc.

9. Eusebius Cæsareensis idem docet (1) : « Pauli quatuordecim Epistolæ, inquit, notæ sunt omnibus et perspicuæ. Sciendum tamen Epistolam *ad Hebræos* a nonnullis ideo esse repudiatam, quod dicerent eam ab Ecclesia Romana pro certa ac genuina Pauli epistola non haberi. » Et infra loquens de epistola S. Clementis ad Corinthios : « In qua, cum multas (Clemens) inserat sententias desumptas ex Epistola *ad Hebræos* iisdemque verbis utatur, satis indicat opus illud nequaquam recens esse. Quamobrem cum reliquis Apostoli scriptis non sine causa hoc etiam recensitum videtur. Cum enim ad Hebræos patrio sermone scripsisset Paulus, alii Lucam, alii hunc de quo loquimur Clementem, Epistolam illam esse interpretatam ferunt. Quod quidem verius videtur, cum præsertim et Clementis et illa *ad Hebræos* Epistola eumdem habeant stylum; nec utriusque sententiæ valde discrepent. » Frequenter autem Eusebius, quemadmodum Origenes, in suis scriptis illa Epistola tanquam canonica utitur.

10. S. Cyrillus Hierosolymitanus nihil hæsitans numerat in canone quatuordecim Pauli Epistolas. Titus Bostrensis, Methodius, Tyri episcopus, Epiphanius Cyprius, Gregorius Nyssenus, Melito Sardensis, Amphilochius Iconiensis, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Chrysostomus, uno verbo, omnes Syriæ, Asiæ Minoris atque Græciæ scriptores cum canone *Apostolorum* 85 et canone concilii *Laodiceni* 60 unanimiter recipiunt Epistolam *ad Hebræos* inter Scripturas sacras (2). Quare Theodoretus (3) contra Arianos, qui hanc Epistolam adulterinam appellabant, merito dixit : « Oportebat autem ipsos, etsi nihil aliud, temporis certe diuturnitatem revereri, quo hanc *Epistolam in ecclesiis perpetuo legerunt alumni veritatis*. Ex quo enim Litterarum apostolicarum fuerunt Dei ecclesiæ participes, ex illo etiam Epistolæ *ad Hebræos* utilitatem percipiunt... Eusebius divinissimi Pauli hanc esse Epistolam confessus est : et *veteres*

(1) *Hist. Eccl.* III, 3, 38.

(2) Cyrill. Hieros., *Catech.* IV, 36; Titus Bostrens., *Adv. Manich.* III, 4; *Orat. in Psalm.* 3, 123; Methodius, *Conviv. X virg.* V, 7; Epiphan., *Hær.* 76; Gregor. Nyssen., *Orat. de Beat.;* Melito Sardensis in *Clavi* sæpius; Amphilochius, *Patrol. gr.* XXXIX, 74; Gregor. Nazian., *Patrol. gr.* XXXVII, 474, 1598. Basilius, *Adv. Eunom.* I, 14; IV, 6; Chrysost., *Hom. in Epist. ad Hebr.*

(3) Theodoretus, *Procem. in Epist. ad Hebr.*

omnes hanc de ea sententiam habuisse asseruit.... Suæ autem accusationi (Ariani) hunc prætextum afferunt, quod apostolicum nomen non sit similiter positum in prooemio. Oportebat autem illos considerare, eorum qui ex gentibus, non eorum qui ex Judæis crediderunt, constitutum fuisse Apostolum.... Idcirco cum scriberet ad eos qui crediderunt ex gentibus, et nomen adjecit et apostolicam dignitatem addidit, ut doctor et magister scribens ad discipulos. Ad Hebræos autem scribens, quorum non erat sibi cura concredita, merito nudam honoribus doctrinam eis tradidit. Aliorum enim Apostolorum curæ suberant. Quod autem spirituali gratia plena sit Epistola, et nullam omnino præbeat calumniæ occasionem, singulorum interpretatio docebit apertius.... Scripsit autem eam lingua hebraica. Ferunt autem Clementem eam græce interpretatum esse. »

11. Ecclesiæ græcæ consonant omnes Orientis ecclesiæ. Epistola *ad Hebræos* ceteris Pauli Epistolis conjungitur in versione syriaca Simplici et allegatur a S. Ephræmo et ante eum ab Aphraate, qui eam pluries sub nomine Apostoli allegat (1).

12. In ecclesia latina, quidam dubitarunt sed potius de auctore quam de divinitate Epistolæ : Antiquissimus ecclesiæ Romanæ scriptor, S. Clemens, vir apostolicus, in prima ad Corinthios Epistola, quamvis non nominet auctorem, Epistolam *ad Hebræos* Scripturis accenset et plura ex ea verbotenus recitat (2).

13. Irenæus in libris *Contra hæreses* diserte quidem non nominat Epistolam *ad Hebræos,* interdum tamen ad eam alludere videtur. Addit Eusebius (3) : « Ceterum præter supradicta Irenæi opera et Epistolas, exstat libellus *Variarum disputationum*, in quo Epistolæ *ad Hebræos* et *Sapientiæ Salomonis* mentionem facit, et quasdam sententias ex iis libris adducit. » Antiquissimus canon a Muratorio editus et Caius presbyter romanus recensent solummodo tredecim Pauli Epistolas, omissa illa *ad*

(1) Cfr. Wright, *Homilies of Aphraat s* p. 20, 28, 37, 242, 244, 416, 418. Ephræm. *Opp. gr.* I, 7; II, 90.

(2) Vid. S. Clementis, *I Epist. ad Cor.* capp. 9, 10, 12, 17, 36, 43, 45. Cfr. Hieron., *De vir. ill.* 15; Euseb., *Hist. Eccl.* III, 38.

(3) *Hist. Eccl.* V, 26. Stephanus Gobarus ap. Photium (*Biblioth.* cod. 232), ait : « Hippolytus et Irenæus Epistolam Pauli *ad Hebræos* dicunt non esse illius (cfr. cod 121). » Putaverint fortasse Clementem aut Lucam aut, cum Tertulliano, Barnabam illius auctorem.

Hebræos. Cum iis de illa silet in Africa S. Cyprianus. Tertullianus autem (*De pudicit.* 20) eam Barnabæ tribuit. Marius Victorinus Afer contra Arianos allegat Epistolam *ad Hebræos* sub nomine Pauli (1).

14. S. Philastrius Brixiensis eam interdum in ecclesiis lectam fuisse asserit et errare docet eos qui illam repudiabant : « Sunt, inquit, qui Epistolam Pauli *ad Hebræos* non asserunt esse ipsius, sed dicunt aut Barnabæ esse Apostoli aut Clementis de urbe Roma episcopi. Alii autem Lucæ Evangelistæ aiunt....; non in ecclesia leguntur populo nisi tredecim Epistolæ (Pauli) et *ad Hebræos* interdum. » Observat deinde S. Philastrius hanc Epistolam a nonnullis fuisse rejectam quia stylo differebat a ceteris Pauli Epistolis, et quia male eam intelligentibus videbatur docere Christum factum et favere Novatianis negando pœnitentiam manere lapsis post baptismum, quod ex falso Epistolæ intellectu manare probat (2). Soter Papa, S. Hilarius Pictaviensis, S. Ambrosius, Rufinus, alii Epistolam recipiunt. Rufinus in canone simpliciter habet : « Pauli Epistolæ XIV (3). »

15. S. Hieronymus continuo utitur Epistola *ad Hebræos* eamque canonicam declarat; simul tamen monet eam a multis latinis non fuisse receptam (4). Suam autem sententiam sic evolvit (5) : « Epistola autem, quæ fertur *ad Hebræos*, non ejus creditur propter styli sermonisque dissonantiam ; sed vel Barnabæ, juxta Tertullianum, vel Lucæ Evangelistæ, juxta quosdam; vel Clementis, Romanæ postea ecclesiæ episcopi, quem aiunt ipsi adjunctum sententias Pauli proprio ordinasse et ornasse sermone. Vel certe quia Paulus scribebat ad Hebræos, et propter invidiam sui apud eum nominis, titulum in principio salutationis amputaverit. Scripserat ut Hebræus hebraice, id

(1) *Advers. Arium* l. II. 3.

(2) S. Philastrius, *Hær.* 88-89.

(3) Cfr. Soter Papa, *Patrol. gr.* V, 1125; S. Hilarius, *In Psalm.* 14, 5; 53, 12; *De Trinit.* IV, 11; S. Ambrosius, *De myster.* 8; *De pœn.* II, 3; Rufinus, *In symbol. Apost.* 37.

(4) *De Vir. ill.* 59 : « Apud Romanos usque hodie quasi Pauli Apostoli non habetur. » *Comment. in Is.* VIII : « Eam (*Epist. ad Hebr.*) latina consuetudo inter canonicas Scripturas non recipit. » *In Matt.* XXVI : « Paulus in Epistola sua quæ scribitur ad Hebræos, licet de ea multi latinorum dubitent. » Cfr. *Comment in Jer.* XXXI; *In Tit.* I, 5; II, 2; *in Zach.* VIII, 3; *In Ep'es.* II, 15.

(5) *De Vir. ill.* 5.

est suo eloquio disertissime, ut ea quæ eloquenter scripta fuerant in hebræo, eloquentius verterentur in græcum : et hanc causum esse, quod a ceteris Pauli Epistolis discrepare videatur. » Clarius adhuc loquitur in Epist. ad Dardan : « Illud nostris dicendum est hanc epistolam quæ inscribitur *ad Hebræos, non solum ab ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retro ecclesiasticis græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli Apostoli suscipi,* licet eam plerique vel Barnabæ vel Clementis arbitrentur : et nihil interesse cujus sit, quum ecclesiastici viri sit, et quotidie ecclesiarum lectione celebretur. Quod si eam Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas canonicas, nec Græcorum quidem ecclesiæ Apocalypsin Joannis eadem libertate suscipiunt, et tamen nos *utrumque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque utriusque abutuntur testimoniis, non ut interdum de apocryphis facere solent, sed quasi canonicis.* »

16. S. Augustinus expressius adhuc Epistolam *ad Hebræos* canonicam declarat, licet et ipse observet eam nonnullis incertam esse. « *Ad Hebræos* Epistola, inquit (1), quanquam nonnullis incerta sit.... magis me movet auctoritas ecclesiarum Orientalium, quæ hanc quoque in canonicis habent. » In libris autem *De doctrina christiana* (II, 8) S. Doctor simpliciter recenset Epistolam *ad Hebræos* inter Epistolas S. Pauli eamque Scripturis canonicis annumerat, nulla facta dubitantium mentione, et tanquam canonicam in variis suis scriptis adhibet.

17. Concilium Hipponense anni 393, can. 36 et concilium Carthaginense anni 397, can. 47, Epistolam *ad Hebræos* separatim a reliquis Pauli Epistolis recensent, eam tamen et Paulo tribuunt et canoni absque ulla hæsitatione inserunt : *Sunt autem Scripturæ canonicæ.... Pauli Epistolæ tredecim, ejusdem ad Hebræos una.* Hanc concilii Carthaginensis decisionem confirmans Innocentius I in *Epistola ad Exuperium,* anno 405, omnem abstulit distinctionem simpliciter dicendo : « Apostoli Pauli Epistolæ quatuordecim. » Idem statuit concilium Carthaginense anni 419, can. 29 (2). Idem etiam Gelasius Papa.

(1) *De pecc. t. merit. et remis.* I, 27; Cfr. *Enchirid.* 8.
(2) Horum concil. canones vide in *Patrol. lat.* inter *opera S. Leonis* t. LVI, col. 428, 504. 871.

Denique omnem controversiæ viam præcludit Concilium Tridentinum in *sessione* IV declarans Epistolam Pauli ad Hebræos esse canonicam. Merito igitur concludit Cornelius a Lapide de fide esse hanc Epistolam ad Scripturam sacram pertinere.

18. *Auctor*. Ex testimoniis supra recitatis patet constantem antiquitatis fidem Paulo auctori Epistolam tribuisse. Sub ejus enim nomine continuo allegata fuit. Origenes diserte tradit hanc esse antiquorum fidem. Pantænus, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Hieronymus et Theodoretus enodare student difficultates, quæ adversus hanc sententiam ex Epistola ipsa desumi possent. Tertullianus, isque solus, eam Barnabæ tribuit contra totius antiquitatis traditionem, quæ unicam Barnabæ epistolam agnovit eamque ab illa *ad Hebræos* prorsus diversam. Erasmus, Cajetanus, et multi nostræ ætatis Rationalistæ Paulum auctorem negant : 1° quia nomen Apostoli fronti Epistolæ non est inscriptum ; 2° quia alius est stylus aliaque dictio a ceteris Pauli Epistolis ; 3° quia auctor se præbet tamquam discipulum qui non immediate a Jesu, sed mediate tantum efformatus fuerit (II, 3) et post mortem Apostoli scripserit (XIII, 7).

19. Istæ difficultates quæ antiquos non effugerunt variis modis diluuntur.

20. 1° Apostolus Epistolæ nomen suum non præfixit, tres ob causas : *Unam*, quia sciebat nomen suum invisum Hebræis, propterea quod Legis observantias, quas illi mordicus retinebant, abrogatas docebat. Hanc rationem insinuant Clemens Alexandrinus, et Hieronymus. *Altera ratio* est, quam indicant Pantænus et Theodoretus, quia Paulus non Hebræorum Apostolum sed gentium continuo se profitebatur. *Tertia ratio* desumitur ex eo quod Paulus in hac Epistola Jesum appellaturus Apostolum confessionis nostræ, propter suam Christi reverentiam, eumdem titulum sibi arrogare noluerit.

21. 2° Styli diversitas varie explicatur. Plures ex antiquis causam hujus diversitatis reponunt in eo quod Epistola hebraice scripta fuerit et græce sive per Lucam, sive per Clementem, ita translata ut quæ eloquenter scripta fuerant in hebræo eloquentius verterentur in græcum, ut habet Hieronymus. Estius, qui Epistolam græce scriptam tenet, opinatur materiam totius Epistolæ, simul et ordinem, a Paulo fuisse subministrata ; sed compositionem et ornatum esse cujusdam alterius, cujus opera

Paulus utendum putaverit, sive Clemens Romanus is fuerit, ut quidam opinati sunt, sive Lucas, individuus Pauli comes ac laborum socius, quod magis est probabile.

22. 3° Quod autem ex cap. II, 3 objiciunt Paulum non esse Epistolæ auctorem ex eo quod ait : *Quomodo effugiemus si tantam neglexerimus salutem, quæ, cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis.* Hoc nullius est valoris. Nam loquitur Apostolus ut *Hebræus ex Hebræis,* quod patet ex forma plurali qua utitur. Ceterum quamvis Apostolus immediate a Deo edoctus fuerit, tamen ivit Jerosolymam ad Apostolos ut cum ipsis suam doctrinam conferret et *in ea ab iis qui viderant confirmaretur.* Cap. XIII, 7 ait Apostolus : *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem.* His verbis eos præcipue significat qui sanguine suo doctrinam a se traditam signaverant, qualis apud Jerosolymam Jacobus quem Herodes gladio occidit, et alii aliis in locis. Nihil indicat hic sermonem fieri de morte Pauli, adeoque iste locus non probat quod volunt adversarii.

23. Quæritur utrum *de fide* sit Paulum auctorem esse Epistolæ ad Hebræos? Catharinus, Sixtus aliique theologi, sentiunt ad fidem pertinere eo quod concilium Tridentinum definit inter libros N. T. computandam esse Pauli ad Hebræos Epistolam. Sed Melchior Canus, Estius, Glaire, aliique observant non omnia, quæ in decretis conciliorum quoquo modò dicuntur, definitive dici, aut ad fidem pertinere. Oportet in hac re attendere ad mentem concilii : quid definire voluerit. Mens autem concilii Tridentini non fuerit definire quinam auctores habendi sint librorum sacrorum, sed quinam libri pro sacris et canonicis essent suscipiendi, quod patet ex verbis quæ præcedunt canonem eumque sequuntur. Constat etiam ex eo quod in indicem librorum sacrorum concilium refert Psalterium Davidicum centum et quinquaginta psalmorum. Porro non omnes psalmi sunt Davidis, sed collectioni insunt psalmi aliorum auctorum(1). Nihilominus tamen iidem auctores docent notam temeritatis

(1) Vide supra p. 116.

inurendam illi qui negaret Paulum esse auctorem Epistolæ ad Hebræos.

24. *Lingua.* Clemens Alexandrinus, Eusebius, Hieronymus, Euthalius atque Theodoretus, tradunt Epistolam hebraice primitus conscriptam fuisse, græce autem statim redditam vel a S. Luca, juxta Clementem Alexandrinum, vel potius a S. Clemente, juxta ceteros. Alii Patres vel de ea re non loquuntur, vel generatim affirmant Pauli Epistolas græce fuisse scriptas. Origenes videtur sentire Epistolam græce fuisse exaratam. Postquam enim observavit stylum hujus Epistolæ comptiorem et elegantiorem esse, addit se sentire sententias esse Apostoli : dictionem autem alterius cujusdam qui dicta Apostoli commemorare et quasi in commentarium redigere voluerit. Pro textu hebraico sunt inter recentiores Cornelius a Lapide, Reithmayr et Glaire in 1ª suæ *Introd.* editione. In tertia vero ipse tenet cum Estio et plerisque recentioribus Epistolam ad Hebræos græce exaratam fuisse, hoc præcipue nixus argumento. S. Paulus in hac Epistola Scripturam continuo recitat juxta versionem LXX, quod non fecisset si hebraice scripsisset. Nec dicat quis usum versionis LXX tribuendum interpreti Epistolæ non autem Paulo. Nam Apostolus ipse versione LXX usus est ; alioquin si textu hebraico usus fuisset, non potuisset ex textibus ratiocinari prout fecit et conclusiones statuere quas deduxit. Sic novo Testamento applicans textum *Jer.* XXX, 31, ubi Deus populo suo novum Fœdus promittit, ex voce διαθήκη concludit, ad valorem novi illius Testamenti necesse esse ut mors testatoris intercedat (cap. IX, 16). Ex voce autem hebraica בְּרִית quæ fœdus tantum, non autem testamentum significat, enervata fuisset ejus conclusio (1).

25. *Locus et tempus.* Scripta putatur Romæ in prioribus Apostoli vinculis. Cap. XIII, 24 Apostolus dicit : *Salutant vos de Italia fratres.* Plurimi codices in subscriptionibus annotant scriptam fuisse in Italia Epistolam atque ad Hebræos missam per Timotheum. Codex A, S. Chrysostomus, Theodoretus, Euthalius, designant in quanam Italiæ parte scripta fuerit et Romam indicant.

(1) Vide Estium, *Prolegom. in Epist. ad Hebr.* q. 3; Glaire, *Introduct.* t. V, c. 12, art. 3, 3ª ed.

26. *Ad quos destinata fuerit Epistola.* Inscribitur *ad Hebræos* quo nomine in N. T. designantur : 1° Judæi christiani Palæstinam incolentes, qui hebraica utebantur lingua per oppositionem ad Judæos Ἑλληνιστάς, græce loquentes (*Act.* VI, 1); 2° Judæos per varias regiones dispersos quibus opponuntur ethnici (*II Cor.* XI, 22). Hic intelligendi non sunt Judæi per varias regiones dispersi, cum Paulus dicat se ad eos misisse Timotheum et promittat se, illo reverso, venturum. Hebræi igitur intelligendi sunt judæo-christiani qui in Judæa habitabant; et revera ea quæ in Epistola de templo, de sacrificiis, de tribulationibus quas passi fuerant, apprime quadrant in Judæos Palæstinenses fidem amplexos. Hanc sententiam confirmant Pantænus, Clemens Alex., Hieronymus et omnes Patres qui tradunt Epistolam hebraice scriptam fuisse (1).

CAPUT VI.

DE SEPTEM EPISTOLIS CATHOLICIS.

1. Septem, de quibus dicendum restat, Epistolæ, inde a tempore Eusebii, recepto vocabulo, a Græcis Καθολικαί, a Latinis *Catholicæ* vel etiam *Canonicæ* dictæ fuerunt. Quæ denominatio in Vulgata nostra duabus dumtaxat Epistolis, Jacobi nempe et Judæ, tribuitur. Quid porro significet denominatio illa hisce litteris tributa, certo definire in promptu non est. Origenes Epistolam *catholicam* videtur vocare eam quæ sit ὁμολογουμένη *omnium consensu recepta* (2). Eusebius fluctuat, ipse numerat septem Epistolas *catholicas*, inter quas recenset nonnullas de quibus ambigebatur ; opponit autem Epistolis *catholicis* scripta

(1) Hinc eruitur S. Petrum (*II Petr.* III, 15) non designare Epistolam ad Hebræos quando scribit : *sicut charissimus frater noster scripsit vobis.* Nam S. Petrus alloquebatur Judæos in *dispersione* ἐν τῇ διασπορᾷ (Cfr. I Petr. I, 1); S. Paulus vero Judæos Palæstinenses.

(2) Catholicas vocat primam Petri, primam Joannis et Epistolam Judæ. Et primam quidem Petri in eodem loco nunc *catholicam* nunc *omnium consensu receptam* nominat ap. Euseb. *Hist. Eccl.* VI, 25. Cfr. Origenes *in Jerem. hom.* IX; *in Matth.* XVII; *in Joan. tom.* VI; *in Epist. ad Rom.* lib. V.

apocrypha (1). Leontius (2) et OEcumenius (3) denominationem καθολικήν cum voce ἐγκύκλιος (*circularis, universalis*) prorsus convenire statuunt. Epistolæ igitur illæ, juxta eos, *catholicæ* dictæ fuerint, quia non distinctæ alicui civitati aut ecclesiæ aut genti, quemadmodum Epistolæ Pauli dedicabantur, sed ad Christi fideles *universaliter* dirigebantur. Difficultas tamen huic sententiæ ingeritur ex eo quod tertia Joannis Epistola ad personam privatam non ad Christi fideles universaliter fuerit directa (4).

I. *De Epistola S. Jacobi* (5).

1. *Argumentum.* Statim post Epistolæ inscriptionem, Apostolus Judæos ad fidem conversos hortatur ad varias tribulationes, quibus obnoxii erant, læto ac constanti animo perferendas. Deinde eos excitat ad agenda bona opera ; ad salutem quippe opera jungenda sunt fidei (I-II). Fidem absque operibus non prodesse christianis ad salutem est præcipuum Epistolæ thema. Quod thema dum evolvit, agit de lingua refrænanda, de munere prædicandi (III), de vitandis litibus et servanda pace (IV); divitum crimina arguit, pauperes a divitibus afflictos solatur ; denique Epistolam claudit in memoriam revocans vitandum juramentum et sacramentum extremæ unctionis infirmo suscipiendum atque pro invicem orandum (V).

2. *Ad quos Epistola fuerit destinata.* Directa fuit ad omnes judæo-christianos extra Jerosolymam commorantes, ut patet ex inscriptione : *Jacobus.... duodecim tribubus quæ sunt in dispersione, salutem.* Quæ sunt *in dispersione,* id est, quæ *dispersæ, disseminatæ sunt inter gentes.*

3. *Auctor.* Auctor se nominat *Jacobum Dei et Domini nostri servum* (I, 1) ; sed, cum plures hujusce nominis viri in libris N. T. commemorentur, quis eorum auctor habendus sit inquirendum est.

(1) Cfr. Euseb., *Hist. Eccl.* II, 23; III, 3, 25; VI, 14.
(2) *De Sectis* 2.
(3) *Proleg. in Epist. Jacob.*
(4) Alias recentiorum sententias egregie examinatas vide ap. Liagre. *Proleg. in Epist. Jacob.* Lovan. 1860. p. 1-8.
(5) Cfr. Liagre, *Interpretatio Epist. S. Jacobi.* Lovan. 1860.

4. In N. T. memoratur Jacobus, Zebedæi filius, cum fratre suo Joanne ad apostolatum a Christo vocatus (1), quem Herodes Agrippa circa annum 44 morti tradidit (2). Inter duodecim Apostolos alter recensetur Jacobus, *Alphæi filius* (3). Insuper inter eos, qui apud Matthæum et Marcum (4) *fratres Domini* dicuntur, Jacobus quidam apparet. Mentio etiam fit Jacobi, *fratris Domini*, in Epistola ad Galatas (5). Hinc nonnulli veterum tres distinxerunt *Jacobos : majorem* seu Zebedæi filium, *minorem* ex Alphæo oriundum, utrumque e numero duodecim Apostolorum, et tertium quemdam *fratrem Domini* cognominatum, qui primus ecclesiæ Jerosolymitanæ antistes fuerit, cuique Epistolam catholicam Jacobi adscribunt. Sed ille Jacobus, *frater Domini* dictus, nonnisi una eademque persona est cum Jacobo, Alphæi filio. Nam Jacobus, qui *frater Domini* dicitur in Epistola ad Galatas (I, 19), ibidem e numero duodecim Apostolorum esse statuitur. Hoc confirmavit concilium Tridentinum (sess. XIV, c. 1) declarans sacramentum extremæ-unctionis fuisse promulgatum per *Jacobum Apostolum ac Domini fratrem*. Ergo ex mente concilii Jacobus, *frater Domini*, Apostolus vere fuit, ac proinde unus et idem cum Alphæi filio.

5. His positis, dicimus : Jacobo Zebedæi tanquam auctori Epistolam catholicam nullo pacto tribui posse. Obstat enim unanimis fere veterum, qui hac de re locuti sunt sententia, quæ firmissimo aliunde fundamento nititur. Si enim attento animo Epistola Jacobi pervolvatur, facile quisque persuasum habebit id, quod jam notabat Augustinus Epistolam hanc scilicet contra eos intentionem dirigere, *qui, non intellectis quibusdam subobscuris sententiis Apostoli Pauli*, ad salutem obtinendam sufficere fidem putabant, bene autem vivere et bonis operibus viam Dei terere negligebant. Scripta vero Paulina e quibus falsum istud dogma temere accipiebant, Epistolæ erant ad *Romanos* et ad *Galatas*. Admittendum igitur est Epistolam Jacobi scriptam esse post illas Epistolas ac proinde post annum 58. Jam autem Jacobus Zebedæi circa annum 44 fuit occisus.

(1) *Matth.* IV, 21; X, 3; XVII, 1; *Marc.* I, 19; XIV, 33; *Act.* I, 13.
(2) *Act.* XII, 2.
(3) *Matth.* X, 3; *Act.* I, 13.
(4) *Matth.* XIII, 55; *Marc.* VI, 3.
(5) *Gal.* I, 19.

Ipsi igitur adscribi nequit Epistola de qua agimus. Remanet ergo ut eam Jacobo Alphæi, sive minori, fratri Domini ac primo Jerosolymæ episcopo, adscribamus. Et revera Jacobo, fratri Domini, tribuendam esse hanc Epistolam antiquos fere omnes consentientes habemus, licet eorum nonnulli *fratrem Domini* ab *Alphæi filio* diversum immerito existimaverint (1).

6. *Lingua, locus et tempus.* Epistolam Jacobi græce scriptam fuisse, uti communior fert sententia, eo verisimilius existimaveris quod ad Judæos dispersos directa fuerit, qui versione LXX et lingua græca utebantur. Jacobus, quum esset Jerosolymæ episcopus, in ea urbe Epistolam exaraverit probabiliter intra illud temporis spatium, quod excurrit a data ad Romanos Pauli Epistola ad mortem Jacobi, seu ab anno 58 ad annum 62 vel 65, quo Jacobus interfectus fuit.

7. *Auctoritas canonica.* Canonica Epistolæ S. Jacobi auctoritas, ab initio non statim omnibus comperta fuerit. Eusebius (2) Epistolam recenset inter Scripturas de quibus ambigitur. Eum secutus Hieronymus (3), addit ipsam, procedente tempore, auctoritatem obtinuisse.

8. Quod si ab antiquioribus Patribus minus frequenter allegata fuerit, hoc ex Epistolæ indole maxime pendere dicendum est, quæ indoles talis erat ut adversus hæreses prima Ecclesiæ ætate grassantes vix allegari potuerit. Sed, inde ab exacto

(1) Vid. Liagre, *Proleg. in Epist. Jacobi* p. 9-23.

(2) Eusebius, *Hist. Eccl.* II, 23 ait : « sciendum Epistolam (Jacobi) esse supposititiam (Ἰστέον δὲ ὡς νοθεύεται). Sane pauci admodum ex vetustioribus, tum hujus Epistolæ tum illius Judæ, quæ et ipsa in septem Catholicarum numero recensetur, mentionem fecere. Verumtamen has quoque cum ceteris in *plurimis ecclesiis publice lectitari* cognovimus. » Ibid. III, 25 : « Ex iis vero Epistolis, quæ in dubium revocantur *a multis tamen commemorari vidimus*, est Epistola quæ dicitur Jacobi et quæ Judæ, et secunda Petri ; Joannis item altera et tertia, sive illæ ab ipso revera Evangelista, sive ab altero ejusdem nominis compositæ sunt. » *In Psalm.* 56 : « Ait sacer Apostolus : *Tristatur quis in vobis, oret* (Jac. V, 13). »

(3) *De Vir. ill.* 2 : « Jacobus unam tantum scripsit Epistolam, quæ de septem Catholicis est ; quæ etipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita asseritur : *licet paulatim, tempore procedente, obtinuerit* auctoritatem. » In Epistola autem ad *Paulinum*, ubi recenset omnes Scripturæ libros, nullum dubium movet de Epistola Jacobi. « Jacobus, inquit, Petrus, Joannes, Judas, Apostoli, septem Epistolas ediderunt tam mysticas quam succinctas et breves pariter et longas : breves in verbis, longas in sententiis. »

sæculo IV, in omnibus ecclesiarum canonibus Epistola Jacobi reperitur, nec amplius quæstio de ea est habita, donec sæculo XVI Cajetanus et Erasmus, nescio qua ratione ducti, circa ipsius canonicitatem dubia denuo moverunt. Mox Lutherus, palmare suum thema de sola fide justificante in hac Epistola ineluctabiliter damnari non patiens, ipsam, utpote *stramineam* ac *Apostolico spiritu indignam* e suo canone, hæreticorum more, expunxit. Cum eo faciunt hodie plurimi Rationalistarum. Sed concilium Tridentinum, perpetuæ traditioni innixum, Epistolam Jacobi canonicam declaravit. Quod decretum firmum habet in traditione fundamentum.

9. In ecclesia Latina Epistolam Jacobi tanquam Scripturam allegarunt S. Clemens Romanus, Hermas, S. Irenæus, Tertullianus, S. Philastrius, S. Hilarius, qui et Jacobi Apostoli eam esse asserit, S. Ambrosius, Liberius, concilium Romanum sub Damaso vel, ut alii volunt, sub Gelasio, concilia Hipponense (an. 393), Carthaginense (an. 397), Carthaginense (an. 419), Innocentius I (an. 405), S. Augustinus, S. Hieronymus, Ruffinus, vetus Itala, etc. (1).

10. In ecclesia Græca citatur a S. Ephraim medio sæculo II, a S. Dionysio Areopagita, a Clemente Alexandrino, ab Origene qui eam Jacobo Apostolo adscribit, a S. Dionysio Alex. et ab Eusebio. S. Athanasius, S. Cyrillus Jeros., canon Apost. 85, canon concilii Laodic. 69-70, S. Epiphanius, et S. Gregorius Nazianzenus, unanimiter in canone Scripturarum eam primo loco inter Epistolas Catholicas recensent. Eam denique ut Scripturam allegant S. Orsiesius, Serapio, S. Antonius, S. Basilius, S. Amphilochius, S. Asterius, S. Chrysostomus, S. Cyrillus Alex. et qui eos secuti sunt (2).

(1) Cfr. Clemens Rom., *I ad Cor.* capp. 10, 17, 30, 38; *I ad Virg.* 11; Hermas in *Pastore, mandat.* 12, 5 alludit ad *Jac.* IV, 7; Irenæus, *Contra hær.* IV, 16, 2; Tertullianus, *Adv. Jud.* 2; *Scorpiac.* 12; S. Philastrius in canone *Hær.* 88; S. Hilarius, *De Trinit.* IV, 8; S. Ambrosius, *De vocat. gent.* 9; Liberius, *Epist. ad omn. episc.;* Damasus, *Patrol. lat.* XIX, 792; concil. Hipp., Carth., inter *Opp. S. Leonis* t. III, p. 99; Innocent., *Epist. ad Exup.;* S. August., *De Doctr. christ.* II, 8; Hieron. supra; Rufinus, *In Symbol. Apost.* 37; etc.

(2) Cfr. S. Ephraim, *Patrol. gr.* II, 634; S. Dionys., *De cœlest. Hier.* VII, 7. Clemens Al. IV, 17 et ap. Cassiodor., *De instit. div. litt.* 8; Origenes, *Homil. XIII in gen.; in Jos.* VIII; *in Prov.* XXVII, 13; S. Dionys. Al., *Comment. in Luc.* XXII, 42; Eusebius, *supra;* S. Athanas., *Epist. fest.* 39 et in *Synopsi*

11. Ecclesia Syriaca ab initio Epistolam Jacobi inter Scripturas recepit in versione *Peschito*. S. Ephræmus pluries eam allegavit (1) et cum eo Jacobus Edessenus (2) Monophysita et Ebed-Jesu Nestorianus (3). Scripturis denique annumeratur in versionibus copticis et arabicis, sicut in æthiopica et in armeniaca.

II. *De duabus S. Petri Epistolis.*

1. *S. Petri vita.* Petrus, antea Simon vocatus Betsaidæ Galilææ vico, patre Jona, natus est (4). Ad apostolatum cum fratre suo Andrea vocatus fuit a Christo, cum ambo, utpote professione piscatores, mitterent rete in mare (5). Mutavit autem Jesus ejus nomem Simonis in Cepham, quod syriace Petrum significat (6). Porro Petrus quum primus, prope Cæsaræam Philippi, Christi divinitatem confessus fuisset, ab ipso totius Ecclesiæ regimen accepit, quod tunc ipsi promissum post resurrectionem concessum fuit (7). Plura Petri præclare gesta in Evangelio memorantur (8). Christo autem a Judæis capto, Petrus, etsi antea cum magistro mori sponte promisisset, eum ter negavit; sed statim aspectu Christi conversus, egressus foras flevit amare (9).

2. Post ascensionem Petrus Mathiam in locum Judæ proditoris eligendum curavit, in die Pentecostes primus Christum prædicans multos convertit, Saphiræ et Ananiæ fraudes puniit, Samaritanis conversis dona Spiritus sancti communicavit, Simone mago reprehenso, multis miraculis in templo, in Lydda, in Joppe, alibi fidem propagavit et cœlesti visione admonitus Cornelium centurionem ethnicum baptizavit, in vincula con-

S. Cyrill. Jeros., *Catech.* IV, 33; S. Epiphan., *Hær.* 76, cap. 5; S. Gregor. Naz., *Opp.* t. II, 261; aliorum testimonia vid. ap. Liagre lib. cit. p. 28 38.

(1) Ejus citationes require ap. Liagre l. c.

(2) Vid. meam Dissert., *De Syror. fide* p. 118.

(3) Ap. Assemani, *Biblioth. Orient.* III, part. I. p. 9.

(4) *Joan.* IV, 40-44.

(5) *Matth.* IV, 18-20.

(6) *Joan.* I, 42.

(7) *Matth.* XVI, 13-19 : *Joan.* XXI, 15-18.

(8) *Luc.* V, 1-8; *Matth.* XIV, 28; *Joan.* XIII, 6-9.

(9) *Luc.* XXII, 62

jectus et ab angelo liberatus, Antiochiæ deinde Romæ prædicavit. Postea concilio Jerosolymitano præsidens auctor fuit ut gentibus conversis jugum legis Moysi non imponeretur (1). Denique cum multum in prædicanda diversis in locis fide Christi laborasset, Romæ sedem pontificiam fixit, in crucem actus, capite in terram verso, æræ vulgaris anno 67.

3. *I Petri Epistolæ argumentum, occasio et destinatio.* Directa fuit Epistola ad judæo-christianos per Galatiam, Pontum, Cappadociam, provinciam Asiæ et Bythiniam dispersos, ut constat ex inscriptione : *Petrus Apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bythiniæ* (2).

4. Quum igitur fideles per regiones Ponti, Bythiniæ et aliarum regionum hic enarratarum ex parte ethnicorum variis modis affligerentur eisque essent odiosi, quia ab eorum idololatria et vitiis atque moribus recesserant, S. Petrus consolatoriam atque hortatoriam ad eos scripsit Epistolam, ut simul eos in fide firmaret, in spem erigeret et ad virtutes exerceret.

5. Præmissa salutatione, Apostolus gratias agit Deo quod eos, quibus scribit, ad fidem et vitam æternam tribulationibus acquirendam per Christum vocavit. Hortatur eos ad vitæ munditiam, ut qui sanguine Christi mundati sunt (I). Monet ut propius accedant ad Christum, lapidem electum et angularem, ut sancte inter gentes conversentur, principibus pareant et tametsi innoxii, exemplo Christi, injurias patienter ferant (II). Viros et uxores mutui admonet officii, hortatur ad opera virtutum, ad sufferendas patienter tribulationes, docetque eos salvari per baptisma, cujus arca Noe figura fuit (III). Rursus hortatur Christi morte redemptos ut pergant præterita devitare peccata, incumbentes orationibus et mutuæ dilectioni et læto

(1) *Act.* XV.

(2) Voces *advenæ dispersionis* non designare ethnicos conversos, sed Judæos patet ex vocabulo *dispersionis* quod nullibi de ethnicis, sed certe de Judæis extra Judæam dispersis dicitur, ut constat ex *Jac.* I, 1 : *Jacobus duodecim tribubus quæ sunt in dispersione.* Præterea Petrus in ipsa *Epist.* III, 6 mulieres alloquens eas vocat *Saræ filias*, quod de ethnicis dicere non potuisset. Hanc sententiam tenent Eusebius (*Hist. Eccl.* III, 4), Didymus Al. (*in I Petr.* I, 1). Hieronymus (*De Vir. ill.* I). Quod si quædam verba occurrant in Epistola quæ gentes potius respicere videantur, ut I, 18; II, 10, bene etiam de Judæis vel saltem de proselytis dici possunt. Vid. Glaire et Estium contra Reithmayr et Güntner.

ac constanti animo propter Christum patientes (IV). Denique sacerdotes instruit quomodo gregem suum pascere debeant. Ultimo hortatur omnes ad humilitatem, vigilantiam, et gratiam Dei illis apprecatur, adjectis salutationibus (V).

6. *Locus et tempus.* Quo loco Epistola fuerit conscripta, auctor indicat his verbis : *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone coelecta.* Circa quod duæ præcipuæ sunt opiniones. Prima per Babylonem intelligit notissimam illam Babylonem ad Euphraten sitam, quæ, quamvis antiquum splendorem amiserat, tamen magnam adhuc numerabat incolarum multitudinem, quibus multos permixtos fuisse Judæos traditur (1). Quamvis sub Caio coacti fuerint Judæi a Babylone discedere, hoc non impedit quominus Petrus ibi prædicaverit vel Judæis postea reversis vel etiam ethnicis. Porro sensus litteralis, quem nonnulli sequuntur, aliam explicationem non patitur.

7. Secunda sententia per Babylonem Romam intelligit, quæ hic propter idololatriam morumque corruptelam metaphorice Babylon dicta fuerit. Etenim Judæi Romam sub Babylonis nomine designare amabant (2). Allegoricam autem hanc significationem christianis non inusitatam fuisse patet ex Apocalypsi (3). Hanc sententiam, præter subscriptionem nonnullorum codicum firmant veteres Ecclesiæ scriptores, Papias (4), Clemens Alexandrinus, Hieronymus, Chrysostomus, alii.

8. Tempus certo definiri nequit. Communior opinio scriptam habet Epistolam circa annum æræ vulgaris 63. Græce exaratam fuisse nemo dubitat.

9. *Auctoritas canonica.* Qui auctoritatem hujus Epistolæ negaverint non alii noscuntur in tota antiquitate, quam quidam Pauli Samosateni discipuli et Theodorus Mopsuestenus, quos secuti sunt, nostra ætate, nonnulli Rationalistæ. Sed hæc Epistola inde ab initio unanimiter recepta fuit, ut testatur Euse-

(1) Vid. Strabo, *Geogr.* XVI; Plinius, *Hist. nat.* VI, 26; Flav. Josephus, *Antiqq.* XV, 3, 1 et XVIII, 10, 1.

(2) Vid. Schoettgen, *Horæ Hebr.* p. 1050 et 1125.

(3) *Apocal.* XVI, 19; XVII, 5; XVIII, 2.

(4) Euseb. *Hist. Eccl.* II, 15. « Porro Marci mentionem fieri aiunt (Papias et Clemens Al.) a Petro in priore Epistola, quam Romæ scriptam esse contendunt, idque Petrum ipsum innuere, qui Romam figurate Babylonem appellat his verbis : *Salutat vos Babylonis Ecclesia.* Cfr. Hieronymus *De vir. ill.* 1.

bius (1) : « Quod vero, ait, ad Petrum attinet, una ejus Epistola, quæ prior dici solet, tanquam germana ab omnibus sine controversia admittitur. Hujus etiam testimonio veteres religionis nostræ antistites, utpote extra omnem controversiam positæ, in scriptis suis frequentissime usi sunt. » Quod testimonium omnes Scripturarum canones confirmant, excepto canone Muratorii, cujus silentium ex eo explicatur quod nonnisi fragmentum illius habemus. Epistolam ut divinam allegarunt antiquissimi Patres : S. Polycarpus, qui in brevi sua Epistola sex distincta testimonia ex eo recitat, Papias, S. Irenæus, Clemens Alexandrinus et Origenes, Tertullianus, S. Ephræmus aliique fere omnes tam in Oriente quam in Occidente (2). Præterea inscriptio Epistolæ diserte eam Petro tribuit et in tota Epistola nihil invenitur quod Petro tribui nequeat.

10. *II Petri Epistolæ destinatio, scopus et argumentum.* Commentatorum plerique secundam Petri Epistolam ad eosdem fideles, quibus prima, missam fuisse autumant ex cap. III, 1, ubi Apostolus ait : *Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo Epistolam.* Præterea auctor alloquitur (I, 19-20) tales fideles qui studio Prophetarum incumbebant, adeoque judæo-christianos, quod fecerat in priori Epistola.

11. Cum sciret Apostolus, inquit Estius, brevi futuram sui corporis dissolutionem, hac Epistola fideles instruere voluit ut in sana doctrina et studio bonorum operum etiam se mortuo permanerent.

12. Gratiam autem et pacem precatus, admonet ut bonis operibus vacent; doctrinæ suæ memores, quam ipse a Domino, spectator gloriæ ejus, accepit : item ut scriptis Prophetarum attendant, quæ divinitus illis inspirata fuisse declarat (I). Prædicit exorituros magistros mendaces, quorum describit ingenia et mores et quæ illos maneant supplicia (II). Fideles præmonet adversus illos falsos doctores. Hortatur ut in adventum Domini

(1) *Hist. Eccl.* III, 3.

(2) Cfr. S. Polycarpus, *Epist. ad Phil.* 1, 2, 10; Papias ap. Euseb., *Hist. Eccl.* III, 39; S. Irenæus, *Contra hær.* IV, IX, 2; XVI, 5 *et passim*; Clemens Alex., *Strom.* III, 18; IV, 20 *et passim*; Origenes, *In Jos. Homil.* 8 et alibi; Tertullianus, *Scorpiac.* 12; Ephræmus, *Opp. Græc.* t. II, p. 88. Fortasse etiam ad hanc Epistolam attenderunt S. Clemens, Hermas, S. Ignatius in locis a Kirchhofer (*Quellensammlung* 28) adductis.

se præparent, quando cœli et terra innovabuntur. Pauli Apostoli scripta commendat, quæ ab indoctis male intelliguntur (III).

13. *Locus et tempus*. Romæ scripta videtur paulo ante mortem Petri, juxta id quod Apostolus ait : *Certus sum quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi.*

14. *Auctor atque canonica auctoritas*. Origenes recenset hanc Epistolam inter scripta, de quibus ambigitur; Eusebius inter ea quibus contradicitur; Hieronymus alicubi testatur a Petro abjudicatam fuisse propter styli cum priore dissonantiam. Nihilominus tamen et Petri esse auctoris et idcirco canonica certissime dicenda est. Si qui enim olim dubitaverunt, hoc provenire potuit ex eo quod paulo ante mortem Petri scripta Epitola non facile pervenerit ad ecclesias quibus destinabatur, et, grassantibus persecutionibus, ad alias ecclesias non statim delata fuerit. Styli autem cum priore dissonantia eo facilius dubia excitaverit, quod de apostolica origine res erat minus comperta. Procedente autem tempore, dubia excussa sunt et Epistola in omnibus Scripturæ canonibus recensita fuit.

15. Jure autem merito, nam Petro in omnibus codicibus inscribitur : *Simon Petrus, servus et Apostolus Jesu Christi.* Præterea Apostolus refert se transfigurationi Christi adstitisse, Paulumque fratrem suum carissimum nominat, quæ omnia in Petrum apprime quadrant. Patres quidem apostolici nulla recitarunt hujus Epistolæ testimonia, vel saltem quæ recitarunt aliunde potuerunt desumi, ita ut non constet eos eam allegavisse. Sed eorum silentium nequaquam efficere potest Epistolam esse rejiciendam; siquidem nullibi indicarunt quod eam rejicerent; e contra nonnulla recitarunt quæ apprime cum hac nostra Epistola concordant (1).

16. Latini porro Patres, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, secundam Petri Epistolam nec allegant nec memorant (2), sed S. Hippolytus, Irenæi discipulus, ad eam alludit (3). Versio

(1) Cfr. Clemens, *I Epist. ad Cor.* capp. 7, 11, 23 cum *II Petr.* II, 5; III, 3-4; *Pastor. vis.* III, 7; IV, 3 cum *II Petr.* II, 15, 20.

(2) Putaverim tamen verba quæ leguntur *Contra hær.* V, 23, 2; V, 28, 3; *Dies Domini sicut mille anni* desumpta esse ex *II Petr.* III, 8, nequaquam vero ex *Psal.* 89, 4.

(3) S. Hippolyt., *Patrol. gr.* X, 730, 859.

itala quæ Tertulliano antiquior est eam habebat, teste Cassiodoro. Sanctus Philastrius (1) asserit in suo canone : « *Statutum esse ab Apostolis eorumque successoribus nihil aliud legi debere in Ecclesia catholica* nisi... Pauli tredecim Epistolas et *septem alias, Petri duas,* Joannis tres, Judæ unam et unam Jacobi. » Hieronymus, Ruffinus, Augustinus, Cassiodorus in enumerando canone Scripturarum, inter libros divinos recensent secundam Petri,nec quin sit certissime canonica ullum dubium movent (2). Quod faciunt etiam concilia, Hipponense anni 393, Carthaginensia anni 397 et 419, Innocentius *I Epist. ad Exuper.*, concilium Romanum sub Damaso vel Gelasio et quæ secuta sunt concilia. Recepta igitur fuit secunda Petri in ecclesia Latina tanquam apostolica et canonica.

17. Cum ecclesia Latina concinit ecclesia Græca. Origenes, etsi fateatur de secunda Petri ambigi, ipse tamen eam in canone recipit et ut divinam Scripturam sæpius allegat (3). Concinit Eusebius, S. Athanasius, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Gregorius Nazianzenus, Canon Apostolorum 85, concilium Laodicenum, secundam Petri inter Scripturas canonicas recensent, nec de ea dubium movent (4). Eamdem ut divinam allegant S. Methodius, S. Epiphanius, Titus Bostrensis, S. Macarius, Didymus, S. Isaias Ægyptius, Cyrillus Alexandrinus, et in

(1) *Hær.* 88.

(2) S. Hieronymus in libro *De Vir. ill.* I, ait : « secunda (Petri) a plerisque ejus esse negatur, propter styli cum priore dissonantiam. » Ipse nihilominus Epistolam tanquam indubie canonicam recipit in *Epist. ad Paulin.* et *Prol. in VII Epist. canon.* In *Epist. ad Hedib.* 9, 11, hanc styli differentiam ipse repetit ex eo quod S. Petrus diversis in scribendo usus sit interpretibus. Recentiores nonnulli exegetæ observant unum eumdemque auctorem bene posse uti stylo diverso quando vel diversis temporibus scribit, vel diversa tractat argumenta.

(3) Origenes, *Homil. VII in Jos.; Comment. in Epist. ad Rom. Opp.* t. IV, 631 ; *Homil. IV in Lev.* Opp. t. II, 200, etc. Cfr. Euseb., *Hist. Eccl.* VI, 25. An Clemens Alexandrinus admiserit II Petri Epistolam non liquet. Cfr. Euseb., *Hist. Eccl.* VI, 14. S. Justinus ad eam provocasse videtur, *Dial. cum Triph.* p. 308. Firmilianus episcopus Cappadociæ, unius ex illis ecclesiis ad quas Petrus scripserat, provocare videtur ad secundam Petri, quando dicit in *Epist. ad Cyprian.* Petrum et Paulum in suis Epistolis hæreticos execratos fuisse. Nam S. Petrus in II Epistola fuse agit de hæreticis.

(4) Eusebius, *Hist. Eccl.* III, 3, 25. S. Athanas, *Epist. fest.* 39 et in *Synopsi;* S. Gregorius Naz., *Carm. ad Seleuc.* et *Carm.* 12 *de veris Script. libr;* S. Cyrillus Hieros., *Cat ch.* IV.

ecclesia Syriaca S. Ephræmus (1). Recte igitur concilium Tridentinum definivit secundam Petri Epistolam Scripturis sacris annumerandam esse.

III. *De tribus S. Joannis Epistolis.*

1. *Argumentum.* In prima Epistola Apostolus adstruit Christi divinitatem incarnationisque mysterium et fideles ad charitatem in Deum et proximum hortatur. Primo testem se præbet apparitionis Filii Dei in terra; docet omnes a peccatis per Christi, Dei filii, sanguinem mundari (I), Christum esse advocatum nostrum apud Patrem atque propitiationem pro peccatis; hortatur ad mutuam dilectionem, ad fugiendos antichristos, qui Christi divinitatem negant (II). Docet hos esse per adoptionem Dei filios qui mandata observando juste vivunt et proximum diligunt (III). Declarat illos ex Deo esse qui Christi incarnationem confitentur, qui vero eam negant ad diabolum pertinere. Rursus hortatur ad dilectionem Dei et proximi, præclarum interserens testimonium de Trinitate (IV–V).

2. In secunda Epistola Joannes Electam dominam ejusque natos confirmat in charitate ac fide hortaturque ut antichristos, seu hæreticos ac eorum doctrinam evitent et illis nequidem ave dicant.

3. In tertia denique Epistola Gaium magnopere laudat ob religionis atque hospitalitatis in peregrinos studium hortaturque ut perseveret, Diotrephis calumniis ac inhumanitate neglectis.

4. *Locus, tempus, personæ quibus scriptæ fuerint Epistolæ.* Locus tempusque incerta sunt. Fortasse prima Epistola eodem tempore quo Evangelium a Joanne scripta fuerit. Incertum pariter est cuinam ecclesiæ prima Epistola destinata fuerit (2). Secunda vero inscribitur : *Senior Electæ dominæ et natis ejus, quos ego diligo in veritate.* Fuere ex antiquis qui dicerent per

(1) S. Methodius ap. Epiph. *Hær.* 64, 31; S. Epiphan., *Hær.* 66, 64; Titus Bostr., *In ram. palmar.* 4.; S. Marc., *Patrol. gr.* XXXIV, 959, 966; Didymus *Patrol. gr.* 335; S. Isaias, *Patrol. gr.* XL, 1163; Cyrillus Al., *Comment. in II Petr.;* S. Ephræmus ap. Güntner, *Introd.* p. 318. Deficiebat tamen secunda Petri in versione Peschito.

(2) In quibusdam codicibus latinis et apud Augustinum ac Cassiodorum inscribitur *ad Parthos.* Sed illa inscriptio merito dubia habetur.

Electam dominam symbolice intelligendam esse Ecclesiam. Sed nihil in tota Epistola invenitur quod innuat Epistolam Ecclesiæ vel universali vel particulari esse scriptam; obstant vero tum inscriptio tum quæ leguntur vers. 13 : *Salutant te filii sororis tuæ Electæ.* Rectius igitur Epistola directa intelligitur ad matronam quamdam christianam. Num vero nomen ejus fuerit *Electa* (Εκλεκτη) vel *Domina* (Κυρια) vel utraque vox sit appellativa certo determinari nequit. Tertia Epistola data est ad Gaium, virum divitem et beneficum, Apostolo charissimum.

5. *Auctor atque auctoritas.* Omnes Scripturarum canones inde a sæculo IV tres Joannis Epistolas inter Scripturas sacras recensuerunt. Inveniuntur pariter in omnibus græcis et latinis codicibus. Nullus in tota antiquitate reperitur qui negaverit primam Joannis Epistolam esse canonicam aut Joannem illius esse auctorem, si excipiantur quidam hæretici, ut Alogi et Cerinthiani, qui necessitate systematis, quia Filium Dei incarnatum negabant, id fecerunt. Inde a temporibus Apostolicis ut Scriptura sacra allegata fuit a S. Polycarpo et Papia, discipulis ipsius Joannis Apostoli, a S. Irenæo, Tertulliano, canone Muratorii, Clemente Alexandrino et Origene qui Joanni Apostolo eam adscribunt (1). Sufficiat testimonium Eusebii (2), qui asserit « primam Joannis Epistolam omnium consensu esse receptam. »

6. Unanimis hæc traditio confirmatur ex ipsa interna Epistolæ indole. Stylus enim convenit cum Evangelio S. Joannis; argumentum, ideæ, notiones, in arctissimo nexu cum illo posita sunt, ita ut unus idemque sit auctor et quarti Evangelii et prioris Joannis Epistolæ.

7. De secunda vero et tertia Epistola, testibus Eusebio et Hieronymo, aliqui olim dubitarunt. Sed dubii istius difficile non est rationem assequi. Etenim nomen Apostoli in titulo deerat; præterea ad personas privatas erant directæ, unde non ita facile innotuerunt; denique brevissimæ erant et talis argumenti, quod non præbebat occasionem ut earum auctoritate Patres frequenter uterentur. Nil igitur mirum si primis sæculis aliqui hæsitarunt,

(1) S. Polycarpus *ad Philipp.* 7; Papias ap. Euseb., *Hist. Eccl.* III, 39; S. Irenæus, *Contra hær.* III, XVI, 5, 8; Tertullianus, *Adv. Praxeam* 15; *Adv Marc.* V, 16; *Scorp.* 12; Clemens Al. *Strom.* II, 389; Origenes, *In Matth.* XVII, 19; *In Joan.* 1, 2, 3.

(2) *Hist Eccl.* III, 24-25.

donec, Epistolarum origine melius comperta, omnes inde a sæculo IV eas ut canonicas receperunt. Nec defuerunt ante sæculum IV qui ad eas provocarunt. S. Irenæus, Joannis per Polycarpum discipulus, allegavit secundam Epistolam ejusque auctorem Joannem asseruit. In fragmento canonis a Muratorio editi duæ recensentur Joannis Epistolæ. In canonibus Apostol. 85, concilii Loadic. 59 et 60, concilii Hippon. anni 393, Carthag. anni 397 et anni 419; similiter in canonibus Philastrii, Athanasi, Cyrilli Jerosolymitani, Hieronymi, Augustini, Innocentii papæ I et scriptorum, qui secuti sunt, tres recensentur Joannis Epistolæ. Præterea Clemens Al. *Adumbrationes* scripsit in secundam Joannis, et agendo de prima eam appellat majorem indicans per hoc alias exstare minores. In concilio Carthaginensi sub Cypriano pariter secunda Joannis allegata fuit. Origenes quidem dubitanter alicubi dicit : « Scripsit Joannes Epistolam admodum brevem. Sed concedamus, si placet, et secundam et tertiam ab illo scriptas esse; neque enim has genuinas illius esse omnes consentiunt. » Alibi vero absque hæsitatione pronuntiat « Joannem tuba canere per *Epistolas suas.* » Eusebius ut historiæ scriptor refert quosdam dubitasse, ipse tamen in aliis scriptis plures Joanni Epistolas tribuit. Deerant quidem in multis codicibus versionis syriacæ, Simplicis dictæ, duæ posteriores Joannis Epistolæ; attamen S. Ephræmus, ut canonicam allegat secundam Joannis. Denique argumenta interna traditionem fulciunt. Eædem enim locutiones, eædem formæ grammaticales, idem stylus reperitur et in his et in aliis Apostoli scriptis. Merito igitur concilium Tridentinum tres Joannis Epistolas in canone numeravit (1).

(1) Cfr. S. Irenæus, *Contra hær.* III, XVI, 8; Clemens Al. *Adumbrat. in II Joan.* et *Strom.* II, p. 389; *Can. apost.* ap. Pitra, *Jur. eccles. Græc. hist. et monum.* t. I; *Concil. Laod. ibid.*; *Concil. Hippon.* can. 36; *Concil. Carth.* can. 47; *can. Muratorii* ap. Mign., *Patrol. lat.* t. III; Philastr., *Hær.* 88; Athanas., *Epist. fest.* 39; Cyrillus Hieros., *Catech. de decem dogm.*; Hieronym., *Epist. ad Paulin.*; S. Augustin. *De Doctr. Christ.* II, 8; *Concil. Carthag.* ap. Kirchhofer; Origenes, *Tom. V in Joan.*; *Homil. VII in Jos.*; Euseb., *Hist. Eccl.* III, 25; VI, 25; *Demonst. evang.* III, 5; S. Ephræmus. *Opp. gr.* I, 76, III, 52. Alia testimonia vid. ap Kirchhofer, *Quellensammlung*, XXXI.

IV. *De Judæ Epistola.*

1. *Argumentum* brevioris hujus Epistolæ convenit cum iis quæ B. Petrus scribit in secunda Epistola, præsertim cap. II et initio tertii. Hortatur Apostolus fideles ut firmi in fide et in bonis operibus permaneant adversus impios, quales erant Simoniani, qui Christum negabant et turpissima perpetrabant, quos Deus in judicio puniet, ut jam prædixit Henoch.

2. *Tempus et locus.* Estius putat cum OEcumenio Judam scripsisse post mortem aliorum Apostolorum, vivente adhuc Joanne, quum jam Simoniani libere suas turpitudines exercerent.

3. *Auctor atque auctoritas.* Auctor, ut Epistolæ inscriptio habet, est *Judas, Jesu Christi servus, frater autem Jacobi* scilicet *minoris*. Alio nomine *Lebbæus* et etiam *Thaddæus* vocatur (1).

4. Eusebius scribit paucos ex antiquis hujus Epistolæ meminisse, alibi eam libris *controversis* accenset, et alio in loco ipsam cum aliis scriptis sacris *controversis* probatam multis et in ecclesiis lectam testatur (2). S. Hieronymus istius dubitationis causam aliquam indicat his verbis : « Judas, frater Jacobi, parvam quidem, quæ de septem Catholicis est, Epistolam reliquit. Et quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque rejicitur ; tamen auctoritatem vetustate jam et usu meruit et inter Scripturas sacras computatur (3).

5. Jam sæculo II auctor canonis a Muratorio reperti et Tertullianus Epistolam allegant et Judæ Apostolo tribuunt. Concinunt apud Græcos Clemens Alexandrinus et Origenes, qui ait : « Judas scripsit Epistolam, paucorum quidem versuum, plenam vero efficacibus cœlestis gratiæ verbis. » Pro Syris testi-

(1) Cfr. *Matth.* X, 3; XIII, 55; *Marc.* III, 18; *Luc.* VI, 16; *Act.* I, 13.

(2) *Hist. Eccl.* III, 3; 25; VI, 14.

(3) *De Vir. ill.* 4 Etiamsi Judas ex libro Enochi apocrypho aliquid recitaverit, exinde auctoritas ipsius Epistolæ labefactari nequit; nam in apocryphis non omnia sunt apocrypha. Potuit Apostolus Spiritu divino illustratus aliquam sententiam veram ex libro apocrypho depromere ; sicut Paulus Apostolus ex poetis profanis quædam recitavit in suis Epistolis. Fieri etiam potest ut ex traditione Judas noverit quæ protulit. Vide Estium ad vers. 9 et 14.

monium perhibet S. Ephræmus qui Judæ Apostolo, fratri Jacobi, Epistolam adscribit (1). A sæculo autem IV Epistola enumerata est in omnibus Scripturæ canonibus, a Patribus et a conciliis editis; et pariter in codicibus et versionibus N. T., excepta versione syriaca Simplici, reperitur.

CAPUT VII.

DE APOCALYPSI.

1. Apocalypsis (ἀποκάλυψις revelatio) liber propheticus est (2), in quo S. Joannes, sub variis figuris et symbolis, describit prælia Ecclesiæ contra Judæos obcæcatos, contra Romam ethnicam et contra Antichristum, in fine sæculorum venturum. Porro Ecclesia postquam continuo vicerit, summa tandem et inamissibili felicitate fruens in æternum cum Christo, ejus duce, regnabit in cœlo.

2. *Argumentum*. Joannes, in insula Patmos relegatus, divina revelatione instruitur et in prima visione aspicit sub symbolo septem candelabrorum aureorum, in quorum medio fulget Filii hominis species, septem Asiæ ecclesias, nempe Ephesi, Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardis, Philadelphiæ, et Laodiceæ. Sequuntur septem epistolæ, quas supradictarum septem ecclesiarum præsulibus jubetur Joannes scribere; in hisce epistolis Christus illorum virtutes laudat, aut defectus ac vitia carpit (I-III). *Visio secunda.* Joannes cœlo aperto, videt præfulgentem Dei thronum, quem circumdabant viginti quatuor seniores cum quatuor animalibus sedentem in throno laudantes. In dextra sedentis apparet liber signatus sigillis septem, quem, cum nemo posset aperire, agnus, stans in medio throni tanquam occisus, aperit. Describit Apostolus symbolica quæ fiunt ad

(1) *Canon Muratorii, Patrol. lat.* III, 170-199; Tertull., *De hab. fœm.* I, 3; Clemens Al., *Pædag.* III, p. 239; *Strom.* III, p 431; *Adumbrat. in Epist. Judæ;* Origenes, *In Matth.* XIII, 55; *in Gen. Homil.* 13; *in Josue Homil.* 7; Ephræm., *Opp. Syr.* t. I, p. 136.

(2) Librum Apocalypseos vere esse propheticum patet ex I, 1-3 : *Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito.. Beatus qui legit et audit verba prophetiæ hujus.* Cfr. XXII, 7-10, 18-19.

666! = Vicarius Filii Dei = Vicarius Filii Dei
= VI I · I II I

cujusque sigilli reseratum (IV-VII). *Visio tertia.* Aperto sigillo septimo, fit silentium in cœlo et prodeunt septem angeli cum tubis. Depingit autem Apostolus quæ fiunt ad clangorem singulæ tubæ (VIII-IX). *Visio quarta.* Tunc in cœlo aspicitur mulier, amicta sole, et luna sub pedibus ejus et in capite ejus corona stellarum duodecim, contra quam ejusque semen pugnat draco. Apparent illico una bestia e mari ascendens, habens capita septem quibus nomina blasphemiæ inscripta erant et cornua decem, et super cornua ejus decem diademata; et altera bestia ascendens de terra, quæ duo habebat cornua similia agni et loquebatur ut draco. Interea agnus in monte Sion stat cinctus multitudine suorum inenarrabile canticum cantantium. Angelus volans per medium cœlum portat Evangelium æternum. Alius angelus annuntiat lapsum Babylonis magnæ et tertius pœnas cultorum bestiæ. In nubibus apparet Filius hominis cum falce, qua ad vocem angeli metit terram (XII-XIV). *Visio quinta.* Cernit Joannes septem Angelos tenentes septem phialas iræ Dei plenas, quas in terram effundunt. Ecce mulier fornicaria sive Babylon, variis induta ornamentis, et ebria sanguine martyrum Jesu, sedet super bestiam habentem capita septem et cornua decem. Mulier civitas est. Septem capita septem montes sunt super quos mulier sedet, et septem reges. Decem cornua decem reges sunt. Describitur ruina Babylonis. Sancti Deum glorificant (XV-XIX, 10.) *Visio sexta.* Apparet cum exercitu magno Verbum Dei equo insidens, qui devincit bestiam eamque cum suo pseudopropheta projicit in stagnum ignis ardentis. Angelus ligatum draconem seu diabolum mittit in abyssum ad mille annos, quibus animæ martyrum regnabunt in resurrectione prima cum Christo. Consummato hoc tempore, satanas solutus de carcere denuo surget, seducet gentes et oppugnabit civitatem sanctam sed devincetur. Tunc mortui judicabuntur secundum opera sua (XIX-XX). *Visio septima.* Describitur Jerusalem cœlestis. Clauditur Apocalypsis epilogo, quo pœnas decernit beatus Joannes in eos qui ausi fuerint aliquid immutare in verbis istius prophetiæ (XX-XXII).

3. *Apocalypseos interpretatio.* Quum Apocalypsis visionibus constet et rebus symbolicis, hinc magna exoritur difficultas interpreti scrutanti quasnam res futuras figuris illis Spiritus sanctus designaverit. Ambigitur præsertim quid significent se-

ptem sigilli, septem tubæ septemque phialæ iræ Dei, a cap. VI ad XVI. Sunt qui quæ ibi dicta sunt ad consummationem mundi referunt, alii ad destructionem idololatriæ, alii ad utrumque simul. In capp. XVII-XVIII per mulierem fornicariam sedentem super bestiam designari urbem Romam ejusque imperium communis est interpretum sententia, quæ satis clare elucet consideranti integra horum capitum verba.

4. Interim dantur hæ interpretationis regulæ : 1° Quum Apocalypsis stylo figurato atque symbolico expressa sit, verba non sensu litterali sed metaphorico et allegorico sunt accipienda. 2° Quum occurrant in Apocalypsi quædam visiones plane similes iis, quas viderunt Ezechiel aliique Prophetæ, horum Prophetarum interpretatio magnam lucem præbet ad sensum Apocalypseos detegendum. 3° Quamvis Apocalypsis vera sit prophetia, non videtur tamen ita urgendus verborum sensus, ut præbeat quasi compendium propheticum totius historiæ sacræ a Joanne usque ad finem sæculorum.

5. *Locus et tempus*. Joannem Apocalypsin scripsisse in insula Patmos, in qua propter testimonium Jesu Christi relegatus fuerat, patet ex cap. I, 9. Quæritur autem sub quonam imperatore in hac insula relegatus fuerit adeoque quonam tempore Apocalypsin scripserit. Epiphanius (1) docet hoc accidisse sub Claudio. Sed nemo ex antiquis ei suffragatur. Irenæus (2), ipsius Joannis per Polycarpum discipulus, asserit Apocalypsin scriptam sub Domitiano : « Neque enim dudum, inquit, sed nostra pæne memoria sub exitum imperii Domitiani visa est (Apocalypsis). » Irenæi testimonium allegant et sequuntur Eusebius, *Chronicon paschale* (3), S. Maximus (4) Arethas (5), Andreæ Cretensis, ut videtur, discipulus. Miletus, Laodiceæ episcopus hisce aucto-

(1) *Hær.* LI, p. 197.

(2) Ap. Euseb , *Hist. Eccl.* III, 18, et V, 10 in editione Laemmer. Cfr. Irenæus, *Contra hær.* V, XXX, 3.

(3) *Ad Olymp.* 218. *Patrol. gr.* t. XCII, 603.

(4) *Scholia in Epist.* 10. *S. Dionys. areop. Patrol. gr.* IV, 574, ubi hæc verba habet : « Sanctus Evangelista Joannes ablegatus est in Patmum insulam, quæ Cycladum una est *sub extremum anni regni Domitiani...* Meminit hujus relegationis S. Joannis sub Domitiano factæ Irenæus; Clemens item Alexandrinus in libro *Quis dives salvus ?* » Observandum est Clementem, sicut et Origenem, non tradere sub quonam imperatore Joannes relegatus fuerit.

(5) *Comment. in Apoc. Patrol. gr.* CVI, 514.

ribus consonat in *Actis S. Joannis Apostoli* (1). Quod facit et Josippus in *Libro memoriali* (2).

6. Victorinus Petavionensis, *Comment. in Apocal.*, ait : « Quoniam quando hoc vidit Joannes erat in insula Patmos in metallum damnatus a Domitiano Cæsare. Ibi ergo vidit *Apocalypsin.* » Consonat Orosius (3) tradens Joannem e Patmos liberatum sub Nerva , Domitiani successore. Cedrenus (4) refert S. Hippolytum etiam tradidisse Joannem in Patmum insulam sub Domitiano deportatum ibi Apocalypsin scripsisse.

7. Tertullianus, *De præscrip.* 36 , nomen imperatoris non tradit quando dicit : « Roma felix... ubi Apostolus Joannes, posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. » S. Hieronymus (*adv. Jovin.* I, 26) Tertulliani auctoritatem invocans asserit Joannem sub Domitiano relegatum : « Vidit enim in Patmos insula, in qua fuerat a Domitiano principe ob Domini martyrium relegatus Apocalypsin, infinita futurorum mysteria continentem. Refert autem Tertullianus quod Romæ (5) missus in ferventis olei dolium purior et vegetior exiverit quam intraverit. » Item docet S. Doctor in libro de *Vir. ill.* 9 et in *Chronico.*

8. Denique Photius (6) ex actis martyrii S. Timothei cum ceteris affirmat Joannem sub Domitiano in Patmos relegatum, quæ est igitur unanimis fere omnium antiquorum sententia.

9. *Auctor atque auctoritas.* In Occidente nunquam de Apocalypseos auctore vel auctoritate canonica dubitatum est, bene vero in Oriente (7). Non alii vero noscuntur qui Apocalypsin

(1) Ap. Migne, *Patrol. gr.* V, 1242.

(2) Ap. Migne, *Patrol. gr.* CVI, 146.

(3) Orosius, *Lib.* VII, c. 7.

(4) *Hist.* ap. Migne, *Patrol. gr.* CXXI, 474.

(5) Pro *Romæ*, plures codices, juxta Martianæum, imo omnes juxta Vallarsium, habent *sub Nerone.* Quæ lectio si sit admittenda, Tertullianus dixerit Joannem sub Nerone relegatum Apocalypsin exarasse. Sed quominus admittatur, obstat quod Hieronymus in codice quem exscripsit legerit *Romæ* non vero *sub Nerone.* Si enim legisset *sub Nerone* non ita certo affirmavisset immediate ante ista verba Joannem sub Domitiano relegatum in Patmos.

(6) *Bibl. cod.* 254. Propugnant Bollandiani, *Acta Sanct.* Jan. II, die 24, p. 502. Polycraten, Ephesi episcopum , ad finem sæc. II, actorum S. Timothæi esse auctorem.

(7) Hoc asserunt Hieron., *Epist.* 129 *ad Dard.;* Junilius, *De part. leg. div.* I, 4.

rejecerint nisi Alogi et Marcionitæ et Montanistæ; secuti sunt sæculo III in ecclesia Alexandrina, Nepotiani qui, male et materialiter intellectis iis quæ de regno Christi in Apocalypsi habentur, eam, utpote Apostolo indignam, prorsus repudiarunt et Cerintho tribuerunt. Eos redarguens Dionysius Alexandrinus Apocalypsin divinam habuit, eam tamen non Joanni Apostolo sed alteri Joanni ejus discipulo, propter styli differentiam, tribuendam putavit. Omissa autem fuit Apocalypsis in canone concilii Laodiceni juxta codices editos, sed Em. Card. Pitra alios codices invenit in quibus habetur (1). S. Gregorius Nazianzenus interdum hæsitaverit (2). Librum vero omittit S. Cyrillus Hierosolymitanus. Sed ista quorumdam dubia Apocalypseos auctoritatem labefactare nequeunt.

10. Etenim auctor, statim ab initio libri et sæpius in decursu, Joannem se nominat (3) et locum indicat in quo revelationem habuit, insulam scilicet Patmos, in qua Joannes Apostolus (4) sub Domitiano relegatus fuit. Igitur, quamvis auctor suum Apostoli nomen taceat, manifestum est sermonem non esse de alio Joanne, quam de illo qui *fuit in insula Patmos propter verbum Dei et testimonium Jesu,* id est, de Joanne Apostolo, qui propter verbum Dei quod prædicarat et propter testimonium quod in oleo ferventi Jesu reddidit in insulam Patmos relegatus fuit. Confirmantur quæ diximus ex toto libro, ubi Christus sub agni Verbique appellatione designatur juxta morem Joannis in suo Evangelio.

11. Testimonia hæc interna maximam vim obtinent ex constanti et perpetua ecclesiarum apostolicarum traditione.

12. In ecclesia Latina nemo unquam dubium movit de Apocalypsi, sed constanter omnes Patres qui de canone Scripturarum locuti sunt, eam tanquam Joannis Apostoli opus divinum receperunt. Etenim ut Scriptura allegatur in Epistola ecclesiæ Viennensis et Lugdunensis de martyrio S. Pothini.

(1) *Juris Eccles. græc. Hist. et Monumenta,* I.

(2) Gregorius Naz. in carmine XII. *De veris Script. libris* omittit Apocalypsin, at eam recenset in *Carmine ad Seleucum,* quod Amphilochio alii tribuunt, memorans plures de ea dubitare; eam ut Scripturam citat in *Serm.* XLII, 9. Andreas Cretensis Gregorium Naz. Apocalypsin recepisse pluries affirmat.

(3) *Apoc.* I, 1, 4, 9; XXI, 2; XXII, 8.

(4) Cfr. quæ diximus supra p. 234.

S. Irenæus, ipsius Joannis per Polycarpum discipulus qui vix 80 annos post Apocalypseos editionem scribebat, prolixa ex ea testimonia recitat, Joannem illius auctorem asserit ejusque auctoritatem tanquam canonicam invocat contra hæreticos. Eusebius refert : « In quinto vero, de revelatione Joannis et de computatione nominis antichristi sic disserit Irenæus... Cum igitur hæc ita se habeant, *et in omnibus probis ac vetustis exemplaribus numerus hic exstet et ipsi qui Joanni fidem faciant*, etc. Concinit auctor canonis Muratorii. Tertullianus non solum eam Joanni Apostolo tribuit et plura ejus verba profert, sed etiam probat ejus originem apostolicam per successionem episcoporum. « Nam etsi, inquit, Apocalypsin ejus Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem usque recensus in Joannem stabit auctorem. » Vix necesse est adducere testimonia S. Cypriani, S. Hippolyti qui et Apologiam et Commentarium scripsit in Apocalypsin, Firmicii Materni, Lactantii, S. Victorini Petavionensis qui eam commentatus est, S. Hilarii, S. Philastrii, S. Hieronymi, S. Augustini, aliorum, qui omnes cum conciliis Hipponense, Carthaginense, Romano sub Gelasio, Toletano, Florentino et Tridentino, Apocalypsin Joanni Apostolo tribuunt et canonicam declarant (1).

13. In ecclesia Alexandrina Apocalypsis ab initio ut opus divinum recepta fuit; quod testantur Clemens, Origenes, Dionysius, qui tamen de auctore erravit, Athanasius, Didymus, Macarius et qui secuti sunt hujus ecclesiæ Patres (2).

(1) Cfr. *Epist. Eccl. Vienn. Patrol. gr.* V, 1446; Irenæus, *Contra hær.* IV, XX, 11; V, XXX, 3; et ap. Euseb., *Hist. Eccl.* V, 8; Tertullian., *De præsc.* 33; *Adv. Marcion.* III, 14; IV, 5 et passim; S. Hippolyt. ap. Ebeb-Jesu, *Catal.* 8, et ap. Hieron. *De vir. ill.* 61; *De Christ. et antich.* passim; Firmicius Mater., *De errore prof. rel.* 29; Cyprian, *Epist.* 63; Lactant., *Epist.* 42; Victorin. Petav., *Patrol. lat.* V, 318; Hilar., *De trin.* VI, 16, 39; Philastr., *Hær.* 60 et 88; S. Hieron., *Epist.* 129 ad Dardan; *Comment. in Psalt.* 149; in *Is.* 18; *Adv. Jov.* II, 14; *Epist. ad Paulin.*; *De Vir. ill.* 9; August, *De doctr. Christ.* II, 8 et passim. Hæc sunt verba concilii Toletani anni 633 : « Apocalypsim multorum conciliorum auctoritas et synodica sanctorum præsulum Romanorum decreta *Joannis Evangelistæ* esse perscribunt et *inter libros divinos recipiendam* constituerunt. » Ap. Harduin, Concil. III, p. 584.

(2) Clemens Al., *Strom.* VI, p. 667; Origen., *in Jos. Homil.* 7 et passim; Dionys. ap. Euseb. *Hist. Eccl.* VII, 10, 24; Athanas., *Epist. fest.* 39 et pass. Didymus, *In Psalt.* 50; Macarius, *Homil.* 27, 3.; Cyrillus Al., *De adorat. in Spiritu* I, 188.

14. In ecclesia Palæstinensi Apocalypsis omittitur in canone S. Cyrilli, laudatur vero ut opus Joannis apostoli a S. Pamphylo, Cæsareæ episcopo, et a S. Methodio, Tyri antistite; Eusebius autem refert varias auctorum opiniones, ipse hic illic hæsitans, alibi vero eam ut ceteras Scripturas allegans (1).

15. In ecclesia Antiochena Theophilus eam admittit; in Cypro Epiphanius illam in canone numerat et confutat Alogos eam rejicientes (2).

16. In Asia, præsertim in iis ecclesiis, ad quas Apocalypsis directa fuit, illius divinitas statim ab initio prædicata fuit a S. Justino in Dialogo quem Epheso habuit cum Triphone, ab Apollonio, a Papia, a S. Melitone, Sardis episcopo, et ab aliis qui postea secuti sunt. Denique in ecclesia Syriaca, quamvis deesset in versione Simplici, laudata fuit a S. Ephræmo (3).

Ex his omnibus sat sufficienterque patet Apocalysin Joannis canonicam esse.

(1) Pamphylus, *Apol. pro Orig. Opp. Orig.* t. IV, 39; Methodius, *Conviv. Virg.* I, 5; V, 8; VI, 5, 15; VIII, 4; *De resurr.* 9; Euseb., *Hist. Eccl.* III, 18, 24, 25, 29, 39; *Demonstr. Evang.* VIII, p. 386, etc.

(2) Theophilus ap. Euseb., *Hist. Eccl.* IV, 24; Epiphan., *Hær.* 51 et 76 cap. 5.

(3) Justin., *Dial., cum Triph.* p. 308; n. 81 Apollon. ap. Euseb., *Hist. Eccl.* V, 18; Papias ap. Kirchhofer, *Quellensammlung* p. 300, Melito in *Clavi* passim et ap. Euseb., *Hist. Eccl.* IV, 26; S. Ephræmus, *Opp. Syr.* III, 636 et pass. Andreas cæsareensis, *Comm. in Apocal. Patrol. gr.* CVI; ait : « Constat namque beatos illos viros patresque nostros, Gregorium Theologum, Cyrillum Alexandrinum, multoque hisce vetustiores Papiam, Irenæum, Methodium et Hippolytum divinum fideque dignum (hunc librum Apocal.) non uno loco tradere. »

S. Irenæus, ipsius Joannis per Polycarpum
80 annos post Apocalypseos editionem
testimonia recitat, Joannem illi
auctoritatem tanquam canon
Eusebius refert : « In qu
de computatione nom
igitur hæc ita se ha
pluribus numerus
Concinit auctor
Joanni Apo
probat ej
rum. «
tame
sta

... VEL ALIQUAS EJUS PARTES
COMMENTARIIS EXPLANARUNT.

I. PATRES LATINI.

ALBERTUS MAGNUS, sæc. 13: *Comment.* in Psal., Thren., Baruch, Prophetas minores, Evangelia et Apocalypsin. Inter ejus opp. Lugduni, 1651.

ALCUINUS, sæc. 8 : *Exegetica* in Gen., Psal., Eccles., Cantic., Ev. Joan., Epp. ad Tit., Phil., Hebr., Apocal. Migne *Patrol. lat.* t. C.

S. AMBROSIUS, sæc. 4 : *Exposit.* in Psal., Luc.; *Quæst. variæ* in libros V.T. historicos. *Opp.* t. I. Par. 1686-90. *Patrol. lat.* XIV-XV.

ANSELMUS LAUDUNENSIS, sæc. 12 : *Glossa interlinearis* in V. et N.T. Basil. 1502 et 1634; in Cantic. et Epp. Pauli inter opera S. Anselmi Cantuariensis; in Matth. Antverpiæ, 1681.

ARNOBIUS JUNIOR, sæc. 5 : *Comment.* in Psal. *Patrol. lat.* LIII.

S. AUGUSTINUS, sæc. 5 : *De Gen. ad litt.; Quæst.* in Heptateuch.; *Comm.* in Matth., in Joan. et Epist. Joan. *Enarrat.* in Psal.; *De consensu Evv.* Opp. III-IV. Par. 1679-1700. *Patrol. lat.* XXXIV-XXXIX.

AUTPERTUS, sæc. VIII, *Comm.* in *Apoc. Patrol. lat.* XVII.

VEN. BEDA, sæc. 8 : *Comm.* in Pentat., Reg., Esdr., Prov., Cantic., IV Evv., Act., Epp. Jac., Petr., Joan. *Patrol. lat.* XCI-XCII.

S. BONAVENTURA, sæc. 13 : In Hexæmeron., in Psalt., Eccles., Sap., Lamentat., Luc. et Joan. Romæ 1588 et alibi pluries.

S. BRUNO, sæc. 10 : *Exposit.* in Psalt. et Pauli Epistolas. *Patrol. lat.* CLII.

S. BRUNO ASTENSIS, sæc. 12 : *Comm.* in Pentat., Job, Psal., IV Evv., Apoc. *Patrol. lat.* CLXIV-CLXV.

CASSIODORUS, sæc. 6 : *Exposit. in Psal., Divin. litt. instit. Patrol. lat.* LXX.

CLAUDIUS TAURINENSIS, sæc. 9 : *Exeg.* in Levit., Epp. Pauli. *Patrol. lat.* CIV.

CHRISTIANUS DRUTHMARUS, sæc. 9 : *Exposit.* in Matth., Luc., Joan. *Patrol. lat.* CVI.

S. CHROMATIUS, sæc. 5 : *Tract.* in Matth. Utini 1816. *Patrol. lat.* XX.

S. EUCHERIUS, sæc. 5 : *Liber formul. spirit. intell. Patrol. lat.* L.

GEROHUS, sæc. 12 : *Comment.* in Psal. et Cantic. *Patrol. lat.* CXCIII.

S. GREGORIUS MAGNUS, sæc. 6 : *Moral.* in Job; *Homil.* in Ezech. et Evv. *Patrol. lat.* LXXVI.

HAIMO, sæc. 9 : *Comment.* in Psal., Cantic., Is., Proph. min., Epp. Pauli, Apoc. *Patrol. lat.* CXVI-CXVII.

S. HIERONYMUS, sæc. 5 : *Quæst.* in Gen., Reg. et Paral.; *Comm.* in Is., Eccles., Jer., Ezech., Proph. min., Matth., Epp ad Gal., Ephes., Tit., Philem. Opp. ed. Vallarsi, t. III-VII. *Patrol. lat.* XXIII-XXVI.

S. HILARIUS, sæc. 4 : *Tract.* in Psal.; in Matth. Paris. 1693 *Patrol. lat.* IX.

HILARIUS DIACONUS, sæc. 4 : *Comm.* in Epp. Pauli; *Quæst.* in V. et N. T. *Patrol. lat.* XVIII.

II. PATRES GRÆCI ET ORIENTALES.

INDEX ALPHABETICUS

INTERPRETUM

QUI UNIVERSAM SCRIPTURAM VEL ALIQUAS EJUS PARTES

COMMENTARIIS EXPLANARUNT.

I. Patres latini.

Albertus Magnus, sæc. 13: *Comment.* in Psal., Thren., Baruch, Prophetas minores, Evangelia et Apocalypsin. Inter ejus opp. Lugduni, 1651.

Alcuinus, sæc. 8: *Exegetica* in Gen., Psal., Eccles., Cantic., Ev. Joan., Epp. ad Tit., Phil., Hebr., Apocal. Migne *Patrol. lat.* t. C.

S. Ambrosius, sæc. 4: *Exposit.* in Psal., Luc.; *Quæst. variæ* in libros V.T. historicos. *Opp.* t. I. Par. 1686-90. *Patrol. lat.* XIV-XV.

Anselmus Laudunensis, sæc. 12: *Glossa interlinearis* in V. et N. T. Basil. 1502 et 1634; in Cantic. et Epp. Pauli inter opera S. Anselmi Cantuariensis; in Matth. Antverpiæ, 1681.

Arnobius Junior, sæc. 5: *Comment.* in Psal. *Patrol. lat.* LIII.

S. Augustinus, sæc. 5: *De Gen. ad litt.; Quæst.* in Heptateuch.; *Comm.* in Matth., in Joan. et Epist. Joan. *Enarrat.* in Psal.; *De consensu Evv.* Opp. III-IV. Par. 1679-1700. *Patrol. lat.* XXXIV-XXXIX.

Autpertus, sæc. VIII, *Comm.* in *Apoc. Patrol. lat.* XVII.

Ven. Beda, sæc. 8: *Comm.* in Pentat., Reg., Esdr., Prov., Cantic., IV Evv., Act, Epp. Jac., Petr., Joan. *Patrol. lat.* XCI-XCII.

S. Bonaventura, sæc. 13: In Hexæmeron., in Psalt., Eccles., Sap., Lamentat., Luc. et Joan. Romæ 1588 et alibi pluries.

S. Bruno, sæc. 10: *Exposit.* in Psalt. et Pauli Epistolas. *Patrol. lat.* CLII.

S. Bruno Astensis, sæc. 12: *Comm.* in Pentat., Job, Psal., IV Evv., Apoc. *Patrol. lat.* CLXIV-CLXV.

Cassiodorus, sæc. 6: *Exposit. in Psal., Divin. litt. instit. Patrol. lat.* LXX.

Claudius Taurinensis, sæc. 9: *Exeg.* in Levit., Epp. Pauli. *Patrol. lat.* CIV.

Christianus Druthmarus, sæc. 9: *Exposit.* in Matth., Luc., Joan. *Patrol. lat.* CVI.

S. Chromatius, sæc. 5: *Tract.* in Matth. Utini 1816. *Patrol. lat.* XX.

S. Eucherius, sæc. 5: *Liber formul. spirit. intell. Patrol. lat.* L.

Gerohus, sæc. 12: *Comment.* in Psal. et Cantic. *Patrol. lat.* CXCIII.

S. Gregorius Magnus, sæc. 6: *Moral.* in Job; *Homil.* in Ezech. et Evv. *Patrol. lat.* LXXVI.

Haimo, sæc. 9: *Comment.* in Psal., Cantic., Is., Proph. min., Epp. Pauli, Apoc. *Patrol. lat.* CXVI-CXVII.

S. Hieronymus, sæc. 5: *Quæst.* in Gen., Reg. et Paral.; *Comm.* in Is., Eccles., Jer., Ezech., Proph. min., Matth., Epp ad Gal., Ephes., Tit., Philem. Opp. ed. Vallarsi, t. III-VII. *Patrol. lat.* XXIII-XXVI.

S. Hilarius, sæc. 4: *Tract.* in Psal.; in Matth. Paris. 1693 *Patrol. lat.* IX.

Hilarius diaconus, sæc. 4: *Comm.* in Epp. Pauli; *Quæst.* in V. et N. T. *Patrol. lat.* XVIII.

II. Patres græci et orientales.

III. Recentiores qui latine scripserunt.

Omittuntur commentarii vulgaribus linguis exarati et commentarii hæreticorum.

His adde catenas Patrum a variis auctoribus editas, adde et commentaria gallice scripta a Calmet, a Bossuet in Apoc., a Berthier in Psal., a Sacy, Car-

rières, de Vence, in universam Scripturam, a Beelen in N. T. flandrice, etc.

Inter Judæos maxime noti sunt Abarbanel, Jarchi, David Kimchi, Maiemonides, Levi-ben-Gersom. Inter heterodoxos : Amama, Beza, Buxtorfius, Calvinus, Carpzovius, Clericus, Delitsch, Kurtz, Eichhorn, Gerhardus, Gesenius, Grotius, Hengstenberg, Keil, Kuinoel, Lutherus, Michaelis, Rosenmullerus, alii. Selecta heterodoxorum commentaria habentur in libro cui titulus: *Critici sacri*, 10 vol. in fol. Londini, 1660, et hodie Lipsiæ germanice eduntur præcipua recentiorum protestantium in universam Scripturam commentaria.

INDEX RERUM.

PARS PRIOR.

PARS POSTERIOR.

INDEX ALPHABETICUS

RERUM IN DUOBUS VOLUMINIBUS CONTENTARUM.







B Maria

S.S. C. in Jesu

O Dulcissima Jesu Cor!
I always love thee more.
O dulcissima Jesu Cor.
Thou art for me an open door.

1.) Quae et quotuplex est significatio Evangelii? 2.25
2.) Quam multa habemus Evangelia? 2.75
3.) Quae est Evangelistarum symbolica repraesentatio? 5.00
4.) Qui sunt Evangeliorum tituli? [] [] }
5.) Quae sunt mutuae Evangeliorum relationes? 212
6.) Quod est hujus evangelii argumentum? 212
7.) Quando et ubi scripsit St. Matthaeus? 214
8.) Qualis est scopus hujus evangelii? 215
9.) Qua lingua scripsit Matthaeus? 215.
10.) Quid de Evangelio secundum Hebraeos? 220.
11.) Quod est argumentum vero praedicatum? 224.
12.) Quis est St. Marcus ejusque relatio ad Petrum?
13.) Quo loco et tempore scripsit St. Marcus? 226
14.) Qua lingua scripsit St. Marcus? №9.



Qui cito dat, bis dat.
Est jam sermone tritum proverbium.
nihil [illegible] leonibus
fortiores ad victoriam currunt.
Qui? Ohn temerarii!
Cuncta [illegible]
quod [illegible]

ὦ μου Σε ε lys.

Demka

[illegible]




YB 71686

